




B² III 15

NICOLAI PARTHENII
GIANNETTASII
NEAPOLITANI

E Societate JESU

OPERA OMNIA POËTICA.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS

PISCATORIA, NAUTICA, ET HALIEUTICA.



NEAPOLI, Apud Bernardum-Michaëlem Raillard, M.DCC.XV.

SUPERIORUM LICENTIA.

PARTHENII

PISCATORIA.

EDITIO QUARTA.

Reimprimatur, Neap. die 2. Februarii 1715.

NICOLAUS CAN. ROTA PRO-VIC. GEN.

D. Petrus-Marcus Giptius Can. Dep.

Reimprimatur, Neap. die 8. mensis Februarii 1715.

ARGENTO REG. ET PRÆSES.

Pescarini.



LEOPOLDO I.

CÆSARI, AUGUSTO,

PIO, FELICI, VICTORI,

E C L O G A I.

T I T Y R U S.

A R G U M E N T U M.

Tityrus piscator, Lycida hortante, CÆSARI epinicium ob Viennam liberatam canit: per Tityrum poëtam, per Lycidam verò Josephum Medicæum *Octaviani Principem, qui primus Victoriæ nuncium Vati attulit, intellige.*

LYCIDA, TITYRUS PISCATORES.

LYC. TITYRE, quid vitreas recubans Crateris ad undas
Otia lentus agis? tenui cur lætus avena
Non dulcem viridi Musam meditaris in acta?
TIT. Non equidem, Lycida, non hæc fert carmina tempus;
Improba Sors quando, & Scytha barbarus omnia versant.
LYC. An quæ Parthenopes audivi nuper in urbe,
Cùm domino ferrem Synodontas, Tityre, nescis?
TIT. Dic, age, quid, Lycida, Sirenis ab urbe reportas?
LYC. Tityre, læta tibi Sirenis ab urbe reporto.
Urbs secura metu: perrupit barbara castra
Augustus CÆSAR LEOPOLDUS, & agmina mille

Thre-

Threjicium fudit, gelidoque immerfit in Iftro.
TIT. Verane funt, Lycida hæc, an dulcia fomnia amantum?
LTC. Vera quidem; nam fama volans pernicibus alis
Danubio ex alto Romam pervenit, & omnes
Italiæ implevit lætis rumoribus urbes:
Et modò Parthenopen replevit, Tityre, noftram.
Nonne vides, ut crebra fonum tormenta canorum
Dent paffim, & tutis plaudant terroribus arces:
Noftraque feftinis ardefcat (1) Olympia flammis?
TIT. O quantùm exfilio, Lycida, dum talia narras:
Exfiliunt mihi læti oculi, lætum exfilit & cor.
Munere pro tali pulchra te murice concha
Donabo, Lycida, dono mihi quam dedit olim,
Cùm canerem, Melifæus: aquis non venit ab altis
Pulchrior. Eft circùm vario depicta colore:
Miræ conchæ decriptio. Et mare depictum, & fcopuli fpectantur, & udum
Litus, & in tremulo fugientes gurgite cymbæ:
Naturæ ludentis opus, quam murice concham
Credo equidem pinxiffe manu, ingenioque magiftro:
Nanque opus hoc cafu minimè eveniffe putandum eft.
LTC. Accipio pulchram, quam das mihi, Tityre, concham.
Tu verò Augufto dignam, tantoque triumpho
Litoream tenui calamo meditare Camœnam.
Nanque acta in noftra jam te dixere poëtam,
Et tibi jam noftræ gratantur (2) Olympides; & te
Velarunt mufco Nymphæ, tumuloque propinquo
Synceri applaudunt Manes, Manesque Maronis.
TIT. Litoream Mufam dicamus, & æquora cantu,
Litoraque, fcopulique, omnisque refultet Olympus.
Incipiam, tu, docte, modos percurre loquaces.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha,
Vicit, io! CÆSAR. Vos, ò maris aurea proles,
Nereides, formofa Theti, formofaque Dori,
Hùc celeres imis à fedibus ufque venite;
Et viridi fertum Victori texite myrto.
CÆSARIS & viridi confuefcant tempora myrto:
Nam vetus eft laurus: nova fint infignia regum.
Currite Tritones, per cærula, currite concha.
Vicit, io! CÆSAR: calcata fuperbia regis
Eoi, fractæque acies, fufique manipli,

Thra-

(1) Sic antiquis dicta ora maritima inter Lucullanum, & Paufilypum, vulgò *Chiaja*. Scip. Mazzella in defcriptione Regni Neapolitani. (2) Mufæ ab ora Olympia fic dictæ.

Threjiciique, Arabesque, sagittiferique Geloni,
Victi omnes; versæque retrò fugere tyranno
Mille acies, & mille virùm data millia letho
Centum pro tali nunc dicite digna triumpho
Carmina, Pausilypique Deæ, pelagique puellæ.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha.
Vicit, io! Cæsar: Neptunia Numina, Glauci,
Voce ciete sonum, & conchas inflate marinas.
Ite sub Antipodas, celeri vos ite natatu;
Ac geminos facti famam proferte sub axes:
Audiat Hesperius, simul audiat Orbis Eous
Augusti palmam, & Romæ gratetur ovanti.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha.
Vicit, io! Cæsar: per litora spargite muscum
Najades, & circùm vitreos considite fontes:
Pollice virgineo teneros hìc carpite flores:
Floribus & pictum, divæ, replete canistrum.
At vos, ò Nymphæ Craterides, ite sub undas;
Ite, recurvato variata corallia trunco
Vellite muscosis è rupibus, & mihi conchas
Ferte Deæ pelagi, & pingui conchylia succo.
Atque hæc cæruleis apponam carmina donis:
Hæc ego Victori Leopoldo munera mittam:
Hæc pisatoris ne temnas munera, Cæsar;
Nanque his Neptunum donamus, & his quoque Dorin;
Est & Neptunus Deus æquoris, & Dea Doris.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha;
Vicit, io! Cæsar: per marmora ludite cymbis,
O juvenes, puppesque novis ornate corollis:
Et niveos inter delphines ludite cursu.
Tritonum intereà vocali scrupea concha
Antra sonent, scopulique, omnisque à vertice pontus
Et circùm socio responsent litora cantu.
Omnia lætitiæ concedant: omnia festis
Vocibus applaudant Victori, & murmure læto
Augusti nomen Leopoldi ad sydera tollant.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha:
O mihi si cœlo exoptatus fulserit unquam
Ille dies (illum Superi concedite Divi)
Quò te regali in puppi super æquora vectum
Antiquam imperii sedem lustrare sub Ortum,
Atque per Eoi populos dare jura volentes
Aspicerem: tunc ipse tuas jam dicere laudes
Aggrederer, nomenque tuum, tua facta per Orbem
Mæonio ferrem cantu, calamoque Sicano.

Me super assurgens humiles procul ire jubebo
Pausilypi Musas, & litora: me sacra Pindi
Accipient nemora, & Parnassi dulcia Tempe.
Litoream intereà, CÆSAR, ne despice Musam,
Quam tibi cærulei cecinit Crateris ad oram
Tityrus, è patrio qui primus litore Musas
Per vitreas vexit velis majoribus undas,
Primus & audaces duxit per cærula nautas,
Tu verò pulsare, puer, freta desine concha:
In cava soliciti veniunt ad litora nautæ:
Et (1) Megaræ turres jam longior occulit umbra.

ECLOGA II.

PARTHENIS.

ARGUMENTUM.

Jolas piscator Virginem, *humani generis delicias*, *unicè adamabat: quo cùm dulcè queritur, quod se ex oculis subtraxerit. Per* Parthenidem, Virginem, *per Jolam, religiosum virum intellige.*

PARTHENIDEM puer ardebat piscator Jolas,
Delicias divùm, atque hominum, quam sæpè solebat
Ad (2) Mergillinæ vitreos invisere fontes,
Sacrum ubi PARTHENIDIS stat curvo in litore templum.
Hic cùm jam Zephyri ponebant murmura, & altum
Purpureus rediens pulsabat Vesper Olympum,
Hæc dulces inter lacrymas incondita solus
Fluctibus, & duris jactabat carmina saxis.
JOL. Quid tantum refugis, bona Virgo? quid & mihi tantum
Divinum avertis vultum, renuisque, videri?
Ah miser! ah nostros contemnit PARTHENIS ignes?
Prætulerimne aliquam tibi forsan, Dia, vereris?
At mihi vos, Superi, testes, si corde caducum,
Aut unquam mortale aliquid meditatus: & ipsi
Sint mihi vel scopuli testes, sint litora, & undæ,

Di-

(1) Insula Lucullano objecta, quæ & castrum Lucullanum appellata est, *Castel dell' ovo.* (2) Amœnissima ad Pausilypum Villa in extremo oræ Olympiæ *Mergoglino*, olim Actii Synceri Sannazarii, ubi celeberrimum ejus sepulchrum in templo ab ipso Virgini, & Divo Nazario dedicato.

Dicite vos, scopuli, vos litora dicite, & undæ,
(Si sensus scopuli, si litora habetis, & undæ)
PARTHENIDEM si semper ego piscator amavi:
Nam voces vos sæpè meas audire soletis,
Atque repercussas mea reddere verba per auras.
Ah nostro quoties offensæ murmure cautes
PARTHENIDEM sonuere! meos jam carmine amores
Edoctæ rupes resonare, & concava saxa.
Et vos, quæ nostro frondetis litore, quercus,
Dicite (nam sensus, & habetis Numina quercus)
Hæc vestro quoties incidi carmina trunco:
Te, Virgo, piscator amat, & amabit Jolas:
Et veluti hæ quercus, crescent sic semper amores.
An me tu forsan, Virgo, aspernaris amantem,
Quòd pauper piscator? erat piscator & ipse
Nonne puer, formosa, tuus, quem sæpè beato
Amplexum gremio tenuisti, & dulcia sæpè,
Atque optata sacris libasti basia labris?
Ille nec erubuit calamos, non retia, & hamos,
Nec parvam sociis agitare per æquora cymbam,
Cùm Deus ipse, maris regnator, & ætheris alti,
Qui nutu terras, nutu qui sydera torquet.
Fortis amor: nostrum quis vincere possit amorem?
Ille Deum in terras, vel ab æthere traxit amantem;
Atque malis hominum pariter consuescere jussit.
Et tu, Diva meos nunc aspernaberis ignes?
An mihi dura, quia agresti munuscula cultu
Nulla tibi misi? misi tamen ipse rubentes
Bissenas de more rosas tibi, Dia, quotannis:
Et meminisse potes; nanque hoc cum carmine misi:
Virgo, noster amor, tuus hæc tibi mittit Jolas.
Quin etiam variis memini misisse corollam
Floribus intextam, & calathis quoque lilia plenis;
Candida (novi equidem) quia sunt tibi lilia cordi.
Sunt & plura mihi in testis: cras illa videbis
Ante aras, Regina, tuas emittere odorem.
Prætereà, dura quæ vix de caute revelli
Nuper oliviferæ piscosa ad saxa (1) Minervæ,
Bina mihi curvos variata corallia ramos:
Bis petiit Nisæa soror, bis & mihi furtim
Sublegere aggressa est: arca sed condita servo.
Illa tibi multo cum carmine mittet Jolas,

(1) Campaniæ promontorium *Capo di Massa, ò la Campanella*.

Natalem cùm, Virgo, tuum lux annua reddet;
Sed piſcatoris parva hæc an munera ſpernis,
O Divùm Regina? tibi ſed munera digna
Quis ferat? ipſe ſuis vix dignum texit amictum
Sol radiis: vix Luna pedes tibi lambere digna eſt.
At, quia dulce ſibi cor amantes mittier optant;
Cor tibi, quod tantùm reſtabat, miſimus ultrò.
Quicquid id eſt, certè Deus ipſe hoc munere majus
Nec ſperare poteſt, nec reddere poſſumus ipſi.
At tibi quòd totum, Virgo, jam miſimus illud,
Scis equidem, certisque potes cognoſcere ſignis,
Mane ego te primo, te veſpere, Diva, ſaluto:
Sæpiùs atque die in medio tibi carmina dico;
Atque tuum quoties audire, & reddere nomen
Contingit, tunc ore fero prona oſcula terræ
Cernuus, & cœli venerabile pignus adoro.
Nil tamen hæc proſunt, dulcem ſi cernere vultum
Dura negas, tantùmque meos contemnis amores.
At mihi te propria vetitum ſi cernere forma,
Appicta in tabulis ſaltem ſimulacra videbo.
Sic aliqua & noſtro dabitur medicina dolori;
Eſt ſua conſpectu vel inani blanda voluptas.
Ah timeo (de te quoniam mihi credere tantùm
Non equidem, bona Virgo, licet) ne pectore noſtro
Quid lateat, quod, Diva, tuos offendat ocellos.
Dic mihi quis lateat malus anguis? ut & citus illum
Conteram, & optato dignus jam reddar amore.
Sed tempus rutilis percurrere litora flammis;
Noſtra ſed occultæ depaſcent pectora flammæ.



ECLO-

ECLOGA III.

ANTIGENES.

ARGUMENTUM.

Milcon, & Dorylas piſcatores mutuis inter ſe primùm conviciis, mox advocato Antigene, carmine certant: ſed neuter vincit, Antigenis ſententia. Per Antigenem intelligit poeta familiariſſimum ſuum Joſephum Vallettam *Juriſconſultum eximium, & Latinis, Græcisque literis florentiſſimum, Qui regio animo, ac ſumptu celeberrimam Neapoli Domi ſuæ bibliothecam ex probatiſſimis Authoribus omnium admiratione, ac plauſu comparavit. Per Argilochum innuit* Franciſcum Solimenem *Pictorem ſui temporis egregium, antiquis ipſis vel invidendum, Muſiſque Ethruſcis perpolitum.*

MILCON, DORYLAS, ANTIGENES.

MIL. DIc mihi cui naſſas ſervas puer? an Polybotæ?
DOR. Non illi, at Lycabæ, Bajas qui nuper abivit.
MIL. Infelix piſcator, ovem qui neſcius iſti
Commiſit ſervare lupo; nam ſæpè reviſit
Hinc naſſam, & partem prædæ ſibi ſubripit udæ.
DOR. Tu fur, tu naſſis ſolitus ſubducere piſces,
Te modò cum præda fugientem ab litore vidi,
Cùm fumoſa citus Phraſidami tecta petebas,
Plurima ſæpè ſoles ubi, peſſime, condere furta.
MIL. Vidiſti, Doryla, ſed cùm te Liber habebat
Numine repletum multo, & dulcedine lætum.
Quippe tibi trullas mos eſt ſiccare rubentes,
Atque omnes vili vappa purgare tabernas.
DOR. Iſta viris, perverſe? mihi non murice pictam
Clam nuper concham medio furatus ab antro es?
MIL. Nunc etiam inflaris temulento, ut ſemper, Jaccho:
Non reddenda mihi pro pignore? protinus hinc te
Ni citò proripias, ſaxo caput, improbe, frangam.
DOR. Tu Dorylæ noſtris ni te, ſcelerate, Comatas
E manibus toties rapuiſſet, mortuus eſſes.
MIL. Novit & ille tibi quoties cava tempora fregi.
DOR. Te, te ego: vicinus prohibet ſed plura ſatelles.
Dic, age, danda tibi quonam pro pignore concha?
Poſt mihi (nec fugies) pœnas tu, perfide, ſolves.
MIL. Te quia tunc mecum certantem carmine vici.
DOR. Tu me cantando? non tùm mea carmina fluctus

Mirati, & rigidæ movere cacumina rupes?
At te, cùm fracta ſtreperes, indocte, cicuta,
Nereides, pelagique omnes ſprevere puellæ,
Visne iterum certare? novo certamine victus
Tùm me cantando viciſſe fateberis ipſe.
In medio ſtatuam duo pocula, quæ mihi Gallus,
Cùm procul Armoricis veniſſet portitor oris,
Vendidit Eurialus, Cumarum in litore quondam.
Divini eſt opus Argilochi, qui pocula fecit.
(Argilochum memini Eurialum dixiſſe magiſtrum)
Depicta in medio ſpectantur cærula, & udis
Stat ſenior, Batto ſimilis, piſcator arenis,
Cui nudo nimium nitenti educere ponto
Retia, purpureo turgeſcunt ſanguine venæ,
Et duri multo tenduntur robore nervi;
Omnibus ut credas piſcari viribus illum,
Non longè ſedet in ſcopulo formoſa puella,
Seu vitrei ſit Nympha maris, ſeu litoris una,
Quæ viridem vario diſtinguit flore corollam
Myrto intertextam, nitidisque aſpectat arenis
Piſcantem, & riſu ludit dea pulchra ſoluto.
Parte alia ſurgens aprico vinea colle
Uvis luxuriat maturis, parvulus illam
Cuſtodit puer, & roſeo pulcherrimus ore eſt,
Qui ſepes propè vimineas conſidit, & illum
Stant geminæ circùm vulpes, quarum altera vites
Per medias curſat, quà dulcior uva racemo
E læto pendet, folioque intecta virenti
Clam latet, & dulces morſu depaſcitur uvas.
In peram verſata dolos ſtruit altera furtim,
Atque pyra, atque nuces, atque aurea mala rapaci
Subripit ore. Puer capiendis manè cicadis
Intexit junco caſſes, nec mitia poma.
Nec vites quicquam curat: ſed totus in uno
Eſt opere: & puero ſua ſunt puerilia curæ.
Nec labra admovi, quamvis me ſæpè rogaret
Niſa: ſed intacta ex illo ſervantur in arca.

Mirabilis poculi deſcriptio ex Theocrito mutuata.

MIL. At mihi nodoſo ſunt bina corallia trunco,
Nuper Teleboum dura de rupe revelli:
Hæc ſint victori ſua munera: plura neque auſim
Ponere; nanque domi, ò Doryla, mihi dura noverca,
Et durus pater eſt, arca qui condita ſervant
Cuncta: nec eſt quicquam, quod clam ſubducere poſſim.
DOR. Jam certare placet: veniam quòcunque vocaris
Non me iterum effugies: faciam, certamine victus

Ne

Ne Dorylam, aut alium posthac tu voce lacessas.
Audiat hæc tantùm, vicino in margine ripæ
Qui sedet, & Zephyros, & dulcia frigora captat,
Antigenes: nunquam sic me vicisse negabis.
MIL. Nec te, nec quenquam fugio. Bonus hùc age nostras.
Antigenes, audire veni, & laudare Camœnas.
ANT. Dicite jam, pueri, molli consedimus alga,
Frigus ubi lato præbet curvamine rupes,
Lumine nunc cœlum puro nitet; æquora rident,
Et placidi rident Zephyri, luduntque per undas
Nereides, vitreosque revisunt Najades amnes.
Dic prior, ò Doryla; referet mox carmina Milcon:
Ludite & alternis; nam alternis ludit Apollo.
DOR. Cærulei fluctus, & marmoris ima canori,
Dicite, si Dorylas cantavit amabile carmen:
Dicite, festivas & gurgite tollite voces:
Si secus, immoto torpescat in æquore pontus.
MIL. Muscosæ cautes, & aquis lita saxa marinis,
Aurea si calamo deduxit carmina Milcon,
Ostreaque, & læto conchylia gignite succo.
Si contra, vacuas sinè succo effundite conchas.
DOR. Cùm lentus canerem sub tegmine rupis opaco,
Quà super incumbit placidissima Mergelline,
Nereides vitreis se tollere protinus undis,
Et placidos miscere choros ad carmina vidi.
MIL. Quà se Pausilypus deducit in æquora clivo,
Dum sedeo, & gracili deductum carmen avena
Sæpè itero, dulci Sirenes murmure captas
Aspexi ad litus celeri properare natatu.
DOR. Me scopuli, Misene, tui, collesque Dicarchi
Viderunt suavi mulcentem carmine Phocas.
MIL. Me Prochyte aspexit muscoso in vertice saxi
Cantantem rigidas mollire in fluctibus Orcas.
DOR. Retia si jacio, veniunt ad retia pisces:
Si nassas, pingui gravitant sub pondere nassæ.
MIL. Nunquam cæruleis immergitur hamus in undis,
Qui mihi non molles ferat alto à gurgite prædas.
DOR. Dum viridi è scopulo nudus sub marmore mergor,
Ostrea dura lego, & pingui conchylia succo,
MIL. Cùm noctu nitidis perlustro litora flammis
Octipedes rigida divello è rupe paguros.
DOR. Blanda mihi semper Fortuna, & cærula rident:
Et formosa suo ridet mea Nisa marito.
MIL. Aurea decurrunt mihi secula: marmora nunquam
Dura mihi, & nunquam tristes Amaryllidis iræ.

DOR.

DOR. Dic (1) quibus in terris (& eris mihi Proteus alter)
Subter aquas jacto nascantur semine conchæ?
MIL. Dic (2) quibus in scopulis felicibus Iride picti
Versentur pisces, & pignora victor habeto?
DOR. Dic (3) ubi squamigeræ veniant ad litora prædæ
Sponte sua, manibusque udis captentur arenis?
MIL. Dic (4) ubi lacteolos progignant cærula pisces,
Os quibus est nullum, dorso nec spina rigescit?
ANT. Haud equidem vestras ausim componere lites;
Tu pateras: hic nigra corallia: dignus uterque.
Ducite jam nassas, pueri, nox humida venit.



LEO-

(1) Tarenti, ubi non longè à litore ingentes palos incolæ figunt, qui vertice supra aquas extant, in hosce è cœlo ros decidit, concharumque sufficit semina, corrupto græco vocabulo *Lo Fito* vocant: hæc indè è palis abstrahunt, subterque aquas ad ostia parvi sinus mittunt, vehemens ubi est maris fluxus, ibique mirum in modum excrescunt.

(2) Ad Pausilypum, ubi pisces triplici Iridis colore nascuntur, regios pisces Olympici vocant.

(3) In ora Rhegina ad Cænym promontorium, de quo infrà sæpè incidet mentio. Hìc enim Pelamydes à Delphinis agitati, marisque fluxu ferente, in terras incidunt: utque Delphines fugiant, in litus exiliunt, captanturque ab incolis nullo negotio: rem sæpè non sinè voluptate admiratus sum.

(4) Rhegii, & Messanæ: *Cicirelli* vulgus vocat, suavissimi saporis sunt, ac veluti lac coagulatum; de his plura in Halieuticis.

LEOPOLDO I.
CÆSARI, AUGUSTO,
PIO, FELICI, VICTORI,

E C L O G A IV.

C Æ S A R.

A R G U M E N T U M.

Vienna obsidione liberata, fuso, fugatoque Barbarorum exercitu, Strigonioque recepto, promissa Superum oraculo aurea mundo secula jam incipere, CÆSARI gratatur Poëta, cui, pulsis Europa Scythis, Orbis universi Imperium auguratur.

ACtiades Musæ, paulò majora canamus:
Non humiles cuncti myrtos sectantur, & algas.
Litora si canimus, sint litora Cæsare digna.
Tristia nunc tandem cessere oracula Divum,
Nec duros ultrà portendet (1) pagina casus.
Spes redit, Austriacisque iterum victoria castris,
Ac læti redeunt post tristia bella triumphi.
Incipiunt jam fausta: vetus jam vertitur ordo,
Mutatæque vices rerum, nova nascitur ætas:
Et promissa Diis felicia secula Mundo,
Ac magni fluere incipiunt ex ordine menses.
Casta fave nunc Virgo; tuo si numine Cæsar
Vicit, & ingenti terras formidine solvit,
Hoc duce, si qua manent priscæ vestigia culpæ,
Tollentur, totoque Fides regnabit in Orbe.
Gens sancta ex alto mittetur, & impia passim
Desinet: èque polo veniens Astræa redibit
In terras iterum, & Saturnia secla reducet;
Pacatumque reget totum sub Cæsare Mundum.
Non miseros post hac nautas urgebit egestas:
Non labor uda mari committere retia, & imas

Non

(1) *Martini Stredonii Soc. Jes.* qui adversa primùm, mox prospera Cæsari futura prædixit.

Non opus eſt reflui perquirere gurgitis undas.
Ipſa ſinu prædas mittent læta æquora, & udi
Sponte ſua venient captivi ad litora piſces.
Ipſi & odorati muſco ſcopuli, & lita ſaxa
Fluctibus, & duræ fundent conchylia rupes.
Ridebunt lenes auræ, Zephyrique ſalubres,
Et tranquilla levi criſpabunt cærula flabro.
Nam procul horriſoni pacato ex æthere nimbi
Semper erunt; rigidæque ſilebunt rupe procellæ,
Nec nautis Hyades metuendæ, aut enſe minaci
Qui mare, qui terras, quique aëra quaſſat Orion,
Ulla nec aſſurgent poſthac mala ſydera Mundo.
Non vacuæ metuent Lunæ diſpendia conchæ,
Nec foliis illas unquam lentiſcus amaris
Inficiet: pleno turgebunt ubere conchæ,
Ac dulci ſemper pingueſcent ubera ſucco.
Nullæ prædonum vexabunt cærula puppes:
Noſtra nec infames curſabunt litora lembi.
Non fraudes aderunt, ſævæ non amplius iræ:
Non mala furta, dolique, execrandæque rapinæ,
Et nullæ ſcelerum facies: poſt terga revinctæ
Æternùm ſtabunt Furiæ, Diræque ſorores:
Semper & horrendi claudentur limina Jani;
Sordebitque ſua exeſum rubigine ferrum.
Non ſylvas paſtor, non deſeret arva colonus
Invitus, rigidique gemet ſub pondere Martis:
Et curvæ falces non conflabuntur in enſes.
Non vitreas piſcator aquas, nec ſcrupea linquet
Saxa, nec ærata ſulcabit marmora puppi,
Atque inſueta gravi tentabit bella tridente.
Rupe ſed umbroſa frigus captabit opacum,
Blandaque litoreas revocabit ad otia Muſas
Pax erit: ex alto pacem regnator Olympi
Spondet: & optatam ſpondent bona ſydera pacem.
Pauca tamen peragenda priùs ſunt bella per Orbem:
Expugnandæ urbes ferro, durique domandi
Jazyges (1) immaneſque (2) Avares, Hunnique rebelles;
Inde

(1) Jazyges Metanaſtæ Europæ populi inter Danubium, & Carpathum, qui nunc Hungariæ montana tenent, quorum metropolis Caſſovia, à vulgo Alta Hungaria dicitur, quæ tota ferè Auſtriacis parebat ante recentes tumultus. (2) Avares, & Hunni populi, qui primùm circa Mæotidem paludem inhabitantes, mox in Pannoniam migrarunt, quæ Hungaria ab ipſis dicta eſt.

Inde (1) Scythæ, & dirus (2) Maomethes, (3) Caſpia victus
Qui jam clauſtra petit, fugientem (4) Bactra, neque Indi
Tutantur: longè ſylvas, ſaltusque peragrat
Riphæos, (5) latebrisque vagus ſe condit (6) Imaï.
Te manet hic labor, ò noſtri decus, ò amor Orbis,
AUSTRIADE CÆSAR: Teque unum Fata repoſcunt
Everſorem Aſiæ: rapidum ceu fulmen, in hoſtes
Ibis, & horrenda quaties formidine gentes.
Mox ubi barbarica pulſo cum gente tyranno,
Imperium Eoi, ſedemque tenebis avitam,
Invades Aſiam, ſpoliis (7) Babylona ſuperbam
Diripies, & regna Cypri vaſtabis opima.
Hinc Syriam evertes totam, fœcundaque Nili
Regna, & palmiferam ſubmittes victor (8) Idumen.
Hìc (nimium ò felix, hominum pater, atque Deûm rex
Te, te in ſpem tantam, tantosque reſervat honores)
Sanctam Urbem intrabis, regum ſtipante corona,
Numen adoratum, & dulci dabis oſcula ligno,
Unde ſalus nobis orta eſt, & gaudia Mundo.
Auſpiciis & jam lætis, felicibus & Diis,
Talia concordes nent aurea ſecula Parcæ.
Aggredere ò tantos, ſpondet quos Numen honores,
Chara Deo ſoboles, magnum Fidei incrementum.
Aſpice totum imo concuſſum à cardine Mundum,
Oppidaque, urbesque, & nutantia regna ſub armis,

(1) Turcæ ex Scytharum gente, qui anno 625. Heraclio Imperatore, per portas Caſpias in minorem Aſiam ingreſſi pro Imperio Romano militarunt: mox in Scythiam reverſi, irrupere iterum anno 958. Conſtantino Copronimo Imperatore, & Perſidem primùm, hinc Aſiam minorem, & totum Orientis Imperium occuparunt, capto Byzantio ſub Maomethe II. anno 1453. (2) Quartus hoc nomine Turcarum Rex.

(3) Pylæ, ſeu portæ Caſpiæ, per quas ex Scythia in Aſiam aditus patet, ſive ex Media in Partiam, anguſtiæ inter montes, vulgò *Le porte di Teſlis.* (4) *Termend* vulgò, non longè à Caucaſo, qui *Cocas*, & *Cochias*, dicitur, & per totam Aſiam extenditur. (5) Aſiæ mons Scythiam ſecans, Sarmathiamque, vulgò *Oby* dicitur, quo nomine fluvius etiam appellatur. (6) Mons Scythiæ, ex quo Scythia intrà, & extrà Imaum appellatur: longè per Aſiam extenditur: In Tartaria nunc *Moregar* barbaris indigetatur, in India verò *Dalanguer*. (7) *Bagdat*. (8) Idumea, quæ in ſacris literis Edom dicitur, ab incolis *Bidumi*.

Aſpice, læta novo gratentur ut omnia ſeclo.
O mihi ſi tantum concedant Numina vitæ,
Egregios quantum ſat erit celebrare triumphos,
Et partam imperio pacem, & tua dicere facta.
Non me divinus poterit ſuperare canendo
Actius, aut dignas cecinit qui Conſule ſylvas;
Sicelides quanquam adſint huic, Craterides illi.
Judice ſi mecum certet Deus ipſe Palæmon:
Judice ſe, victum dicet Deus ipſe Palæmon.
Incipe, macte animis, claras decerpere palmas;
Et tua victrici intertexere tempora lauro.



ALPHONSO PHILAMARINO

TURRIS DUCI CLARISSIMO.

ECLOGA V.

THYRSIS.

ARGUMENTUM.

Corydon, & Mopſus piſcatores Thyrſidis Olympici piſcatoris mortem deflent, alterque epitaphium, apotheoſin texit alter: ſub Thyrſidis perſona luget poëta familiariſſimum ſuum Aſcanium Philamarinum, *Aſcanii Cardinalis nepotem, Turris Dominum, qui acerbiſſimo occubuit fato, ſummo totius Civitatis mœrore. Vir, & conſilio promptus, & ingenio: moribus verò candidiſſimis, & ad ſibi omnium animos comitate, & officiis promerendos unicè factus: Pater Patriæ meritò appellatus, quippè qui nunquam à patritia gravitate dictis, aut factis ne latum quidem unguem delabi viſus eſt, ut cæteris Nobilibus virtutum omnium egregium eſſet exemplar. Per Corydonem intelligit* Alphonſum Philamarinum *demortui germanum, cui in acerbiſſimi funeris ſolatium Eclogam conſcripſit poëta, eique nuncupat, omnemque felicitatem precatur.*

CORYDON, MOPSUS.


COR. CUr non, Mopſe (leves quoniam demiſimus undis
Jam naſſas, longo capturas tempore prædas;

Et tenues calami nobis, & carmina) molli
Hìc musco super intereà consedimus ambo?
MOP. Tu major, Corydon, faciam quodcunque jubebis.
Aut hìc quà Zephyri strepit aura, & murmurat unda;
Sive tibi gelidum potius placet ire sub antrum.
Aspice, ut ante fores myrtus stipaverit antrum,
Atque leves subter sternantur molliter algæ.
COR. Litoribus nostris unus tibi certat Jolas.
MOP. Quid si idem certet Tritona lacessere cornu,
Et niveos inter delphinas Ariona cantu?
COR. Incipe, Mopse, prior (sunt & mihi carmina) si quas,
Synceri vel habes laudes, vel jurgia Batti,
Incipe: nam pelago nassas servabit Amilcon.
MOP. Imò hæc, quæ vitreas deduxi nuper ad undas,
Jam repeto: mox ipse mihi fac certet Jolas.
COR. Ut mergos dulci superant modulamine cycni;
Judicio nostro, sic carmine vincis Jolam.
MOP. Desine plura, puer; vacuo successimus antro,
Nereides Thyrsin crudeli morte peremptum
Flebant: vos testes scopuli, vos litora Nymphis:
Cùm conjux amplexa viri miserabile corpus
Perfudit lacrymis, & questubus aëra complet:
Sæpè Deos, sæpè astra vocat crudelia conjux.
Nulli cæruleis illis errare diebus,
Nec resilire leves visi Delphines in undis:
Non & sueta citi venere ad pabula thynni.
Thyrsi, tuum Phocas etiam ingemuisse per æquor
Interitum, fluctusque maris, cautesque loquuntur.
Thyrsis Olympiacas cursu contendere cymbas
Instituit, lætisque dedit certamina nautis,
Et ludos Thetidi, & solennia vota quotannis.
Fluctibus ut piscis decori est, ut ostrea saxis,
Litoribus myrtus, scopulis ut muscus odoris,
Sic nobis decor omnis eras: sed tristia postquam
Eripuere tuis te Fata, immitia Fata!
Ipsa Thetis fluctus, & Nereus ipse reliquit.
Retia sæpè, leves quæ misimus humida in undas,
Purgamenta maris, quassataque ligna tulere:
Pro pingui Mullo, pro cæruleo Melanuro,
Muscus, & infelix provenit gurgitis alga.
Spargite humum foliis, puppesque ornate corollis.
O piscatores; petit hæc sibi munera Thyrsis.
Erigite hìc tumulum, tumuloque inscribite carmen:
Thyrsis ego hac quondam capiebam notus in acta
Formosos calamo pisces, formosior ipse.

COR. Tale mihi, divine puer, tua buccina cantu.
Quale truci pelago jactatis litora, quale
Sole sub ardenti Megara venientibus umbra.
Fortunate puer, non amisisse magistrum
Nostra tibi læto gratatur Olympia plausu.
At nunc cærulea quæcumque hæc carmina concha
Expediam, tollamque tuum sub sydera Thyrsin:
Thyrsin in astra feram; dilexit nos quoque Thyrsis.
MOP. Nil erit, ò Corydon, nobis hoc munere majus,
Munere & hoc dignus fuit ille; & carmina nobis
Jampridem ista Mycon laudavit, lentus ad umbram
Cùm mecum molli sarciret vimine nassas.
COR. Lucida purpureus summi subit atria cœli,
Et vaga sub pedibus despectat nubila Thyrsis:
Perque alios amnes, tranquillaque marmora Divùm
Felices sequitur pisces, felicior ipse.
Ergo alacris fluctus, & litora læta voluptas,
Et lætus pacata tenet per cærula nautas.
Tempestas jam nulla mari: non sævus Orion
Æquora turbabit nimbis, læta otia felix
Thyrsis amat, Divosque inter jam gestit ovantes;
Ipsi lætitia cœlo sua murmura tollunt
Æquorei fluctus: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant cava saxa; procul responsat & Echo:
O Corydon, Deus ille, altarum & numen aquarum.
Sis felix, faustusque tuis: tibi litore septem,
Quot pater ipse tenet Nereus, altaria ponam:
Quæ mihi Pausilypus fert aurea vina quotannis
Spargam lætus humi, viridique altaria musco
Intexam, sociis hilarans convivia læta.
Surget si Caper, ante focum, si Cancer, in umbra,
Tityrus intereà, & fulvus cantabit Amyntas;
Neriedum choreas imitabitur alba Lycoris:
Delphinum & saltus imitabitur Artemidorus:
Hæc sacra, Thyrsi, tibi faciam solennia semper,
Seu tumidum remis findam mare, litore noto
Seu mihi subductam firmabunt saxa phaselum.
Dum Nesis pelago stabit, dum litore surget
Pausilypus, fluctusque maris dum piscis amabit,
In terris semper, semperque per æquora notus
Thyrsis eris, laudesque tuæ, tua facta manebunt.
Ut Nereo, Glaucoque vovent in gurgite nautæ,
Sic tibi, Thyrsi: reos damnabis tu quoque votis.
MOP. Tali digna tibi quæ reddam carmine dona?
Nam neque me tantùm labentes pumice fontes,

Nec

Nec Zephyri tantùm delectant murmura, nec qui
Propter aquas dulci modulantur gutture cycni.
COR. Ipse sed ante mihi hac ibis donatus avena:
Hæc nos. Parthenidem ardebat piscator Jolas,
Hæc eadem docuit, cui nassas? an Polybotæ?
MOP. Accipe tu concham, qua nos donavit Amyntas,
Donatam & mihi tunc doluit pulcherrimus Anthus.
COR. Sed jam surge puer; de litore clamat Amilcon:
Tempus: & è pelago plenas educere nassas.



MARCO ANTONIO JUSTINIANO

VENETORUM DUCI SERENISSIMO.

E C L O G A VI.

G L A V C V S.

A R G U M E N T U M.

Venetorum *classi in Orientem ex Italia solventi, cum Auxiliariis copiis,* Innocentio XI. *Pont. Max. adhortante, poëta sub Glauci persona felicia omnia auspicatur.*

SI juvat edomito de Thrace, Scythisque superbis,
Te Duce, venturas patriæ prænoscere palmas,
Huc ades, Adriaco veniens de litore, Marce
Antoni, atque animum à curis averte parumper,
Quæ jam fatidicus nautis oracula Glaucus
Obscura sub nocte dedit, nunc accipe; magnæ
O decus Ausoniæ, & Venetæ clarissima gentis
Gloria; litoreas nec dedignare Camœnas.
Fors erit, (ò utinam fortunent Numina vota!)
Ut tibi grande meo veniat de carmine nomen,
Cùm duce te, partos cantabo ex hoste triumphos.
Piscatu Stabiis multa jam nocte redibat
Bajanus Milcon; sociique per æquora cymbam
Pellebant Lycabas, & Surrentinus Amilcon.


Nulla

Nulla cavo flabat vicini à flumine (1) Sarni
Aura mari: at puro splendebat ab æthere Luna,
Et subtùs tremuli splendebat marmore ponti:
Jam veterem in (2) scopulum, qui servat ab Hercule nomen,
Venerat: audiri cœptus cum litore ab udo
Fatidicus Glaucus, tumidi qui monstra profundi
Innubi sub nocte solet mulcere canendo.
Quin & sæpè canit trepidis oracula nautis
Cæruleus pelagi Vates, aperitque futura.
Et tunc vaticinans Deus hæc ex ore profatus.
GLAU. Ægæi tumidas percurrere puppibus undas
Victricem aspicio classem, plena æquora velis,
Et longis video remis freta pulsa sonare.
Aspirant lenes Zephyri: præit agmina prima
Adriacus Leo, quem centum comitantur ovanti
Cum plausu, fremituque rates: juxtàque carinas
Assultant læti Delphines, & humida ponti
Gens tota, & vario ludunt per marmora cursu.
Ipsæ etiam pelago surgunt Nereides udæ,
Oræ omnes pulchræ, nitidisque in vestibus omnes,
Et niveis omnes, discincta veste, papillis,
Nudæ humeros, nudæque genu, sparsimque solutæ
Cæsariem per colla levem, vitreasque per undas
Solennes ducunt, Nereo plaudente, choreas:
Concertantque vago puppes ambire natatu,
Dum resona Triton cita personat æquora concha.
Scilicet egregios jam nunc spectare triumphos,
Et debellato palmas ex hoste videntur.
Unda fremit plausu: geminant cava litora plausum:
Laudibus & meritis Venetus Leo tollitur astris.
Illius adventu pulsos dare terga Gelonos
Jam video, celerique fuga se trudere in (3) Hellen.
Ceu timidi fugiunt sylvosa per avia damæ,
Cum propè venator jaculo ferus, & canis instat
Latratu; & nemorum cæcis conduntur in umbris.
Sed nec securos se faucibus Hellesponti
Stare putant: fugiunt trans (4) Bosphoron, atque per altum
Euxinum in gelidas contendunt (5) Phasidis oras.
Exultant lætæ Cyclades, Venetumque salutant

Vi-

(1) *Fiume di Scafati*. (2) *Rovigliano* aliis est *Scoglio d'Orlando* inter Stabias, & Vicum Æquensem. (3) *Stretto delli Dardanelli.* (4) *Canale del Mar negro, ò Stretto di Costantinopoli*. (5) *Fasso* urbs, & fluvius Cholcorum *Giorgia*.

Victorem, & festas jactant ad sydera voces.
Auratasque sinu puppes, gentemque togatam
Accipiunt, sparguntque novos per litora flores.
Libera servitio (1) Leucas, servataque plaudit
Nicopolis: (2) socio responsat Græcia plausu.
Ipsa sed ante alias fremitu gratatur ovanti
Nascenti data Creta Jovi, populoque potenti
Applaudit servata, jugoque exuta Tyranni
Gestit ovans, plausuque sonant latè omnia circum,
Litoraque, scopulique, omnisque remugit Olympus,
Jam secura metu sunt omnia: rura colonus
Exercet sua: gramineas errare per herbas
Jam tutæ incipiunt capræ, simæque capellæ.
Populea pastor recubans securus in umbra,
Attritos certat calamos compingere cera,
Dulcia, & agrestes revocare ad carmina Musas.
Securæ ludunt pecudes, saltusque peragrant
Dictæos; baculo puer armentarius illas
Cressus agit, pastuque sua ad præsepia ducit:
Et lætæ redeunt stabula ad Cortynia vaccæ.
Tutus & ipse sedet viridi piscator in acta:
Atque leves gracili dum texit vimine nassas,
Nereidas resonare docet cava litora cantu.
At socii intereà celeri vada salsa phaselo
Solicitant, captantque vagi per marmora pisces.
Nulla nocens currit mare puppis, & æquora nulli
Prædantur lembi: secure cærula pinus
Alta secant, Syrioque vehunt de litore merces,
Et fortunati convectant dona Canopi.
Nam victi fugere Scythæ: jam Caucasus illos
Rursus habet: cœcis & saltibus abdit Imaüs:
Atque Afer pulsus Lybiæ in deserta refugit,
Hæc dedit: & magno plauserunt murmure Nymphæ,
Et vada Tritones pulsarunt humida cornu.



ECLO-

(1) *S. Maura*, (2) *La Prevesa* ab Augusto condita contrà Actium, post victum M. Antonium, & Cleopatram.

ECLOGA VII.

EPÆNETERIA.

ARGUMENTUM.

Cum fortè Tityrus pastor, & Amilcon piscator convenissent, Sylvestrem alter vitam, litoream laudat alter.

TITYRUS PASTOR, AMILCON PISCATOR.

Fortè Dicarchæis servabat montibus hœdos
Tityrus, argutæ recubans sub tegmine quercus:
Hìc & lentus oves tenui mulcebat avena,
Ad sua sylvestres compellens carmina Divas:
Cùm longè Baiis veniens piscator Amilcon,
Fasce sub ingenti pressus consedit ad umbram.
Ut piscatorem conspexit Tityrus, inquit:
Non hæc, piscator, vobis sunt otia læta
Litoribus, non blanda quies, non vita beata est:
Cui piscator ait: Nobis sunt otia læta
Litoribus, tranquilla quies, & vita beata est.
Versibus hinc ambo incipiunt certare vicissim:
Tityrus & sylvas laudabat, litora Amilcon.
TIT. Nos hic vere novo in sylvis, cum lumine puro
Purpurei fulgent Soles, & lucidus æther:
Cùmque rubere novis jam prata coloribus, & jam
Incipiunt læto turgere in cortice gemmæ,
Et nidum tignis jam garrula figit hirundo,
Per virides latè colles, & florea rura
Erramus læti, & cœlo gaudemus aprico.
AM. Tunc nos; blanda mari quoniam pellacia ridet,
Et pura sub luce dies micat aureus, & jam
Felici crispant Zephyri placida æquora flabro,
Muscosos inter scopulos, & litora cymba
Cursamus, mollesque citi per cærula jactis
Retibus, aut longa captamus arundine prædas.
TIT. At verò nimiis cùm jam fervoribus æstas
Incipit exardere, nemus tunc inter opacum
Ac gelidos inter fontes, & flumina circùm
Optatas auras, dulcesque inquirimus umbras.
Hìc & sub patulæ prostrati tegmine fagi,
Sylvestrem tenui meditamur arundine Musam:
Et tristes cantu curas solamur amaras.
Nos hìc & rauco delectant murmure rivi,

Dum

Dum per ſaxoſæ decurrunt concava vallis.
AM. At nos æſtate in media, dùm litora fervent,
In vitreas pelagi nudi deſcendimus undas.
Hìc juvat & celeri Delphina laceſſere curſu,
Et crebrò variis aſſultibus ire ſonantes
Subter aquas, vitreasque domos luſtrare profundi:
Mox & cæruleis emergere protinus undis.
At nunc in viridi conſidere vertice ſaxi,
Muſcus ubi ſuavem de caute exhalat odorem.
Alta dies medio ſed cum libratur Olympo,
Nos antrum in gelidum contendimus: hìc ubi mollis
Mixta hederis myrtus veſtit pallentibus antrum,
Roſcidus èque cavis diſtillat rupibus humor,
Cærulea longè pulſamus litora concha,
Litoream & Muſam, & dulces cantamus amores.
TIT. At nos per ſylvas, Zephyris motantibus umbras,
Argutæ mulcent vocali murmure quercus,
Atque avium cantus inter virgulta canori.
Hìc philomela loquax, & garrula turtur ab ulmo,
Et rauca ardenti reſonans ſub Sole cicada
Sæpè levi ſomnum ſuadent captare ſuſurro.
AM. Nos in litoribus, Zephyris criſpantibus undas,
Et pelagi murmur, percuſſaque litora fluctu,
Ac tenuis raucæ delectat ſibilus auræ.
Nec vicina ſilent myrteta, & concava ſaxa,
Sæpè ubi pennigeræ volucres modulantur ad auras.
Hìc feſſis gratum membris vaga murmura ſomnum
Conciliant, fractæque ad litora leniter undæ.
TIT. Hìc nemore umbroſo cœtus ſpectamus ovantes
Nympharum, Dryadasque inter, rurisque puellas
Ducimus immixti choreas, & Oreadas inter
Erramus ſummis in montibus, atque repoſtos
Luſtramus ſaltus nemorum, ſedesque beatas,
Hìc Satyros etiam ſaltantes cernimus ipſos;
Sæpius & calamos, ſylveſtria Numina, Panes
Inflare ad cantum, & Divas iterare cachinnum.
AM. Inter Nereides cœtum nos ducimus udum,
Atque leves agimus vitreo ſub gurgite luſus,
Doris ubi formoſa choros exercet ovantes.
Nos hìc Tritones pulſantes æquora cornu
Audimus, Proteumque ſenem, Glaucumque canentem;
Cernimus & vario Delphinas ludere curſu;
Nec pulchræ deſunt per litora nota puellæ,
Non & Naïades redimitæ tempora muſco,
Quæ dulces nectant choreas, & carmina dicant.

TIT. Cùm verò Autumno in pingui vindemia ſpumat,
Atque ſua paſſim ſternuntur in arbore poma,
Sylveſtres ludos celebramus, & orgia Bacchi.
Tunc & dona Deûm, & lætas decerpimus uvas,
Atque nuces, & poma, & caſtaneas hirſutas:
Non & oves deſunt nobis, nec copia lactis.
AM. At nos Neptuni ludos celebramus in undis:
Et curſu cymbæ, & juvenes certare natatu
Feſtinant, plauſuque ſonant cava litora, & æquor,
Phycides haud nobis deſunt, rutilæque per undas
Auratæ, Rhombique, & amantes ſaxea Pagri.
Oſtrea dant ſcopuli, & pingui conchylia ſucco;
Undique & armatos radiis venamur echinos;
Et pingues mediis (1) onychas ſcrutamur arenis.
TIT. Nos, dum Bruma rigens disrumpit frigore ſaxa;
Et rapidos glacie curſus infrænat aquarum;
Ante focum, ſuccenſus ubi non deficit ignis
Plurimus, & pingues ſtant tædæ, & fiſſile robur;
Et dulces chara circumſtant conjuge nati;
Frigora ridemus, flatusque Aquilonis iniqui.
AM. Nos, quia triſtis hyems latè maris aſperat undas,
Et patrium tectum, & fumoſa reviſimus antra;
Hìc tantùm pelagi curamus murmura, quantùm
Aut Delphin numerum, aut inſanos litora fluctus,
Deſine ſed jam, Paſtor, iter mihi reſtat agendum:
Tu ſylvas, & rura colas: ego litora, & undas;
Nam ſive in ſylvis, ſeu curvo in litore, lætam
Quiſque ſuo vitam contentus munere ducit.



ECLO-

(1) *Cannolicchi* vulgus vocat, ex arenis educunt nautæ ad Sebethum, & Olympiam oram: dulciſſimi ſaporis ſunt, habenturque in deliciis.

E C L O G A VIII.

GENETHLIACA.

ARGUMENTUM.

Zephyræus, & Artemidorus cùm VIRGINIS Templum, quod in extrema Olympia ad Pausilypi radices juxtà cryptam, quà via Puteolos ducit, extructum est, natali die ad pompam celebrandam, ut moris est, convenissent, illius genethliacum texunt.

ZEPHYRÆUS, ARTEMIDORUS.

VIRGINIS Augustæ ad templum sub monte repostum
(Namque dies natalis erat) convenerat omnis
Pausilypi, Megaræque manus; Zephyræus aprico
Pausilypo, Megara descenderat Artemidorus:
Nare periti ambo, & durare in fluctibus ambo,
Velocique vagum Delphina lacessere cursu:
Et versus cantare, & acuta ludere canna.
Tùm prior hæc patula vitis Zephyræus ab umbra.
ZEP. Natalem, VIRGO alma, tuum lux aurea vexit,
Lux semper Mundo, & mihi læta: age, Delie, currus
Siste rotas properantis: aquas ne tangere tantùm
Festina: pede lentò ut eas, similisque moranti,
VIRGO jubet; laudes celebrandæ VIRGINIS hujus
O utinam si anno flueret mihi longior hæc lux.
VIRGINIS est Natalis, age, ede, ò buccina, cantus.
O piscatores, date flores, spargite muscum,
Sacraque cæruleis altaria cingite vittis.
Et vos, ò pueri, atque intacto flore, puellæ,
(Vos amat hæc VIRGO) calathis nunc lilia plenis,
Rubentesque afferte rosas, casiamque nitentem:
Pulchraque nascenti subtexite serta Puellæ.
VIRGINIS est Natalis, age, ede, ò buccina, cantus.
Candida gemma velut concrescit matris in alvo;
Et nitida ætherias cœli se prodit in auras:
Sic matris concepta utero mundissima VIRGO
Candidior nive, purpureisque nitentior ipsis
Erumpit gemmis: mirantur sydera, & omnes
Cælicolæ, & roseis delibant oscula labris.
VIRGINIS est Natalis, age, ede, ò buccina, cantus.
O VIRGO formosa, Deo gratissima VIRGO,
Jam tibi nascenti se per tua tempora flectunt
In gyrum stellæ, & radianti luce coronant:

Jam tibi Luna vagos submittit frontis honores:
Atque suis nitidum radiis subtexit amictum
Purpureus Titan, circùmque nitoribus ambit.
VIRGINIS est Natalis, age, ede, ò buccina, cantus.
Tu magni regina maris, tu sydus amicum
Nautis semper eris, lætum, & piscantibus omen.
Se tibi submittent, ventique, atræque procellæ,
Et sese prono curvabunt vertice fluctus.
Teque homines, Divique colent, dominamque vocabunt:
Ac tibi dona ferent hæc ad delubra quotannis.
VIRGINIS est Natalis, age, ede, ò buccina, cantus.
Hæc Zephyræus: opacæ innixus protinus ulmo,
Dicite, Nereides, quæ luserit Artemidorus.
Nec possum meminisse: canentem audire negabat
Turba virùm stipata: nec omnia possumus omnes.
ART. Omnia lętantur, Tellus, mare, sydera, cœlum,
Et Superi, atque homines: quid mirum? nascitur Orbi
Aurea nunc VIRGO; ut cùm matutina resurgit
Aurora, & gremio Solem paritura rubescit.
Divinum & Solem nostra hæc paritura Puella est,
Atque optata dabit felici gaudia Mundo.
Ducite solennes, bona pubes, ducite pompas,
Cernite, ut alma dies innubi effulsit Olympo,
Et roseos Phœbi currus, aurumque revexit;
Cernite, pacatis ut rideat æquor in undis,
Et Zephyri levis aura, & saxa virentia musco.
Omnia nunc rident: gratantur & omnia Divæ
Nascenti; Superique ipsi ad cunabula ludunt.
Ducite solennes, bona pubes, ducite pompas;
Non posthac rauco Triton per cærula cornu
Horrendos pelago nimbos instare monebit,
Nec frontem Sol ipse sua ferrugine tinget.
Nascitur en VIRGO: placantur VIRGINIS ortu
Et venti, nimbique, impacatæque procellæ:
Ac sua jam mites deponunt murmura fluctus.
Ducite solennes, bona pubes, ducite pompas.
O summo dignata Deo, dum despicit omnes,
Te te unam Pater elegit, divina Puella.
Incipe jam totum risu componere Mundum,
Tellurem, freta lata maris, camposque liquentes;
Incipe; lætæ adeunt tua jam cunabula gentes,
Annua Natalis recolunt dum gaudia lucis.
Ducite solennes, bona pubes, ducite pompas.
Ire juvat, vitreique maris perquirere fundum:
Vertere Tritonum latebras, & quicquid in alto

Do-

Doris avara ſinu latè abdit, ſive rubentes
Murice ſint conchæ, aut pictis interlita punctis
Oſtrea, ſeu curvo ramoſa corallia trunco,
Sublegere; illa feram naſcenti dona Puellæ.
Ducite ſolennes, bona pubes, ducite pompas.
Hæc illi: & memini veniſſe ad litora piſces,
Et rigidas caput erexiſſe à fluctibus Orcas.

ECLOGA IX.

DORYLAS.

ARGUMENTUM.

Dorylas Piſcator Jolæ pueri, quem Delphinus ſpinæ caſu transverberaverat, immaturum obitum deflet: illum autem ſolatur Anthus, Jolæ apotheoſin referens. Per Jolam Poëta ſub Dorylæ perſona, Alumno ſuo Orontio Montalvo, *& genere, & indole nobili illacrymat, qui omnium dolore, quoniam febri correpto vena inciſa eſt, interiit. Per Anthum verò intelligit* Nic. Cæſareum *demortui ſocium.*

DORYLAS, ANTHUS.

PIſcoſi vitreas (1) Lucrini nuper ad undas
Defunctum Dorylas flebat piſcator Jolam:
Lugentem Dorylam conſolabatur & Anthus,
Anthus amor Muſarum, atque Antho charus Jolas;
Et patri nimium Dorylæ dilectus Jolas:
His autem lacrymis, his queſtubus ora rigabat.
DOR. Quis mihi te, pulcher, quis caſus, ademit, Jola;
Et dulcem rapuit riſum, & mea gaudia tecum?
Heu! qui molle latus crudeli vulnere fixit;
Nate, tibi, & multo turpavit ſanguine membra?
Membra, olim niveus quæ vivida candor habebat:
Sed nunc pallor habet, fœdoque aſperſa cruore
Sordeſcunt: clauſique oculi: nec lumine fulgent,
Lumine quo noſtros tum venabantur amores:
Non placidus fronti color eſt, non gratia labris,
Atque inſueta permixti dulcedine riſus,
Riſus, quos Nymphæ ſuſpiravere marinæ:

Quæ

(1) Lacus Campaniæ inter Avernum, & ſinum Puteolanum maximè piſcoſus: multis eſt *Mare morto*, aliis *Lago di Licola*.

Quæ nunc discissis nimio mœrore capillis
Flebilibus passim replent vada salsa querelis.
Et pisces etiam, & tumidi fera monstra profundi
Te, miserande puer, nunc cassum lumine lugent.
Inscius & qui molle latus Delphinus acuta
Transfixit spina, & Fato demisit acerbo,
Attonitus jacet, & sese, stimulante dolore,
Discruciat, quæritque miser diffundere vitam.
At mihi quis vitam, & duræ fastidia lucis
Auferat? immiti nam funere te mihi rapto,
Dulce mori citiùs, longum sed vivere durum est.
Triste mari in medio tempestas horrida nautis,
Delphin Pelamydi, triste & Delphinibus Orca;
Puppibus & Syrtes; misero tua funera patri.
Quis mihi, quis posthac servabit in æquora nassas,
Retia & ad Solem expandet, madidosque rudentes,
Nate, parentis amor, dulcis mea vita, meum cor?
Namque puer mihi nullus erit, dum, pulcher Jola,
Occidis, & vili pallescis stratus in alga:
Ceu niveus medio Delphinus in æquore pallet,
Quem durus celeri tenuit per marmora cymba
Piscator fugientem, & acuta cuspide fixit.
Tu pelagi decor omnis eras, tu litoris hujus
Risus eras: tu dulcis amor, tu gaudia nostra:
Per te grata mihi quondam freta cærula: per te
Muscosæ cautes, & aquis lita saxa placebant,
Et dulces Zephyrorum inter myrteta susurri.
Omnia nunc sordent sine te: simul omnia tristis
Luctus habet, mæstæque silent Nereides antro,
Et tristis concham projecit in æquora Triton.
Crudeles Parcæ, & crudelis tu quoque Delphin;
Formosum patri quoniam eripuistis Jolam.
Unus qui vitam longos producere in annos
Debuerat, seròque pios invisere Manes.
Non vos oris honos, non frontis amabile lumen,
Nec faciles pueri potuerunt flectere mores?
Quid queror! haud species flectit pulcherrima Parcas.
Nec placidis hominum mansuescunt moribus unquam,
Ah puer! ah malè caute! nimis confidere monstro
Ausus, & insolito vitam committere ludo.
Ergo etiam læti crudelia funera lusus,
Et tristes pariunt luctus, atque inter amantum
Blanditias mors dura venit læta omnia turbans.
Ite procul calami: tenues piscator avenas,
Nec posthac dulces animabo ad carmina cannas,

Non

Non me Pausilypi vada læta, sinusque (1) Dicharchi
Aspicient vitreas deducere retia in undas:
Non viridem celeri visam (2) Nesida phaselo,
Atque humilem (3) Euplæam, quondam felicia nautis
Litora Pellæa venientibus urbe Dicarchum:
At mihi semper erunt sævi monumenta doloris.
Hos virides linquam scopulos, hæc litora, & antra,
Retiaque, & calamos, & vimineos labyrinthos:
Solus & in saxis, & litoribus desertis
Vitam infelicem per dura, per aspera ducam,
Quò tandem mites scindant mea stamina Parcæ.
Intereà hæc duro describam carmina saxo,
Carmina, quæ molli dum texit vimine nassas,
Piscator legat, & lacrymans suspiria fundat.
Delphinum in ludo hic periit formosus Jolas:
Hic Dorylas illum, & Nymphæ flevere marinæ.
Sed, puer ò delecte, vale, vale pulcher Jola.
Hæc dedit: & calamos jam frangere, & ire parabat,
Cùm flentem cœpit solari talibus Anthus.
ANT. Desine flebilibus cava saxa implere querelis,
Et tristem, Doryla, tandem solare dolorem.
Non dignus lacrymis puer ille: nec impia Fato
Sors illum misero rapuit: sed victor Olympo
Redditus, & Divos inter jam gestit ovantes.
Vidi ego, purpureus dùm Sol luceret in Orbe,
Turmatim in terras summo descendere cœlo
Aligerum cœtus: pictisque exercitus alis
Ardebat, citharisque omnes, cantuque fremebant.
Aspexi & tenues inter volitare per auras,
Et choreas agere, & lato proludere cœlo.
Cycnorum veluti niveum volat agmen, ab alta
Nube ruens, placidoque sonans implet æthera cantu:
Et vario circùm cursans secat aëra gyro.
Quos inter puerum (nec me sententia fallit)
Ire coronatum lauro, nitidoque coruscum
Lumine, & è terris cerno super astra volantem.
Atque hæc syderias longè resonare per auras
Audita est mihi vox, & reddita vocis imago
Sæpiùs ex alto: Cœlo jam victor Jolas

Ten-

(1) Puteoli. (2) *Nisita*, Insula Pausilypo objecta ad Occasum vergens. (3) *La Gajola*, Insula ad Notum Pausilypo opposita, sic dicta, quod naves Alexandria venientes cùm vidissent, bonam egisse navigationem lætabantur.

Tendit, io! Superi, venienti plaudite, & inter
Felices puerum cœtus, ſedesque locate.
Hæc Anthus: læto ſolatus & omine patrem eſt.

ECLOGA X.

CHRYSIS.

ARGUMENTUM.

Ladon Vrinator, Polydoro adhortante, CHRYSIDIS apotheoſin anniverſaria pompa celebrat. Per CHRYSIDEM D. Saverium *intellige: per Ladonem poëtam, per Polydorum* Joannem Berardum S. J. D. Saverii *cultorem egregium: meditatus hanc Eclogam poëta eſt, cùm jam ſe ad Indicum iter accingeret; hinc Vrinatores ad Gangis oſtia introduxit.*

LADON, POLYDORUS Indi Urinatores.

LAD. MIrabar, Polydore, mari dum nuper in alto
Immergor, rutilas piſcatum gurgite conchas,
Quid tanta, inſolitùm, narent conchylia fundo!
Vidi etiam è vitreo ſpumoſæ Tethyos amne
Hùc unà properaſſe Deas, ubi cærula Ganges
Lata ſubit, nitidasque auro deveċtat arenas.
Cæruleos hìc blanda Deos ad carmina, & ipſos
Auritos etiam piſces, & monſtra vocabant.
Ecce dies aderat, viċtor qua CHRYSIS Olympum
Aſcendit, novus æquoreis Deus additus undis,
Quà locus aſtriferi in medio vacat aureus orbis,
Inter Phillyridæ jaculum, Ægocerumque ſequentem;
Et nos ſtamus adhuc, nec reddimus annua magno
Vota Deo, lætique agimus ſpeċtacula pompæ?
POL. Scilicet id fuerat, Gangis quod nuper ad ora
Dum ſedeo, & rutilas auro perquirere arenas,
Carpere & è fluvio nitidos mihi cura lapillos,
Neſcio quæ læti canerent mihi carmina cygni.
Illos (credo equidem) ſtellato CHRYSIS Olympo
Ad pompam, ò Ladon, atque annua ſacra vocabat:
LAD. Sic ipſe, ò Polydore, reor, ſolennia Divo
Æquoris æquoreæ ducunt ſub gurgite Nymphæ;
Candentesque ſonant ripa in Gangetide cygni.
At tu quæ pepigiſſe mihi te carmina quondam
Dixiſti, vacuo recubans dum frigus in antro
Captabas mecum, tenui meditare cicuta,
Incipe: jam raucus cecidit Notus, atque ſilentes

Aſpi-

Aſpice tranquillo ſternantur ut æquore fluctus.
POL. Non eadem eſt ætas, Ladon: jam prorſus & illa
Sunt oblita mihi tot carmina: quin quoque vires
Defecere: ſeni mentem & longa abſtulit ætas:
Tu puer, & meminiſſe potes, mihi nuper ad undas
Dic, quæ litoreis cecinisti carmina Muſis.
LAD. Immo hæc, quæ nitidas medio de gurgite conchas
Dum refero in litus, Divo properata parabam,
Jam repetam, & reſona complebo cærula concha.
POL. Incipe: pacatis en jam tibi Doris ab undis,
Et tibi gemmifero applaudit de gurgite Ganges.
LAD. Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Quæ nunc, ò Divæ (1) Chryſeides, æquora læta
Quæ colitis, roſeus ſurgit qua Phœbus ab undis,
Litora vos mihi, vel fluviorum panditis ora,
Chrysidi lætus ubi ſolennes ducere pompas
Incipiam, & muſco redimita altaria ponam.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
An ſedet hìc, Nymphæ, quà turgidus influit auro
Ganges, & rutilas gremio Thetis accipit undas?
Noſco, Divæ, omen: ſacra hìc altaria ponam
Muricibus contexta rubris, albiſque lapillis.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura concha.
Oſtrea da, Polydore, mari quæ duximus alto,
Et miris referunt variata coloribus Irim.
Affer & è duris evulſa corallia ſaxis.
His ego cæruleis contextam altaria donis.
Tu, Chrysi, in medio, tot quando cærula conchas
Effudere ſinu, tua munera, gemmeus eſto.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Hùc age, Lyda, veni, fer tecum maſcula thura,
Portitor illa mihi quæ quondam vendidit Afer:
His ego thuriferis incendam altaria donis.
Affer & apricis quæ collibus uva miniſtrat
Vina mihi, totumque cadis ſervata per annum:
Illa ego diffundam læta hæc altaria circùm,
Et duo, Chrysi, tibi, & Didymo duo pocula patri.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Jam fortunatus ſummo conſidis Olympo
Perque alios erras amnes, & cærula Divûm,


(1) Nymphæ Eoi maris, ſic dictæ à ſinu Magno, qui & Chryſe ab antiquis appellatus eſt: hodiè vulgò dicitur *Golfo di Sian.*

Cærula, quæ nunquam perturbant flamine Cori;
Sed Zephyro semper gaudent, semperque per undas
Cœlestes ludunt, felicia Numina, Nymphæ.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Cuncta tibi nautæ per litora, quæ vaga Doris
Alluit, & latè vaga circuit Amphitrite,
Septem Aras ponent, totidemque ex more quotannis
Oceani vitulos antè aram, Orcamque litabunt.
Et tibi servati sua vota in litore solvent.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Ite per Eoi vastissima cærula puppes;
Nam novus Oceano Deus additus: ite per undas,
Audaces nautæ, & placidos jam findite fluctus;
Chrysis enim pelagi spumantia marmora placat.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Ite, nec insano quassantes turbine ventos
Oceanum, rapidas nec formidate procellas,
Ille animos mulcet ventorum, & temperat iras;
Ille nigras pellit nubes, Solemque reducit.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Ite sub æquoreas, nudi vos ite sub undas,
Divitis, ò pueri, quæsitum abscondita Nerei.
Jamque novum cœlo processit Chrysidis astrum:
Astrum, quo matres gauderent roribus, & quo
Lucidus aurata in testa concresceret humor,
Lætaque purpureis flavesceret unda lapillis.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Hæc levibus properata modis nunc accipe, Chrysi.
Carmina plura tibi mox, & meliora canemus.
Desine vocalis, mea desine murmura, concha.
At tu nos cœlo pius aspice: marmora conchas,
Et rutilas Ganges, te Numine, fundat arenas.
Desine vocalis, mea desine murmura concha.
Auspice te, placidum semper mihi rideat æquor;
Rideat & puro suffusum lumine cœlum.
Desine vocalis, mea desine murmura, concha.
FOL. Dulce mihi, Ladon, cecinit tua buccina carmen:
Non tam suavè sonant hæc per Gangetica cycni:
Nec quæ sublimes semper summo aëre sidunt,
Uranides (1) modulantur aves, cùm rore beato
Jam saturæ, dulces effundunt gutture voces.

Ille

(1) Sic dictæ, quia nunquam in terris consistere videantur, undè & Paradisææ *Ucelli di Paradiso*.

Ille tibi Phœbum inſpirat: facit ille poëtam:
Et tecum concha mare perſonat. Illius ergò
Egregias laudes meditare, & grandia facta.
Digna Deo tua ſemper erunt, & dulcia nobis
Carmina: te noſtra laudabunt ſemper in acta,
Dùm juvenes læti repetent tua carmina noſtri.
LAD. Surgamus, Polydore; vagis Sol mergitur undis,
Et latè maria, & montes umbrantur opaci.



THEODORO
COMITI BARBOVIO
FORTISSIMO MILITIÆ PRÆFECTO.
E C L O G A XI.
Æ G O N.
A R G U M E N T U M.

Cum Ægon ad (1) *Poſidonium felicem nuncium attuliſſet, exceſſiſſe nimirùm Meſſana Gallicam claſſem, urbemque à* Comite Theodoro Barbovio *receptam; Melibœus paſtor, & Lycabas piſcator læti carmen Victori canunt. Per Ægonem poëtam intellige, qui Rhegii hanc Eclogam conſcripſit, cùm ſeveriori Minervæ operam daret.*

ÆGON Nauta, LYCABAS Piſcator, MELIBOEUS Paſtor.

ACtiadis magnum noſtræ decus, & nova Muſæ
Gloria, ſeu pictis alacer ſplendeſcis in armis,
Aut petis adverſos ærata cuſpide reges:
Sive tibi merita præcingunt tempora lauro
Servatæ gentes, plauſuque ad ſydera tollunt;
Huc ades, ò Theodore, atque has ne deſpice Muſas,
(Si qua tibi noſtræ velocis gratia cymbæ)

(1) Seu Columnam Rheginam, *La Catona*.

Quas Paſtor Melibœus, oves dùm paſcit ovantes;
Ac tibi Piſcator Lycabas, dùm retia ducit
Alternis referunt certantes verſibus ambo:
Tuque etiam facilis tenues Ægonis avenas
Accipe: nàm noſtræ debent tibi carmina Muſæ.
Fortè mari ex alto ducebat retia in actam
Piſcator Lycabas, triſteſque in pectore curas
Verſabat: pelagi ſed per vicinia paſtor
Lanigeras Mœlibeus oves non lætus agebat.
Ad (1) Cœnym Lycabas habitabat: Paſtor ad umbras
Vicini nemoris, viridique in valle (2) Salicti
Improviſus adeſt, timidisque ſupervenit Ægon,
(Ægon Euboici quondam maris accola, ponto
Tunc Siculo errabat, patris procùl exul ab oris)
Protinùs & læto ſic incipit ore profari:
Cui trepidi juvenes mòx reſpondere viciſſim.
ÆG. Solicitos veſtrò depellite corde timores,
O pueri, felix vobis en nuncius adſum.
LYC. Dic age, quæ nobis Ægon nunc læta reportas?
ÆG. Infeſtæ Siculo exceſſere ab litore puppes;
Arma procùl ceſſere, minæque, infandaque bella.
Pax redit, & læti capiunt exordia menſes.
Vidi ego, lunati ſurgit quà pompa theatri
Magnanimum Heroem, regisque inſignia noſtri,
Agmina mille ducem ſtipantia litore vidi,
Et lætas voces, plauſusque his auribus hauſi.
Ceù regi agglomerantur apes, poſt prælia quando
Victor regna petit, cæſoque ex hoſte ſuperbus
It lætos inter cœtus, plauſuſque faventum.
LYC. Scilicet id fuerat, prima quod luce diei
Sæpiùs, inſuetùm, reſiliret ab æquore Delphin,
Nereidesque choros agerent, dùm murmura longè
Cærulea invectus concha ciet æquore Triton.
MEL. Hoc etiam (nec fallor) erat, quod prata capellæ
Tonderent nimia paſſim dulcedine lætæ:
Ac virides intèr ſalices, & flumina circùm
Errarent Dryades feſtivæ, & Najades udæ:
Quas inter mixti, ſylveſtria Numina, Panes
Inflarent læti calamos, & læta ſub auras
Murmura jactarent volucres per compita ſylvæ.
Credo equidem: nam ſenſus ineſt divinitùs illis.

ÆG.

(1) Promontorium, & fluvius, de quo Lib. 4. Nauticorum.
(2) Amœniſſima Villa *lo Salici*, de qua eod. libro.

ÆG. Ergo agite, & veſtræ poſſunt quæ carmina Muſæ,
Dicite, & alterno, juvenes, contendite cantu.
Ipſe has intereà pulſabo pectine cordas.
MEL. Ite per apricos colles, & rura capellæ,
Ac lætæ cytiſum, & florem tondete ſalicti;
Hoſtis abit: ceſſere minæ; pax aurea venit.
LYC. Ducite ſecuri choreas Delphines in undis,
Et vario circùm litus curſate natatu;
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
MEL. Vos, ò paſtores, inducite fontibus umbras;
Et ſinite optatas tenerum pecus ire ſub umbras.
Hoſtis abit: ceſſere minæ: pax aurea venit.
LYC. Vos, piſcatores, læti deducite cymbas,
Et piſcoſa leves jam ſolvite retia in undas;
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
MEL. Fœcundos proſcindat agros feſtivus arator.
Et pingues pedibus preſſit jam vinitor uvas.
Hoſtis abit: ceſſere minæ: pax aurea venit.
LYC. Alta rupe ſedens piſcator arundine piſces
Captet ovans, nudusque mari ſcrutetur echinos.
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
MEL. Hìc ego ſub patulæ proſtratus tegmine fagi,
Dum teneros carpunt flores, mea cura, capellæ,
Ac Phyllis formoſa comas mihi Daphnide cingit,
Agreſtes tenui modulabor arundine Muſas.
Hoſtis abit: ceſſere minæ: pax aurea venit.
LYC. Hìc inter ſcopulos, Zephyrique tepentis ad auras
Dum moror, & molles expecto ad retia prædas,
Ac mihi de myrto nectit Galatea corollam,
Æquoreas reſonare Deas cava ſaxa docebo.
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
MEL. At vos, Pierides, victori cingite lauro
Tempora, & Aoniæ, vos dicite carmina, Muſæ.
LYC. Vos illi ſertum viridi contexite myrto,
Nereides, plauſuque ſonans ciat æquora Triton.
MEL. Illi ego per ſylvas, ſeptemque altaria circùm
Biſſenos de more dies ſacra liba quotannis
Spargam lætus humi, atque incendam maſcula thura.
Non me carminibus ſuperabit fuſcus Amyntas:
Nec Pan ipſe Deus vincet: nec Thracius Orpheus.
LYC. Aſt ego litoribus, totidemque altaria circùm,
Et ſacros latices, & vina liquentia fundam,
Et ſpargam pelagi muſcum feſtivus ad aram.
Non niveos inter cantu Delphinas Arion,
Nec mihi per ſcopulos certet Deus ipſe Palæmon.

Sic illi alterno miſcebant carmine Muſas:
Ægon intereà calamos inflabat acutos.
Cùm tandem (alta jugis jam Solem abſconderat Ætna)
Amborum invitæ fecere ſilentia Muſæ:
Atque hinc muſcoſi ſcopuli, rupesque cavatæ,
Hinc longè colles reſponſavere beati.

E C L O G A XII.

M OE R I S.

A R G U M E N T U M.

Cùm Phraſidamus Mœrim puerum roſas, & corallia ferentem vidiſſet, ſuſpicatus ne puellæ alicujus amore teneretur, conatur illum ab amore revocare. At puer ſe Virginem *amare ingenuè fatetur, & quo modo à* Virgine *vocatus fuerit, exponit. Per Mœrim intelligit poëta Olympicum piſcatorem, qui annos duos, & viginti ſupra centum habet, virgo ſemper, &* Virgini *addictiſſimus.*

PHRASIDAMUS, MOERIS.

PHRA. CUi tu, Mœri, roſas, & nigra corallia portas?
Ah timeo tibi, Mœri, furor ne te improbus ille
Prævertat, præcepsque trahat malè ſana cupido.
MOE. Vera tibi fateor, jam me pulcherrima VIRGO
Totum habet, & dulces animo mihi ventilat ignes.
PHRA. Ah puer infelix, quæ te dementia cepit!
An neſcis quam durus amor? non ſævior illo
In terris Leo, non pelago crudelior Orca eſt.
Illum ſæva mari, canibusque incincta marinis
Scylla tulit; natumque ſinu impacata Charybdis
Fovit, & immanes admorunt ubera Phocæ.
MOE. O, neſcis, Phraſidame, mihi quæ flamma medullas
Torreat, & quæ me teneat formoſa puella.
PHRA. Dic age, quæ flamma, & quæ ſit formoſa puella?
MOE. Incendit me dius Æmor: me PARTHENIS: ò, quæ
Non conſueta meum pertentant gaudia pectus!
Illa meos poſcit (ſi quicquam credis) amores.
Illa habeat: mentem hic ſemper bonus occupet error.
O nimium felix, hanc ſi, piſcator, amares!
PHRA. Non humana ſonant tua verba: ſed unde repentè
PARTHENIDIS tibi tantus amor? quo Numine dextro


Mœ-

Mœri, tibi ſacræ exarſere in pectore flammæ?
MOE. Dicam equidem, Phraſidame: Cavo ſtat picta ſub antro
Quà Mergellina illuſtres via ducite in (1) ædes
VIRGO decus cœli, quæ me dum ſpectat euntem,
Pubentesque roſas dextra tunc fortè ferentem,
(Ipſa mihi ſoror è teſta decerpſerat Ægle)
Cui, formoſe, roſas, Puer? inquit: at ipſe repentè
Obſtupui: captusque nova dulcedine mentem,
Illi hæc: Dia, roſas vis tu pro munere, VIRGO?
Accipe: parva quidem; ſed ſi dignabere, majus
Cor, noſtri, Regina, tibi do pignus amoris.
Tunc dextram mihi VIRGO tetendit, & Has, puer, inſit;
Accipio, dilecte, roſas, quæ pignus amoris
Semper erunt: ſemperque tuos dignabor amores.
Sed tu, Mœri, alias ſectari, & amare puellas
Mitte, nec inſanæ incendant tibi pectora flammæ.
Cui contrà. Tibi, Diva, meos piſcator amores
En voveo: immotumque animum tu Numine firma.
Ac veluti nunquam tot me flexere puellæ,
Litora quæ mecum paſſim per noſtra vagantur:
Sic & nulla mihi poterit prævertere mentem:
Non Beroë formoſa comas, non picta Lycoris,
Non Hyale, quanquam nobis pro dote ſuperba
Centum regna daret, rubroque è gurgite gemmas,
Quot veniunt, quantumque Indis deducitur aurum.
Tuque, Puerque tuus noſtro ſub pectore fixi
Stabitis, æternùmque mei vos ſemper amores.
Nec veſtra ex oculis unquam labetur imago,
Diva, meis: nec erit quicquam mihi gratius unquam,
Ni Dius Puer, & Pueri tu candida Mater;
Nam dulcis Puer eſt, & dulcis tu quoque Mater.
Ipſa, Puerque meus te ſemper amabimus, inquit
Illa mihi: tu noſter amor, tu maxima cura.
Proque roſis, quas, Mœri, mihi, Pueroque dediſti,
Jam tibi luciferis ſertum ſubtexitur aſtris.
Hæc dedit, & placidis mihi mox ſubriſit ocellis:
Subriſit Puer ipſe, ſinu quem Dia tenebat,
Et mihi divinos animo inſpiravit amores.
PHRA. Fortunate Puer; Diæ tu VIRGINIS ergò
Factus amans, quæ tantùm alias formoſa puellas
Exuperat, quantùm reliquas Luna aurea ſtellas,

Illam

(1) Magnifico ſumptu extructæ ad Pauſilypi litus à Menthymnæ Duce, & Anna Caraſa conjuge Proregibus Neapolitanis.

Illam Cœlicolæ, nitidisque exercitus alis
Aligerùm obſervat venerans, plauſuque coronat.
Fortunate Puer, nunquam tibi dura negabunt
Æquora captivos piſcola in retia piſces.
Non poſthac vacuas velles de murice conchas;
Nec tenues inter ſabulum venaberis (1) aulos;
Nam VIRGO, cui Sol, cui Luna, & ſydera parent,
Et venti, nimbique, undoſi & cærula ponti,
Placabit maria, & ventos, imbresque fugabit:
Piſcibus & naſſas, ſuccoque implebit echinos.
I, felix Puer, ò! fer nigra corallia Divæ,
Purpureamque roſam, & flammas teſtare pudicas.
Sed veniam Comes ipſe tibi, ſi fortè benignis
Aſpiciat me VIRGO oculis, nec ſpernat amantem.
MOE. Corripiam priùs ipſe viam: tu ponè venito.



JA-

(1) Iidem, ac onyches, qui & Solenes à Græcis: à Latinis digiti, etiam appellantur.

JACOBO
CANTELMO
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,
Archiepiſcopo Neapolitano.

ECLOGA XIII.
ARGUMENTUM.

Cùm Roma Pontificia Claſſe profectus, Maſſam ad delubrum per æſtatem ſeceſſurus veniſſet, amœniſſimaque circùm loca unà cum poëta luſtraret.


LYCABAS, MOPSUS.

Fortè ſub umbroſo Lycabas conſederat antro
Palladias juxtà rupes, & plurimus auras
Captabat Zephyri molles, & frigus opacum,
Ingentes Regum meditatus arundine pugnas;
Cùm celer adveniens Vervecide Mopſus ab unda,
Piſcatu dives multò: quid lentus ad umbram,
Quid, Lycaba, ceſſas? inquit. Stat carmina quando
Texere digna tibi: & venientem attollere cantu
Heroem inſignem pietate, oſtroque nitentem.
Quem fore venturum piſcoſa ad ſaxa Minervæ,
Jam dudum cecinit divino carmine Proteus.
Ipſe etiam purâ Vatem ſub nocte canentem
Audivi, freta Teleboùm dùm fortè recurro,
Lunaque oliviferos linquebat lucida colles.
Sed quà, Mopſe, virum vidiſti ad litora ferri?
Da, precor: occurram, cantuque ad ſydera tollam.
Spero equidem, noſtras non reſpuet ille Camœnas:
Reſpondit Lycabas, contra cui talia Mopſus:
Nuper cautè ſedens Vervecide, quà vagus undas
Sol petit, Inarimen inter, Prochytenque: citumque
Expecto ad prædam Synodonta, Chromimve rubentem,
Tres vidi vitreo curſantes æquore puppes:
Illis credo equidem vectari Heroa carinis.

Nam circùm pulchræ Nereides, & genus omne
Nympharum tremulo ducebant marmore lusus:
Quas inter mixti pingebant æquora cauda
Delphini: & resona pulsabant Nærea concha
Tritones: perculsa procùl cava saxa sonabant.
Quare age, quandoquidem non fistula, non tibi desunt
Carmina, litoream modulare ad litora Musam:
Ille hæc: & Lycabas sic orsus arundine carmen.
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ,
Auspicio meliore. Redit quà fessus ad æquor
Hesperium Titan, currumque reducit ad Indos,
Sol novus exoritur, roseoque decorus in ostro
Emicat; atque diem terris, lucemque perennat.
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ,
Auspicio meliore. Subit jàm Regius Hospes
Classe sinum, festisque sonant pulsa æquora bombis,
Lætaque securis terroribus unda remugit:
Totus & innocuis subtermicat ignibus Æther.
Currite Lubrenses per cærula, currite Nymphæ,
Auspicio meliore. Suo non Scyrus Achille
Ampliùs, ingenti quanquam, se jactet Alumno,
Non Jove Dictæi colles: namque Hospite tanto
Lubra præit Scyrum, Cretamque superba lacessit.
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ,
Auspicio meliore: procùl Sebethide ab unda
Parthenope tantum vobis gratatur honorem.
Parthenope, fatis cui nunc felicibus, Heros
Contigit: & Pastor stat pro Pastore Supremo:
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ,
Auspicio meliore, petunt jam litora vestra
Visuræ Heroem quotquot Cratera recursant
Flavicomæ Ponti Nymphæ, cætusque beati
Sirenum; & vitreo de flumine plurima Naïs.
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ,
Auspicio meliore: quibus sub Principe tanto
Optati spirant Zephyri felicibus auris,
Blandaque subridet Nerei pellacia, & almo,
Eque coruscanti radiat lux aurea vultu.
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ;
Auspicio meliore: imisque è fluctibus ostro
Tincta rubescenti corallia carpite, mixta
Multa quibus rutilis ardescat purpura fibris,
Sitque Dicharchæo sublectus ab æquore murex;
Currite Lubrenses per cærula, currite, Nymphæ;
Auspicio meliore. Latino hæc debita Patri
Mu-

Munera ſunt: nitidum argentumque, aurumque coruſcum,
Quasque alii cupiunt, gemmas contemnit; & unis,
Quæ ſua, contentus gaudet virtutibus Heros.
Currite Lubrenſes per cærula, currite, Nymphæ,
Auſpicio meliore. Maris muſcoſa profundi
Dona, leves Aulos non dedignabitur ille,
Non balano lepadas, conchilia, non & Echinos,
Oſtreaque, & Cochleas cum purpureis Neritis.
Currite Lubrenſes per cærula, currite, Nymphæ,
Auſpicio meliore. Rubro non vellere Mullos,
Non & Acum, & Soleam, pictamque remiſerit Umbram.
Quare agite, his, Divæ, tenues onerate caniſtros:
Qui grato ſpirent muſco, atque ſuavibus herbis.
Currite Lubrenſes per cærula, currite, Nymphæ,
Auſpicio meliore. Sinus jam pandite veſtros
Sirenes; nam vectus equo petit alta marino,
Muſcoſoque legit ſcopulos, & odora ſecundùm
Saxa leves Zephyros, & murmura captat amica.
Currite Lubrenſes per cærula, currite, Nymphæ,
Auſpicio meliore: cavum Colomelis in Antrum
Coge Deas, cætusque Viro ruat obvius omnis;
Et vitreas nectat choreas, & carmina dicat.
Namque ſacris Heros choreis, & carmine dignus.
Currite Lubrenſes per cærula, currite, Nymphæ,
Auſpicio meliore. Natantia regna tenetis,
Vos quæ Teleboûm, Divæ, deſcendite ab alto
Vertice, & Heroem venientem ambite natatu,
Dùm rauci circùm Tritones Nerea pulſant.
Siſtite Lubrenſes jam curſum, ſiſtite, Nymphæ.
Jàm redit è vitreis Neptuni fluctibus, omni
Nereidum læta circùm ſtipante corona:
Aſſultantque viro Delphines, & æquora pingunt,
Miſcentes varios miris erroribus orbes.
Siſtite Lubrenſes jam curſum, ſiſtite, Nymphæ.
Jamque hinc pacato venienti à gurgite cautes
Aſſurgunt, plauduntque undis vada læta canoris:
Hinc & proceræ nutantia culmina rupes
Inclinant, blandoque ſonant myrteta ſuſurro.
Siſtite Lubrenſes jam curſum, ſiſtite, Nymphæ.
Jamque coronatis è puppibus exit, & actam
Inſilit in viridem: citò litora ſternite myrto,
Et circùm foliis ornate virentibus: illum
Vos & purpureo, Divæ, conſpergite nimbo.
Siſtite Lubrenſes jam curſum, ſiſtite, Nymphæ.
Hæc levibus properata modis, pro tempore Muſæ,

Nunc tibi Partheniæ mittunt, mitiſſimè Pinceps:
Spero equidem, meliora dabunt, ſi fronte ſerena,
Noſtra hæc litoreæ reſpexeris orſa Camœnæ:
Sique tua Vatem Phœbea afflaveris aura.



CAROLO CARDENIO

SAC. ROM. IMPERII PRINCIPI MERITISSIMO,

Laini Marchioni, Acerrarum Comiti.

ECLOGA XIV.

CARDENIDES.

ARGUMENTUM.

CARDENIDEN Mecœnatem ſuum Poëta ſub æſtatem unà cum Phyllide ad Pauſilypum invitat, locíque amœnitatem, ac delicias deſcribens: atque illi & piſcatoria munuſcula, & verſus ſpondet. Per Phyllidem intellige FRANCISCAM M. SPINELLAM è Scaleæ Principibus, Marchionis Conjugem, mulierem præſtantiſſimam, omnibusque animi, fortunæque dotibus abundè ornatam.

OPtatos jam pande mihi, formoſa, receſſus,
Mergillina, cavis & amicam in rupibus umbram,
Quò plenas referam naſſas, & frigora captem.
Pauca ſed ante meo gracili ſunt carmina avena
Cardenidæ dicenda: neget quis carmine magno
Cardenidæ, me cujus amor facit eſſe poëtam.
Sic tibi, cùm vitreas pelagi deſcendis in undas,
Et blandam curſu ſequeris Neſida ſororem,
Non Protei poſſint, Phorcique nocere peculci.
Incipe: Pauſilypi ad littus, ſedesque beatas
Cardeniden tenui calamo, cantuque vocemus.

Ca-

Carole, dùm summis ardet fervoribus æstas,
Inceditque suo rutilans sata Syrius igne,
Hùc, quò Pausilypus scrupposæ rupis in antrum,
Et formosa vocat te Mergillina, venito.
Ipsa sed in primis veniat tua Phyllis, & ipsa
Cæruleas inter ludat non ultima Divas:
Euboidum Phillys pulcherrima, quam tibi casti
Dulcis amor thalami concordi fœdere iunxit:
Et quæ jam pulchra fecit te prole parentem.
Hìc lenes spirant auræ, Zephyrique salubres,
Et placido intendunt felicia marmora flabro:
Crebròque impulsæ modico clangore jocosæ
Per virides scopulos, per litora leniter undæ
Assultant, vitreique tegunt saxa humida rores.
Hìc & odorifero florentes pumice cautes
Cæruleum gignunt muscum æquoris: aspice, ut omne
Litus, & objectos scopulos maris integat herba,
Qua non purpurei spirant fragantiùs horti:
Gratus & halat odor, qui thure suavior ipse
Leniter immissa insinuat se naribus aura,
Atque ægros reficit sensus, viresque ministrat.
Stant rigui fontes, multoque foramine manat,
Qui nitidas inter fugiens strepit humor arenas.
Et sincerus aquæ se litora propter amœna
Fons agit è scopulis, cui non vicina recurrens
Doris amara suum immiscet perfusa liquorem.
Inter & optatos subsultant Najades amnes,
Ore omnes formosæ, adianti frondibus omnes
Ornatæ, & viridi succinctæ crura cothurno;
Sunt hìc & rupes, tepidæque in rupibus umbræ,
Quæ nimios relevent æstus, & læta ministrent
Otia Musarum: gelidis hìc sæpè sub antris
Cantando ingentem poteris lenire laborem,
Dùm choreas tua Phyllis agit, luditque beato
Nympharum sociata choro; mediasque per undas
Humida Delphinum ad cantum gens assilit omnis.
Eja, age, rumpe moras: tibi jam per litora muscus
Sternitur, & passim mollis se subjicit alga;
Aspice, ut undivagi nantes per cærula pisces
Te placido invitent lusu, cursentque per æquor
Festivi, & frutices inter spatientur odoros.
Ipsa tibi rident Zephyrorum animata susurro
Æquora, vocalique lacessunt murmure cautes.
Hic juvat in vitreo ludentes gurgite Divas
Nereides spectare, & fluctivagas Sirenas:

Quip-

Quippe suus nunc mensis adest, qua gurgite ludunt
Cùm flabro incipiunt Zephyri spirare canoro:
Interdum picto lustrabis læta phaselo
Litora Pausilypi, & colles spectabis apricos,
Et quæ magnifico surgunt palatia luxu:
Nec non & mixtim pueros, tenerasque puellas
Innocuos celebrare choros, & ludere in undis.
Sæpè etiam celeres sublabi gurgite cymbas,
Et pubem remis certare, & scindere fluctus,
Ut primi metam teneant, & præmia tollant.
Aspicies lætos & ovanti murmure plausus
Attolli, & festas cava litora reddere voces,
Ac longè scopulos plausu, & freta pulsa sonare.
Quin etiam, si nostra tibi munuscula cordi,
Barbatos tibi ego Mullos, Rhombumque trilibrem,
Auratamque feram, & Turdum, flavosque (1) Erythinos:
Addam atq; his (2) Apyrenum, & ceruleum (3) Melanurum,
Atque leves (4) Synodontas (amat hos nam tua Phyllis:
Sæpius atque illos memini, me ferre rogabat)
Hos & odorifera contectos desuper alga,
Vimineosque inter calathos tibi munera ducam.
Littereà, primis quæ sunt gratissima mensis,
Dona feram, æquoreo madeant quæ plurima rore,
Atque vaporifero spirent circumdata musco,
Et persæpè famem quæ irritavere morantem,
Ostrea, purpureoque ardentes murice conchas,
Et saxosa mihi Nesis quos servat Echinos,
Quosque Dicharchæis nutrit Thetis humida saxis:
Illos è fundo, rigidaque è rupe revellam,
Cùm jam Luna suum complevit lumine cornu.
Insuper & pictum, non ultima dona, quasillum
Cæruleis plenum digitis, quos litora propter
Sebethi medias inter scrutamur arenas.
Hinc cùm læta inter myrteta, & concava saxa,
Aut riguos inter lenta otia ducimus amnes
Jam vacui, & Zephyrum, & frigus captamus opacum;
Quam mihi Syncerus moriens donavit, avenam
Inflabo, & nostro freta carmine pulsa sonabunt.
Tunc genus antiquum regali è sanguine regum
Cantabo, stirpisque tuæ primordia dicam,

Hæc

---

(1) *Fragolino*, & *Pragro*. (2) *Lampreda*, sic dicta, quia exossis est. (3) *Occhiata*. (4) Iidem, ac Dentices latinè, *Dentici*.


Magnanimos addam Heroas, Regesque ſuperbos;
Quos Tagus auriferis regnantes vidit arenis,
Et quos Dives Iber, niveaque incinctus oliva
Bætis, & umbroſa coluit cervice Pyrene:
Quos & Parthenope titulis majoribus auxit:
Noſter, & in viridi miratus ſæpè receſſu
Pauſilypus, fovitque ſuas Euplæa per undas.
Non taceam tua facta, mihi ſi pulcher Apollo;
Et digna Actiades concedant carmina Muſæ.
Hæc ſat, Nereides, veſtrum luſiſſe Poëtam;
Dùm ſedet, & rarum ſubtexit arundine linum.
Hæc vos, & Divæ, facietis maxima magno
CARDENIDÆ, mihi cujus amor ſic creſcit in horas:
Orbe velut pleno ſuccus pingueſcit Echini:
Aut matutino ut turgent conchylia rore.
Surgamus: nam prima gravis cantantibus aura
Veſperis, atque aër gelidi nocet humidus antri,
Ite domum teneræ, Sol occidit, ite puellæ.

FINIS.




PARTHENII
NAUTICA.

EDITIO QUARTA.



AD LECTOREM.





Lurimùm ultimis hisce seculis pollere navigandi artem, nemo est qui ambigat, quare si antiquorum navigationes cum nostris conferamus, non dubito, quin vagire infantem apud illos maritimæ rei peritiam, apud nos verò adultam jam, & ad plenam evectam ætatem dixeris. Vix ausi sunt illi Oceani veluti primam oram lustrare: nos quantum Oceani est, quod utrunque Orbem alluit, circuitque, navigavimus, novosque orbes, novas provincias, nova regna, insulas, promontoria, flumina, populosque alios deteximus, ut nihil jam in vastissimo terrarum Orbe nos lateat, nisi exigua dumtaxat particula, quam nobis unæ perpetuæ Borealis poli, Australisque caligines occulunt: hæc tamen nec terrarum particula censenda est, quam ne feris quidem ad habitandum natura concessit.

Accedit, quod apud Antiquos ante nauticæ pyxidis inventionem adeò tenuis erat maris peritia, cursusque regendi, ut vix sinè periculo per vigintiquatuor horas longè à terris navigari potuisset, quod si contigeret, statim, ut ait Poeta:

Errabant acti fatis maria omnia circùm.

Quippe uni ad indagandum meridiani situm, & reliquas plagas, ad quas navigatio instituenda erat, interdiù Solis altitudine, noctu verò Stellis Majoris Ursæ Græci, & Rhodii, Minoris Phœnices, Sidoniique utebantur, ut meminit Ovidius:

Magna, minorque feræ, quarum regit altera Grajas,
Altera Sidonias, utraque ficca, rates.

Hac verò tempeſtate ope pyxidis, mapparumque Geographicarum, necnon & ſumma mathematicæ diſciplinæ peritia, id præſtitum eſt, ut non per Mediterraneum modò, ſed longè, lateque per Oceanum tutiſſima, ac breviſſima ſit nobis navigatio. Præſtitere ad id operam ſuam quamplurimi eruditi auctores, qui nova, exquiſitaque methodo Rem Nauticam aggreſſi ſunt non ſine ſumma ingenii laude, & reipublicæ commodo. Præcipuam verò laudem nacti ſunt Villebrordus Snellius in ſuo Typhi Batavo, Bartholomæus Creſcentius in Nautica Mediterranea, Moriſotus in Orbe Maritimo, Dudlæus in Maris Arcano, Ricciolius in Hydrographia, & noviſſimè Georgius Furnerius in eruditiſſimo Geographiæ volumine. At nullus, quod ſciam, hactenus Rem Nauticam carmine complexus eſt; nam cùm lapidem omnem evoluerem, ut ſi quis hujus rei auctor aliquis eſſet, ad manus perveniret, nunquam vel unum nactus ſum. Id cum viderem ſubitus animum invaſit calor, ut rem hucuſque intactam arriperem: atque ille non parum me ſtimulus pupugit, ut ſi non ab elegantia carminis, ſaltem ab argumento, reique novitate aliquam mihi eruditorum benevolentiam conciliarem. Verùm ne operi manus admoverem obſtabat in primis infirma valetudo, & maximè Hypochondriorum inflammatio, quæ lues mirum quantum hoc ſeculo apud nos graſſatur: obſtabat præterea ſeverioris diſciplinæ provincia, quæque mihi plurima erat opera: vicit tamen Muſarum ardor, & reluctante ingenio, valetudineque ſex menſium curriculo tot inter tricas opus abſolvi, coronidemque qualemcunque impoſui, cum jam in dies Viennenſis obſidionis exitus expectabatur: ac ſi divinaſſem, id quod & futurum erat, & maximè præoptaveram, feſtivus cecini; annuitque votis benignus ſemper Deus.

Sed adeò diminutæ ſunt vires, ut ſequenti anno in gravem morbum inciderim, ex quo tamen convalui; perpolitoque utcunque opere, ne longioris limæ ſtudium in peſſum valetudinem daret, opus penè rude in lucem dedi, etſi non bonam: eo tamen conſilio, ut ſi eruditis placeret, iterum cultiùs, auctiùsque proferrem. Damnabis fortaſſe conſilium, præſertim monente Horatio, opus quodcunque in nonum annum premendum eſſe. Verum id præter valetudinis periculum, feci amicis hortantibus, qui opus feſtino calore abſolutum benè noverant. Prætereà ſunt quamplurimi, quorum ingenii ſupellex adeo tenuis eſt, ut principiò inventis, vix habeant, quod addant: & ſi diutiùs rem perpolire velint, turpiſſimè deformant. Sed utcunque ſe res habeat, pauca ſunt in quibus te monitum velim. Longiuſculi videbuntur fortaſſe libri, quàm par ſit, ſed uberior materies breviores non patiebatur.

Primo

Primo tamen cujus curta erat seges, ut justus fieret, varia inserenda fuere, quæ fortasse ad rem minus viderentur. Nova nonnulla usurpavimus mutuato ex Græcis vocabulo, alia ex barbaris perpolito non nihil vocis sono; sed id necessarium erat; nam ut optimè Tullius: novis rebus nova nomina sunt imponenda. Prætereà ne abstrusarum vocum crebra usurpatio in locis describendis nimium lectorem fatigaret, apposuimus in calce vernaculas appellationes, quæ licet, ut plurimùm Italicæ sint, tamen inflexo vocabulo pro nationis cujusque usu, ac genio eædem, & Hispanæ fient, & Gallicæ. At quia difficile, ac plenum aleæ opus regionum, locorumque, portuum, ac fluminum, urbiumque antiquas appellationes hodiernis vocibus aptè, & sinè errore reddere, cum plerumque ignorentur, & loca multa penitus interierint, veniam facilè impetrabimus, si aliquando à recta appellatione aberravimus; nam etsi diligentiam omnem impenderimus, probatosque auctores sequuti simus, tamen nunquam à recta semita deviasse sperare vix possumus in re tam difficili.

Non tibi mirum videri debet, si sæpè præceptis apposuerim etiam exempla, nam cum navigandi ars moralis quædam sit disciplina, congruum mihi visum est, si præcepta exemplis confirmarem; quandoquidem plus ponderis habent ad cautiùs evitanda pericula, & nos alienis periculis longè melius erudimur, quàm rationum vi, præceptorumque monumentis.

Plurima, quæ ad navigationem spectant, & mathesin magis sapiunt, prætermisimus, cum nullum carmini decorem allatura essent: imo nec illa carminis elegantia patiebatur: neque illi, qui rem aliquam carmine tradendam suscepere, omnia complexi sunt. Omisit multa Virgilius: omisere alii, & quidem ex industria. Quod si aliquid, quod elegantiùs futurum esset, omiserim, fateor id me invitum latuisse.

Censebit fortasse aliquis me præter operis majestatem in quinto libro litoralem navigationem amplexum esse: sed facilè veniam impetrabit Campanus homo, quem decebat populares suos, qui illo præcipuè navigationis genere utuntur, erudire: nec porrò suis placere potuisset, si litoralem cursum penitus omisisset.

Postremo & si sciam esse nonnullos, qui inter Eclogas non censent piscatoria, tamen apud me plus valet Actii nostri auctoritas, qui primus ea laude piscatores introduxit in Eclogis, ut post Virgilium nemo sit, qui illi præponendus videatur. Prætereà quid tritius, quàm piscatores maximè in Olympia nostra cantilenis, citharisque indulgere sæpissimè, non quidem dum piscantur; nam nec locus ille opportunus est, nec tempus, sed cùm vel feriati ad otium sedent, vel dies festos agunt: quin etiam dum secundis auris velificant, à carmine non abstinent.

Introduximus etiam pastores piscatoribus confabulantes, quod in-

interdum accidit , præcipuè in litoralibus , ubi passim pastores degunt . Pausilypus noster , Puteoli , Bajæ , ac Cumæ agrestibus hominibus habitantur , qui sæpè mutata persona , genioque piscatoriam exercent . Sed nolo te pluribus tenere . Vale .



NAU-



NAUTICORUM
LIBER PRIMUS.

Quæ veniant nemora apta mari, quo ſydere pinus
Cædere, & arte rates qua cæſis ponere truncis
Conveniat: quæ cura omnes prædiſcere ventos,
Et mores, & ſigna; vagique ſonantia Nerei
Æquora velivolis latè ſulcare carinis;
Litora vel circùm pictis freta findere lembis:
Nec non & quæ in Acu, & parvo ſolertia Mundo,
Et tempeſtatum quanta experientia Nautis:
Hinc canere, & vaſti puppes per cærula Atlantis
Ducere ſurgentem in Solem, Solemque cadentem,
Incipiam: vitrei quando me Numina ponti
Nativam in ſedem invitant Nereides udæ;
Et tenues Vati calamos compingere cera,
Litoreoque parant ſertum ſubtexere muſco.
Nam neque Mœonios auſim ſperare cothurnos,
Noſtra nec æternam interſerpere tempora laurum.
O magnæ clarum Auſoniæ decus, edite cœlo,
Cardenide, pulchris ſeu te per rura viretis
Leucopetre (1) ſpatioſa tenet, vel carmine dulci
Agreſtes inter Divas blanditur Apollo:
Seu te ſtellati ducit per concava cœli
Uranie, & nitidos orbes, & ſydera dicit;
Sive invectus equo, tua Regna, inviſis Acerras,

(1) Amœniſſima Neapoli Villa altero ab urbe lapide Veſuvium verſus, *Pietrabianca*.

Ac longè rauci perlustras flumina (1) Lai,
(Regna solo pingui, & lætis felicia campis,
Mille & regna annos atavis dominata superbis)
Huc ades, & primum pelagi ne despice munus.
Quicquid id est: mediis te fluctibus æmula Doris
Compellat, campusque sonat latè omnis aquarum.
Parva altis & sæpè damus munuscula Divis.
Forsitan & tempus veniet (jam retia, & hamos
Liquimus, & grandi percurrimus æquora puppi)
Ut, nostris majora ausis molimina Musis,
Bella canam, & palmas, cum primo Oriente subacto,
Cæsar in Euphratem victricia dirigat arma,
Ut pius injusto jam Numinis eximat Urnam
Servitio, & sacras sistat se victor ad aras:
Tuque operis tanti in partem, partemque triumphi
Dux aderis, magnique comes tu Cæsaris ibis:
Tunc ego te summis Heroibus, & magnis Diis
Laudibus æquabo, tollamque in sæcula nomen.
Sume hoc intereà, Martisque accingere in arma.
At tu, qui Superos inter spatiaris Olympo,
SABERIDE, mihi dexter ades: tu dius Apollo
Magnam Vati animam, & divini carminis œstrum
Inspira; nostrisque volens allabere cœptis.
Nam te, nec fallor, magnarum Numen aquarum,
Rectoremque maris, tempestatumque potentem
Gangaridæ (2) quondam dixere, & creditus Indis
Oceani immensi magnus Deus, humida parent
Neptuni cui regna, vagique per aëra nimbi,
Et se pacato submittunt murmure venti.
Sed quamvis (tibi mentitum non fingimus ultrò
Numen, & immeritos aris adolemus honores)
Non deus Oceani, verùm tibi gurgitis alti
Imperium Pater Omnipotens dedit, ut tua nautæ
Numina ritè colant: placidos tu tollere nutu,
Turbatosque potes nutu componere fluctus.
Ergo age, & innubi quoniam lux aurea cœlo
Jam nitet, & Zephyris crispantur molliter undæ,
Audaces tu pande sinus, dextraque potenti
Tu dubio cursum pelago, clavumque guberna.
Principiò nautis sylvæ delectus habendus,
Un-

(1) Straboni Talaüs Fluvius, & Urbs in finibus Lucanorum, *Laino*. (2) Indiæ populi circa Gangem fluvium incolentes, *Regno di Bengala*.

Undè abies viduata comis, nudataque fagus,
Ulmique, & cæsæ veniant ad litora pinus.
Primus & hic illis labor impendendus, & omnes
Sacrorum saltus nemorum lustrare necesse est.
Hic & sylvarum sobolem legisse potentem,
Et Martis sortem, & casus sufferre marinos:
Nec labor incassum tantus cadet; ire sonantis
Aut opus Ægæi per cærula, perque tumentem
Euxinum, aut (1) clausum sulcandum navibus æquor:
Sive per externas oras, audacibus ausis,
Oceano errandum, latè qui panditur ingens
Herculeas ultrà metas, seseque per omnes
Insinuat torrente plagas, quà surgit Eoo
Phœbus, & Hesperio rediens lavat amne quadrigas.
Nam si materiem texendis navibus aptam
Legeris, atque data fabricaveris arte carinas,
Deduces celerem securus in æquora puppim,
Ac lætus Zephyro committes vela vocanti.
Non te nimbifero terrebunt turbine venti,
Nec tumidum veniens glomeratis fluctibus æquor
Vertice ab undoso; rapidas animosa procellas,
Nimbosque, pelagique minas pulsabit, & Euri
Illa, coronatas opponens pulsibus alnos,
Idæas soboles, Alpinaque pignora. Ceu arx
Duro imposta jugo, duraque è rupe reciso,
Plurima quadrato surgunt cui mœnia saxo,
Quam crebris aries ærata cuspide pulsat
Ictibus, alatoque petunt tormenta metallo;
Verberat infractos iteratò machina muros,
Atque explosa cavo pila ferrea sibilat ære.
Stat contrà hæc: duris eludit rupibus ictus:
Nec timet horrificis tormenta sonantia bombis.
Sic & robusto de robore texta carina,
Non nisi spumosum multis post cursibus æquor
Emensa, & pelagi varios experta labores,
Et seros obitus, longævaque fata videbit.

Arborum delectus quàm utilis.

Quid tibi si sylvæ nullus delectus, & omnes
Imbelles nemorum populos admoveris undis,
Accipe: non multis (juvat hæc meminisse) docebo.
Cùm tibi cæruleus suprà caput æthere ab alto
Inciderit nimbus, missique à carcere venti

Neglectus verò quàm noxius.

(1) Sic Cæsar vocat Mediterraneum mare, quod & conclusum, & inclusum nos etiam vocamus.

Compactam fragili feriant de robore navim,
Dilacerent velum, quatiant latus impete multo,
Et validis obvertant flaminibus antennas:
Hæc primò vitium faciet, fenfimque patentes
Incipiet laxare finus, rimisque fatifcet.
In latus hinc prona incumbet: concuffaque ponto
Scindentur tranftra, & laterum compage foluta,
Fluctibus infelix ibit data præda marinis.
Non fecus, incocta tenui quas arte bubulci
Argilla fecere, cafæ, cùm plurimus imber
Decidit, & plenis undarunt æquora rivis,
Accipiunt tectis imbrem, fubterque ruentum
Vix fragili curfus fluviorum pariete fiftunt.
Paulatim incocti lateres laxantur, & undis
Dant aditum: fenfim moles ruitura fatifcit.
Cùm tandem è fummo labentia culmine tecta
Naufragio jactantur humi: de vertice paftor
Dejectas videt ire cafas, fua regna, per undas.
Sed jam tempus equum pulfu ftimulare ferocem,
Implicitasque errore vias fuperare ferendo.
Ergo age, tantifper pelago, portuque relicto,
Ne pigeat facros nemorum penetrare receffus;
Quæque fit apta rati, vel quæ fit inutilis arbos,
Et quo conveniat cœli fub fydere truncos
Frondifera nudare coma, & radicibus altis
Nofcere, quo rigidas valeas inferre fecures.
Eft mons Aufonia in magna, qua Martia Tellus
Hybernum ad Solem, & mollem fe fundit ad Auftrum:
Hinc quà purpureo Solem primo excipit ortu,
Jonio difclufa mari ftat Græcia Tellus;
Hinc quà Thyrrenum Siculi per clauftra Pelori
Joniis mifcetur aquis, Vulcania regna,
Æoliasque domos, & totam à vertice fpectat
Trinacriam, antiquo montem cognomine Silam
Romani, & Graii pariter dixere vocantes.
Hìc nemus umbrofum, atque ingens, fylva horrida montem
Occupat; & nigra dorfo latè incubat umbra.
Hìc mille in cœlum tollunt capita ardua pini;
Et totidem ramis circùm frondentibus alni
Affurgunt turritæ, & nubila vertice lambunt:
Quæfitæque nuces faxorum grandine multa
Ingratam præbent pecori, & paftoribus umbram.
Hìc mille expanfis pandunt fefe undique ramis
Caftaneæ, & magnæ laxant fua brachia quercus.
Plurima & argutis agitatur frondibus ulmus,

Silæ Montis, & Sylvæ, eftque ea Apennini pars, quæ Confentia Orientem verfus extenditur, defcriptio.

Et

Et fagus, camposque abies curſura marinos:
Cerrique, platanique, altæque in montibus orni:
Atque aliæ: neque enim verbis percurrere refert
Quotquot Sila ferat truncos, latiſſima ſylva.
Nunc ego (ſub montes quoniam penetravimus altos,
Provida ubi ſylvas longè Natura locavit,
Ut pelagi caſus averteret: attamen ipſa
Semper avara fames hominum, & ſolertia major
Evicere, & itum in montes, in nubila & uſque eſt)
Quæ meliora probes, quorum eſt communior uſus:
Quæque mari ſit apta magis, ventiſque ferendis,
Et robuſta ſolo veniant, non carmine multo
Expediam, nec te per longa exordia ducam.
Eſt autem varius, cultusque, habitusque locorum,
Atque uſus: Non omnis enim fert omnia ſylva;
Non ſtudium cunctis, nec amor mortalibus unus
Inditus. Ignotis qui primi fluctibus Argo
(Magnum opus) & parvo vitam committere ligno
Sunt auſi, ſacro Dodonæ è vertice fagum
Acciſam vexere mari: fagoque volanti
Ægæum ſecuere fretum; & medium Helleſpontum
Tranſvecti, externas tetigerunt Phaſidis oras.
Umbroſi nemora Aſſyrii populantur Amani:
Hic & odoratam cædunt de rupe cupreſſum.
Phœnices Libani rapiunt à culmine cedrum,
Et Syrus, & quicunque colunt plana æquora Idumes:
Atque Terapnæi gens fortunata Canopi
Vela cedro impoſuere, marique dedere patenti.
Gallus amat fagos, & puppes inſerit ulmis:
Et proram, & dura geminas facit abiete coſtas.
Arduennam, & gelida nudat nemora alta ſub Arcto
Belga ferox, & qui diſperſa mapalia quondam
Incoluere humiles Batavi, vicinaque circùm
Litora piſcatu victum de more petebant:
Nunc re, nunc opibus multis, luxuque ſuperbi
Regna tenent, & jam magni crevere ſub ipſis
Principiis, clari bello, & victricibus armis:
Nam quicquid pelagi veniens Sol luſtrat Eous,
Quicquid & Heſperius, curru fugiente relinquit,
Claſſibus & pariter luſtrant ingentibus ipſi.
Sic fluxas Fortuna hominum res undique verſat;
Nunc ſurgunt humiles in regna, ruuntque potentes
Verticibus rerum ex altis: nunc ordine verſo
Præcipites ſummo labuntur culmine primi;
Rurſus & alta illi rerum faſtigia tangunt.

Apollonius 4. Argon.

Plin. lib 16. cap. 4.

Verùm lecta manus, quæ prima è litore Ibero
Solvit, & Oceanum magnis percurrere velis
Ausa fuit, fatisque novum monstrantibus Orbem
Detexit, vicitque omnem victricibus armis,
Alta Pyrenæos ducit per cærula saltus.
Divisi rapiunt Caledonia lustra Britanni,
Idam Bithyni, Græci felicia Tempe:
Mænalium scandunt nemus Arcades, aut Erimanthi,
Argutasque petunt pinus: populantur Athenæ
Fatidicam Cyrrham, & colles sectantur Hymetti.
Annosam Venetus fagum venatur, & alnum
Rupibus Alpinis: canentem fronte nivali
Cædit & Afer inops operosa Atlanta securi.
Romani rerum domini, qui classibus olim
Conclusam domuere Thetin, Pontumque sonantem,
Ægæumque furens, spumosaque cornua vinctum
Oceanum traxere altæ ad Capitolia Romæ,
E Sila pinum, & fagum petiere comantem;
Velleruntque omnem è radicibus Apenninum.
Ergo age, terrarum dominos imitare potentes:
Et quò te mecum prærupta per avia montis
Cornipedes hausti cursu duxere virentem
In Silam, truncos ponendis navibus aptos
Findito (materiam tibi plurima sylva ministrat)
Quique apti ratibus, paucis, adverte, docebo.
Prima tibi pinus rigida gemat icta securi,
Quæ arbores cædendæ. Atque umbrosa ruat scissis radicibus alnus:
Adde ulmos, cæsoque cadat de cespite cerrus.
Nigras cæde nuces: nucibusque aplustria sunto:
Ipsa sed in primis abies, annosaque fagus
In partem veniant operis; neu cædere molles
Cures castaneas, multùm aut querceta fatiges;
Castaneæ fragiles, quercus nodosa lacertos:
Umbrosis aptæ frondescere montibus ambæ,
Pascere & autumno pingui pecus ubere bacca;
At non Oceanum sulcare: in fontibus alta
Non te frondosa delectet populus umbra:
Nam levis est arbos, & abundat plurima succo.
Una tamen longis cædenda est optima malis,
Quæ (1) Lupias se propter Aquas agit æmula pinis:
Phœ-

(1) Aquæ lupiæ, vicus Hispaniæ *Quadalupe*, & amnis ejusdem nominis, quem proceræ populi inumbrant, malisque inserviunt.

Phœnices cedrum, & Syriæ laudato cupressum:
E nostris fructus petito. Parnassia laurus
Semper fronde sacra tollat se læta sub auras,
Ut sua divini præcingant tempora Vates,
Et clari quoque victores sua: mitte feracem
Sectari cerasum, & mitem sine crescere malum.
Non obliqua petas: quæ recta in luminis auras
Tolluntur, legito, truncoque impone bipennem.
Parce manu teneram ab radice evellere sylvam,
Navita; venturos expectat sera nepotes
Illa, coronato cum vertice surget in auras.
Quæ multos sensere æstus, quæ frigora multa,
Succidas. Quid plura canam? Te multa docebit
Longa dies: variusque tibi nova suggeret usus.
Verum age, delectas cœli quo sydere plantas,
Et quo conveniat sub Luna accidere vultu,
Accipe: tu Lunæ vultus numerare memento.
Illa regit sylvas: illi nemora horrida parent;
Illa & luce vaga plantarum temperat ævum,
Atque illis succum, & vitales sufficit auras.
Ac velut æquoreæ pinguescunt ubera conchæ
Lacte novo, rutilos cùm Luna impleverit orbes:
Tunc plenis turgent radiis, & lumine læto
Luxuriant: verùm rediens si proxima Phœbo
Occuluit vultum, & totos contraxerit ignes,
Sufficiunt tenues succos: vix lucidus humor
In matris gremio, Luna fugiente, refulget.
Non aliter plantis humorem subripit orbe
Luna novo, rursusque illum jam plena remittit.
Namque etiam sylvæ norunt dispendia Lunæ.
Sed tibi Signiferi quanam sub sede rubentis,
E qua Lunæ ætate nemus populeris opacum,
Dicam equidem; nec te dubium, Palinure, tenebo.
Extremum Ægoceri rediens cum liquerit orbem
Phœbus, & adverso surgens Canis emicat astro,
Tertia si raris per cœlum cornibus ibit
Syderio comitata choro Latonia Virgo,
Tunc tibi nubifero nutare à vertice fagus
Incipiat; latè ferro pineta laborent.
Nulla quies operi: cedendus optimus altis
Arboribus est ille dies: qui deinde sequuntur
Dividuum ad mensem, quo toto effulserit orbe,
Felicem sylvis sobolem, sed navibus aptam
Non tibi materiem submittent; ubere pleno
Humorem nimium plantis, succumque ministrant.

Plantæ Lunæ imperio subjectæ.

Quo tempore cædendæ arbores.

Januario in Lunæ silentio optima cæditur materies.

In plenilunio non ita.

Agri-

Agricolæ tunc jure ſinant pubeſcere truncos,
Queis præſtat baccas, lapidoſaque carpere corna:
Tu ne cede operi, aut nimio frangare labore,
Donec lecta ruat frondoſo à vertice ſylva.
Verùm ſi gelidas hyemes præverterit annus,
Et cani montes magna ſub mole pruinæ
Depreſſa cervice gemant, atque obruta paſſim
Semita, & oppletæ ſtipentur ab aggere valles,
Ac, lympha torpente gelu, ſtet ſaxeus humor,
Tùnc Boreæ furiis ſpatiis diſcluſus iniquis,
Pone animo curam ſylvæ, Palinure, nec altos
Perque nives gelidas, perque horrida culmina truncos
Sectare, infeſtæ prohibent dùm frigora brumæ.
Et differre moras opus eſt, & cedere Fato.
Aſt ubi jam Virgo os terris oſtendit honeſtum
Erigone, cùm lance pari Sol dividit orbem
Signorum, tantumque polo latet abditus imo,
Arctoo quantùm rediens micat aureus axe,
Litore deſerto ſummos pete, navita, montes,
Nubiferi quà Sila jugum tegit Apennini.
Arboribus denſis. Sublimi in vertice montis
Altera ſylæ deſcriptio. Planities extenſa jacet, latèque ſub ortum
Excurrit, fœcunda ſolo, nemoroſaque ſylvis,
Læta ſitu aprico, & vitreis lætiſſima rivis.
Cùm cœli metas ardenti Scorpius aſtro
Jam tenet, & vacua deſcendit Aquarius urna,
Ut diræ ceſſere hyemes, ceciditque nivoſa
Canities, tunc terra novo pubeſcere fœtu
Incipit, & tenero veſtit ſe germine campus:
Seque aperit ſylva, & læto de cortice gemmas
Fundit odoratas, ſequitur citò deciduus flos:
Excipiunt flores citò poma, & præcoce partu
Compenſat Pomona moras. Jam vertice pleno
Flaveſcit matura Ceres: jam ſerus Jacchus
Rore novo geſtit. Calabris in ſaltibus alter
Non locus eſt pingui fœcundior ubere glebæ,
Aut mons aſſurgit nemoroſa ditior umbra,
Vel magis irriguus: centum de vertice montis
Præcipites rauco labuntur murmure fontes:
Et circùm ſata læta rigant, & amœna vireta.
Hìc ubi te feſſum recreavit Sila ſub umbris,
Et fontes, geniuſque loci, cùm Luna revertens
Incipiet primùm radio falcata bicorni
Autumno tempeſtiva etiam venit materies. In longùm proferre diem, Palinure, comantes
Cæde trabes; nam ſicca ſinum tunc arida Tellus

Par-

Parciùs è gremio plantis alimenta miniſtrat.
At ſi nimboſus Mauris de finibus Auſter
Irruerit, ſubitiſque nemus concuſſerit alis,
Parce trabi, & trunco rigidas averte ſecures.
At verò cecidit raucæ cùm ſibilus auræ,
Cynthia fraternas & jam fugit æmula bigas,
Velle ſolo plantas, ramoſque recide feraces.
Tandem (me doctum multa experientia fecit)
Illa abies nautæ votis reſpondet avari,
Quæ, cùm nodoſis tenuis radicibus humor
Sufficitur, nec jugis aqua illam, afflantibus Auſtris,
Humectat, matris gremio conciſa bipenni
Congemuit, magnumque dedit convulſa fragorem;
Illius æratæ multùm vixere carinæ.

Non cædendæ arbores Auſtro perflante.

Sed neque materiam ſubitus denudet, & ulmos
Ire novam in formam jubeat fabricator: at illas
Torreat ignito geminus Sol ſydere Cancri:
Sic omne excoquitur vitium: ſic cortice multus
Succus abit pingui; atque exudat inutilis humor.
Nàm ſecùs ille labor formatis puppibus inſtat:
Cùm jam materia incoctis areſcere truncis
Incipit, & ſenſim pinus ſe contrahit in ſe,
Pandit aquis tunc illa vias, & cæca relaxat
Spiramenta ſinu; ruptis hinc nexibus alni
Neptunum accipiunt gremio, rimiſque dehiſcunt.

Antè quam cæſi trunci in navim aptentur, ad Solem exponendi, ut ſuperfluus humor exudet.

Altus ubi cœlo tollit ſe fronte nivoſa
Iſmarus, & rauci labuntur Strymonis undæ,
Barbara gens habitat cultu, quæ Caſpia quondam
Clauſtra pharetratis irrupit curribus, & ſe
Per latos Aſiæ campos: perque arva ſonantis
Intulit Euphratis victrix: populoſque feroces
Contundens, triſti complevit funere regna.
Hinc Aſiæ poſtquam domitrix, atque effera bellis
Helleſpontiaci fauces pervenit Abydi,
Noſtris, ò pudor! & vili mercede paratis
(Non res Romanæ, non tot labentia regna,
Non & relligio gentes permovit avaras)
Navibus Europam tranſvecta, potentibus armis,
Diſcordes animis populos, & regna ſubegit,
Fixitque imperii ſedes, ubi mille per annos
Victrices Aquilæ ſpectatæ, atque arma Quirini.
Hi, quà frondoſi vertex aſſurgit Olympi,
Non certo Lunæ vultu, non ſydere certo
(Mira quidem; nam ritè colit gens barbara Lunam)
Antiquam invadunt ſylvam, nigra regna ferarum,

Turcarum vitium in formandis navibus.

Ex-

Extemplò viridi vellunt de cespite truncos,
Cæsariemque citi tondent, raptimque tepentes
Dilacerant artus ferro: ferit ille bipenni
Annosam fagum: succisam hic cortice nudat:
Hic pinus in frusta secat: vix lævigat ille
Scabritiem primam tabulæ: cavat ille carinam
Præceps; ærata munit hic cuspide rostrum.
Ocyus appingunt costas, & transtra reponunt.
Haud mora, præcipitat sese labor: æquora puppes
Accipiunt: medio spectat se gurgite sylva,
Miraturque novas formas, & non sua vela.
Quales Niliaci circum per stagna Canopi,
Flumineas habitare casas, & vivere rapto
Sueti prædones, si quando gurgite ab alto
Spectavere procul specula properare carinam,
Præcipites in stagna volant, rapiuntque cavatam
Vim sylvæ, rapiuntque arma, & se viribus aptant:
Impelluntque leves cymbas, atque ostia complent.
Hic postquam taciti latuere crepidine ripæ,
Ut fluvio spectant vicinam appellere puppim,
Erumpunt latebris: segnem, & nil tale timentem
Invadunt navim, & stridoribus aëra complent.
Confertique ruunt, rapiunt, perduntque vicissim
Omnia; & aggestas vectant ad litora prædas.

Heliodorus in Æthiopicis, & Achilles Tatius in Leucippe.

Non sic, ignotum qui sulcavere carinis
Oceanum, & longè terras petiere repostas;
Quippè altis primùm venati in montibus alnos,
Pinusque, & patulas annoso robore fagos:
Inde & sub gemino domuerunt sydere Cancri;
Multus ut ex illis, crassusque excederet humor.
Hinc & solerti fecerunt arte carinas,
Victores quibus Oceani spumantia regna
Sub juga, & indomitos potuerunt mittere fluctus.
Quin etiam ratis una (quod & ventura nepotum
Attollet semper, semper mirabitur ætas)
Immenso potuit gyro circumdare mundum,
Ac totum Oceani transmittere cursibus æquor.
Litore ab occiduo primùm ratis æmula Solis
Solvit, & ingentem velis percurrit Atlantem;
Inque novum devecta, Notis spirantibus, Orbem,
Ausa fretum ignotum tentare, & consita saxis
Æquora navifragis: hinc, & felicibus ausis,
Per mare (1) Pacificum victrix pervenit Eoum;

Circuitus Navis Victoriæ Ferdinandi Magallani, quæ Hispali solvit anno 1579. & triennali navigatione totum Orbem circumlustravit.

Et

(1) *Mar del Sud*, Oceani pars inter Americam, & Orientem

Hìc Seres latè, nigros lustravit & Indos,
Et Persas, Arabesque: Erythrææque cærula præter
In Lybiam venit, vacuumque invecta per axem,
Horrendum ventis, & fluctibus, atque procellis
Acronoton (1) superavit: & inde reducta sub Arcton
Claustra triumphatrix subiit felicia portus.
Laudibus æternis, & cœlo digna carina,
Cui magnum meritò fecit Victoria nomen.
Non illa Oceani fluctus, ventosque sonantes,
Nec tempestates timuit, rapidasque procellas.
Sed lecto sylvæ de robore, & arte magistra
Texta, ratis montes victrix superavit aquarum,
Et ventos. Adeò cœptis insistere multum est.

Arbores non imbus exponendæ.

Prætereà sectam nodoso è cespite sylvam
Non gelidæ videant hyemes, non humidus Auster
Aëre sub rigido, aut campis sternatur apertis.
Nam cùm cæruleas collegerit æthere nubes
Juppiter, & plenos alto demiserit imbres,
Humorem tunc illa bibit, rursumque subactas
Vi Cancri multa non sanas accipit undas.
Arboribus gravis unda nocet: nocet humidus Auster.
Ille etenim, pluvio qui fluxit plurimus imbre,
Nativum humorem deperdit noxius humor;
Quippè poris actus perfunditur undique venis;
Atque agit insinuans sese, plantæque vigorem
Paulatim attenuat: nodos, robustaque mollit
Ossa lues: sic illa & aquis pinguescere primùm
Incipit, & sensim putris se facta resolvit.
Qualis hydrops malesanus, aquis cùm plurimus udis
Indulsit, tabemque intùs concepit aquosam,
Pinguior accrescit membris, & flaccida nervi
Vis venit: elanguet vigor, & sese ossa relaxant.
In venis stat cana lues: furit intùs aquæ vis.
Corporis infelix cùm jam compage soluta,
Deserit invisas auras, lucemque diei.

Arbores in mari durescunt.

Est sed amica trabi maris unda; porisque subactus
Humor aquæ multa saturus salsedine truncos
Indurat: medio lapidescit gurgite sylva:
Desuper impostas moles, & mœnia, & arces
Sustinet, æternùmque manet durata sub undis.
Sic magno claram imperio, & victricibus armis

(1) Sic appellavimus ultimum Africæ promontorium, *Bonæ Spei*, antiquis incognitum, quod in Austrum tendat.

Miramur Venetam ſpumoſi in fluctibus urbem
Adriaci inſtructam, ſumptuque, & mole ſuperbam.
Ergo ornos, pinusque Alpino è vertice cæſas,
Conciſasque ſimul mittunt ſub cærula fagos.
Hinc ubi jam duræ longo poſt tempore in undis
Concrevere, trahunt alto de gurgite: & inde
Longævas ſolido ponunt de robore puppes.
Nunc age, (cærulas quoniam properamus ad oras)
Qua demùm è lucis ingenti corpore moles
Arte trahas, caſusque feras ſpectare marinos,
Præcipiam: prolixa juvat diſpendia ſylvæ,
Sumptusque, & multos famulùm vitare labores.
Sylvæ ad Clanium deſcriptio. Eſt lucus Clanii fontes, & flumina circùm
Monte ſuper viridi, qua ſe pater Apenninus
Attollens læto felices ubere campos
Ambit circuitu longo, propè mœnia Abellæ
Aſſurgunt: ſubjecta jugis lætiſſima Baccho
Planities extenta jacet: procul invia Pœno
Nola coronatis oſtentat mœnia campis.
Lucus, Hamadryadum ſedes gratiſſima, Cancer
Igneus è cœlo dum perfurit, & ſata propter
Vix torrente ſtrepens tardo pede labitur amnis.
Hìc gelidi fontes crebrò de rupe cavata
Diſtillant, ſonitusque cient per ſaxa canoros,
Dulcè repercuſſa in Sylvis ſonat aura ſuſurro,
Dum molles vario perflant ſpiramine venti;
Ludit & in tremulis alliſus frondibus aër.
Qui Capreas, & ſacra colunt delubra Minervæ,
Ænariam, Prochytenque, & Surrentina Lyæo,
Delicias Vatum, juga læta, ſinusque Dicarchi,
Hæc ſacra Naïadum nemora, & juga celſa frequentant,
Ut ſibi materiam lembis, parvisque phaſelis
Delectis quærant truncis; nam plurima ſylvæ,
Nec ſoboles ingrata mari: ſtant vertice pini,
Stant orni, mediisque virent in vallibus alni.
Dum mihi vernabant prima lanugine malæ,
Cum jam pierides gratæ, & formoſus Apollo
Gratus erat, nemora alta Jovis, ſedesque beatas
Luſtrabam, rurisque Deas venerabar agreſtes;
Meque ſinu Muſæ ſtringebant: blanda neque ipſa
Pieris indignata meos ſpernebat amores.
Quomodo trunci in lucus devehendi. Hìc ego præcipites vidi de vertice montis
Subjectam in vallem cæſos demittere truncos
Agricolas: vaſtas cervici imponere moles,
Aut latis parcunt humeris: incommoda ſylvæ,

Im-

Implicitæque viæ, ſumptusque impendia vitant.
Non tamen obliquos, ſed rectos rupibus altis,
Nudatosque coma mittunt, cæſosque lacertos.
Inde boves gemini ſubmittunt fortia ſueto
Colla jugo; geminique alii, ſi corpore præſtet
Ingenti moles, ſubeunt, atque ipſa rudenti
Vimineo ſecto religatur vertice pinus,
Perque jugum funis ductorius orbe plicatur,
Inde per æquor iter capiunt, lentèque trahentes
Paulatim ad litus magno pineta labore
Convectant: loris inſtant, & verbere multo
Agricolæ, pigrosque altis clamoribus urgent.
Quos ipſe arguta fagi dum ſtratus in umbra
Aſpicerem de colle, boves miſeratus inertes,
Increpito Agricolas dictis, & ſiſtere currum
Præcipio: timidi faciunt mandata bubulci.
Hinc geminas afferre rotas, quarum ultimus orbis
Ingens circuitu, cuneumque, axemque rotundum,
Temonem oblongum, tabulasque, & cætera currus
Armamenta: citi agricolæ data juſſa faceſſunt.
Tunc geminas hìnc, inde rotas axi inſero, & altè
Mox lignum terebro, cuneumque foramine figo.
Nectuntur tabulæ, medioque imponitur axi
Oblongus temo, temoni adnectere curvo
Cum bobus juga præcipio, truncosque reciſos
Imponi in medio, librato pondere, curru.
Hinc bobus dare lora rudes, & verbere torto
Inſtare agricolas jubeo: mora nulla, juvencis
Vix data lora; citus fertur per compita currus.
Ceù cum vela Noto crepitanti è puppe magiſter
Laxavit, commota ratis volat ilicet alis,
Prona petens maria, & roſtro tumida æquora findit.
Hæc quondam ad Clanii fontes: nunc addere pauca
Eſt animus; (nam nota vocant ad litora Nymphæ
Nereides, longèque ſonant navalia plauſu)
Faginus oblongus temo; ſit cerrinus axis:
Ulmea ſit rota: ſint radii: ſed ferrea ſummæ
Curvatura rotæ, medium librata bicorni
Arbor in axe locum teneat: bobusque relictis,
Temoni jungas poſcentes fræna jugales:
Aptior ad curſum ſonipes, volat æquore aperto
Promptior, & facilis laxatis audit habenas.



NAUTICORUM
LIBER SECUNDUS.

JAM celeri nimiùm cursu per opaca locorum
Fræna reluctantem morsu, stimulisque negantem
Egimus alipedem: tempus nunc flectere habenas,
Atque iterùm in pontum, jam saltibus ire relictis.
Sat Faunis, sylvisque datum. Vos ò ubi Nymphæ
Nereides? properate citæ, & pernicibus alis
Reddite me pelago: sinite ut deserta revisam
Litora, & annosa compingam ex abiete puppes.
Vos, & qui ratibus primi freta cæca profundi
Ausi homines sulcare, vagique errare per undas,
Pandite: namque illos, Divæ, meminisse potestis:
Et Vatem egregias artes, usumque docete.
Principiò cum rari homines ab origine Mundi
Qua occasione inventæ naves. Incolerent terram, felix gens illa beatum
Assyriæ nemus, & florentia rura colebat
Euphratem circà, & Tigris felicia Tempe.
Fortunata, procul bello, & discordibus armis,
Sponte sua Tellus mortalibus una ferebat
Sufficiens cunctis alimentum, & fœdere pactò.
Pauci exercebant terram, & læta arva tenebant:
Sed postquam primi soboles numerosa parentis
Paulatim antiqua crevit de stirpe feraci,
Non satis Assyriæ felicia rura viretis,
Nec simul hospitium sat erat tot millibus unum.
Hinc cunctis mens una fuit trans flumina terras
Quærere, & ignotos Mundi penetrare sub axes:
Eoas alii terras, ditissima regna,

Cau-

Caucasum, & algentes alii venere sub Ursas:
Pars Tauro insedit: pars Thermodoontis ad undas;
Pars & odoriferas felici munere sylvas
Arabiæ, & tepidum latè se fudit ad Austrum.
At, quibus audaces animi, generosaque corda,
Ausi cærulenm Thetidos regnum, & vada cæca
Rumpere, & infido primi se credere ponto;
Quæsitas magni terras mercede laboris
Excolere, & pretio charos habitare Penates.
Namque ea, quæ multo nobis sunt parta labore,
Sunt & grata magis: magis est ex omnibus una
Nobilis, immensis venit quæ palma periclis.
Non secùs, angusto cùm jam dimisit ovili
Pastor oves, tenerasque dedit pecus ire per herbas,
Extemplò celeres stricto de carcere caulæ
Erumpunt, sparsimque locis funduntur apertis.
Hæ vitreos fontes, & odori marginis undas,
Et flores, & culta petunt lætissima cursu:
Stellatos aliæ campos, & dulcia quærunt
Pascua: prata aliæ, spatiosaque rura viretis,
Mollis ubi cytisus viret, & sylvestris acanthus,
Sed, quibus est animus major, temnuntque pericla;
(Namque etiam teneris animis sua blanda cupido
Laudis inest) colles animosæ, & culmina scandunt;
Quæsitosque fuga multa, multosque labore,
Delectos celso flores de vertice carpunt.
Tunc primùm terris ratis usus; & æquora primùm
Spectavere rudes truncos nulla arte dolatos
Intactis innare fretis. Procul ire per altum
Ausi homines ligno exiguo: committitur undis
Vita rate in parva, quis crederet? At fuit illa
Magna equidem virtus, quamvis temeraria virtus.
Audax inventum: sed tanti audacia facti
Profuit: æternis celebrandi laudibus illi,
Qui pelago avulsas sociarunt puppibus oras,
Et super alta levem straverunt cærula pontem.
Non tamen ignoti (felici audacia casu
Paulatim ex primo crevit, majorque secundo
Venit, & exhaustis animi crevere periclis) — *Per litora primùm instituta navigatio.*
Itur in abruptum pelagi: secuere propinqua
Litoribus vada tuta, brevi quà Nereus æstu
Fluctuat undosus: patriis discedere longè
E terris primùm, & medium tentare profundum
(Sentit & ipsa suos audacia cæca timores)
Non ausi: molles radebat palmula ripas.

Non

Non fecùs aërii, cùm jam pubefcere pulli
Incipiunt, teneræque alis fuccrefcere plumæ,
Per nidos volitant circùm, ramisque recurfant:
Non audent pavidi nativas linquere fedes:
Credere fe cœlo, & primo petere aftra volatu.
Hæc rudis ignoto primùm fe machina ponto
Credidit: hac undis infultavere marinis
Audax Japetus, genitique à ftirpe nepotes.
Vix firma compage trabes & fœdere certo
Fluctibus innabant; verùm non tempore longo,
Ut cultæ venere artes, ut crevit & ufus,
Inftar montis aquis deducta tumentibus Argo
Litore Thermaico, & rigidæ fub montibus Offæ.
Hinc fenfim crevere rates: Inventaque prima
Ad majora viam fecerunt: crevit & ufu
Ingenium artificis, conjunctæ nexibus alni;
Diftinctæque loco tunc funt, & nomine partes.
Extenfa eft prora, & fenfim defecit acutum
In roftrum: roftroque fuit ferri addita cufpis.
Incurvum latus, & pandæ data forma carinæ:
Et gemina in longum funt tranftra, forumque repoftum
In medio, & morfu retinacula miffa tenaci:
Et puppis procera, auroque infignis, & oftro.
Sic olim rudis, indigeftaque corpore moles,
Ingenio artifici, & multo fudata labore,
Pulchrior it pelago: & fpumantes fortior undas
Suftinet, Ægæasque hyemes, ventosque fonantes.
Alpinis velut, urfa jugis (fi vera feruntur)
Quam priùs informem connixa in luminis auras
Produxit mater, fit pulchrior, & fua membris
Paulatim nova forma venit, fpeciesque decora.
Nam fœtum complexa parens (mirabile dictu)
Senfim lambendo diftinguit mollia membra,
In latum ventrem compingit docta, manusque
Dividit in digitos, atque unguibus armat aduncis;
Educit de mole caput, collumque rotundat;
Hirfutasque genas pingit: fua naribus addit
Spiramenta, quibus fubducat fpiritus auras;
Atque ori decus, & rutilos inducit honores:
Naturam compenfat amor: quis nefcit amoris
Ingenium? hoc fenfim fœtum formante magiftro,
Exurgit foboles, patrioque fimillima vultu.
Tunc verò alipedes dorfo fenfere carinas
Æquora, turritas mirata in gurgite moles.
Centaurus tunc vifa mari, roftrataque Piftris

Japetus primus navigationis parens, unde & Neptunus dictus.

Argo ad Thermaicum litus fabricata ab Jafone, & Argonautis.

Scyl-

Scyllaque, Delphinusque, ingenti & mole Chimæra.
Alta, metu procul, & patria tellure relicta,
Tunc primùm celeres violarunt marmora puppes.
Aligeræ veluti volucres super aëra lapsæ
Sydera summa petunt, nido, ramisque relictis,
Cùm celeres pennæ, & fiducia crevit adultis.
Sed te ritè modum fabricandæ puppis, & artes
Egregias, ac mira hominum comperta docebo.

In primis sit cura tibi spectare locandis
Qui sinus, aut statio fuerint navalibus apta.
Optimus ille locus censendus, valle reposta
Qui jacet, & monti, & nemorosis proximus umbris:
Ne labor annosas deducere montibus ornos
Improbus agricolas nimiùm premat: ille propinquum
Secura statione sinum, portumve tenebit,
Qui primùm nuda venientem corpore navim
Accipiat, firmoque ratem tegat objice saxi.
Sint circùm fontes, cœli sit grata salubris
Temperies: sit terra simul pinguissima cultu.
Ut facilis victus, sint & sitientibus undæ,
Nec famulos lædat malesana Juppiter aura.
Accessu facili pateat locus: ipsa reducto
Opportuna situ statio: campoque patenti
Alta tibi moles saxo fabricanda quadrato
Porticibus longis, ingentes mole carinas
Læta quibus secto compingat robore pubes,
Sint pariter centum extructo longo ordine cellæ,
Queis sua soliciti fungantur munera fabri.
At domus interior majori condita sumptu
Prætorem accipiat, turbæ qui præsidet omni.
Hic leges dicat: reliqui mandata facessant.
Non temerè incumbant operi, sed legibus æquis
Quisque suum conetur opus, rectore sub uno.

Navalia quemodo, & quo in loco extruenda.

Est opus, ut reges etiam cum mœnibus arcem
Ædificent; summis atque æra tonantia bombis
Mœnibus imponant: hostiles fulmine pellent
Illa rates, ne fortè ferant incendia tectis.
Quin cave, nè furtim jactis tecta arida flammis
Accendantur: iners vel custos molibus ignem
Excitet. Arcendus siccis navalibus ignis.

Navalia arce munienda.

Illa alii in mediis magno visenda theatro
Urbibus ædificant: saxa constructa vetusto.
Talia Parthenope jactat navalia Siren.

Est locus in media fama notissimus urbe,
Quem navale vocant, vitrei Crateris ad undas.

Navalis Neapolitani descriptio.

Amplis

Amplis porticibus, domibusque amplissima centum
Assurgit Cœlo moles: stat proxima colle
Magnifico sumptu, & regali splendida luxu
Regia: stant niveo circùm de marmore fontes,
Artis mirum opus, & monimentum nobile seclis
Spectandum: placido lymphas jaculantur ad astra
Ore feræ, pictosque premit delphinas Arion,
Et fluctu saliente, ciet vaga murmura, & ipsi
Marmorei rugiunt, unda fugiente, leones.
Est & sylva manu navalia consita propter,
Optatam factura comis frondentibus umbram,
Sirius ardenti cœlo dum perfurit æstu.
Eoum ad Solem statio benè fida carinis
Angusto conclusa sinu jacet: altera longè
Stat moles injecta mari, sumptuque superba:
Fluctibus immissi montes, rupesque resectæ
Alatum accipiunt Libycum, franguntque ruentem:
Intùs tuta silet placidè Thetis: altaque cœlo
In medio assurgit cum mœnibus aëriis arx.
Mille fabri, & famuli totidem navalibus adsunt
Soliciti, & celeres componunt abiete currus:
Quisque Ducis dicto parens data munera sorti
Impiger exercet. Serra pars dividit alnos:
Pars dolat ignavos truncos, primamque retondet
Scabritiem ligni: sectas pars lævigat ulmos.
Compingunt alii costas, aliique carinam
Incurvant: alii proram cum cuspide nectunt:
Pars studet & variis puppes animare figuris:
Arte laboratas puppes pars cælat in auro:
Pars acuit clavos, & ferrum forcipe versat.
Hic commissuras lino replet, & pice molli
Vulnera concludit: tabulas pars jungit hiantes:
Illi onera accipiunt venientum, & sedibus altis
Imponunt: hic vela suit, tortosque rudentes
Implicat: antennas illi, malosque laborant.
Fervet opus: pictæque micant in litore puppes:
Quales Cecropiæ volucres æstate laborem
Exercent (si magna licet componere parvis)
Purpureis aliæ fragrantes floribus hortos
Invadunt, camposque aliæ populantur odoros,
Et pinguem tondent tiliam, casiamque rubentem:
Cæruleumque crocum, & ferrugineos hyacinthos:
Mella legunt aliæ, teneroque è cortice ceram,
Et lentum rapiunt gluten, queis cerea fingunt,
Regna: favis aliæ constipant dulcia mella:

Fa-

Fasce levant aliæ venientes, furtaque Veris
Accipiunt, tectisque locant: sic fœdere pacto,
Experiuntur opus, fabricantque è nectare cellas.
Præterea quicunque ratem meditaris, oportet,
Ut primum sicco describas cortice puppim.
Ac veluti turres, & celsa palatia fabri,
Atque novum molitur opus cùm sedulus ipse
Parthenius, primùm inscribunt facienda papyro:
Exemplumque operis digito, ingenioque magistro
Ante oculos plumbo ponunt, præbentque videndum:
Artificem nè fortè operis pars ulla futuri
Prætereat; sic ante ratem describere plumbo
Est opus in tenui membrana, operisque futuri
Exemplum, cui rectè operis mox singula quadrent.
Nunc age, præcipuas artes tibi carmine dicam.
Sunt autem variæ fabricandis navibus artes,
Et varium quoque pro cultu, ingenioque locorum
Illarum genus est, variosque aptantur ad usus.
Nam fluviis aliæ sternuntur, & inter inertes
Solicitant, vada pigra, lacus, turpesque paludes:
Curva errant aliæ per litora: cærula at illæ
Alta petunt, rostroque maris tumida æquora findunt.
Hæ tonsis vada lenta secant: Hæ carbasa ventis
Committunt: aliæ velo, remoque volantes
Corripiunt maria, & campis spatiantur apertis.
Transvectant aliæ pretiosas gurgite gazas:
Sed rigidos aliæ belli formantur ad usus.
Linter amat fluvios, & inertes Cymba paludes:
Alveus in stagnis, per litora curva Phaselus:
Undosique lacus alnos portare cavatas
Consuevere, Ratesque fretum arripuere volentes:
Rostratas conclusa Thetis petit æquore puppes,
Pontus, & Ægæum, & Siculi maris unda Triremes,
Illas trans Gades, pelagique in gurgite vasto
Respuit Oceanus, turritaque fluctibus altis
Navigia, & magno patitur vix corpore (1) Gaulos.
Est varium & gentis studium, ingeniumque vicissim.
Gaudent Campani celeres agitare Phaselos:
His alacres Tyrrhena secant vada, lætaque circùm
Litora, & apricos colles, & rura pererrant.

Navium graphis, seù forma priùs in papyro exhibenda.

Variæ navium species.

Diversis locis, diversæ naves aptæ.

Varia in fabricandis navibus hominum studia, & inventa.

(1) Etsi Gaulus ab antiquis pro navi oneraria accipiatur, nos pro Gaulis eas naves accipimus, quas Hispani *Galeones* appellant.

Velocem Nereo Lembum dedit usta Cyrene;
In mare Phœnices Cymbam, Rhodus alta Celocem
Misere, & Canna pelagus fregere Micipsæ:
Assuta veteres sulcarunt Pelle Britanni:
Pelle etiam, quotquot rigidis tenet Ursa sub oris,
Marmora cana legunt: & sutilis orbe rotundo
Sutilis ex pelle navis Ex argilla in Ægypto, et ex Papyro. Euphratem irrumpit venientem gurgite Linter.
Fertur & Ægypti regnatrix barbara Memphis
Argilla fecisse ratem, testamque cavatam
Suscepit medio miratus flumine Nilus.
Fluminеam biblum, & niveam junxere papyrum
Prædones, qui stagna colunt torpentia Nili.
Quique Erythrea tenent vada læta, rubentibus undis,
Artibus inventam patriis misere Biremem.
Insignes auro, ut perhibent, ostroque Triremes
Constratæ, seù tectæ naves. Cæruleis admovit aquis generosa Corynthus.
Constratas verò Thasii fecere carinas,
Magnum opus, & duro fortissima machina bello.
Illyris Adriaco celeres agit ora Liburnas:
Jonium, Siculumque rapit: gens Itala pictas
Penteres (1) in bella trahit per cærula puppes:
Illas Hispani pariter, Gallique togati
Ædificant: illos imitata est barbara Thrace.
Trans Calpen, extrema colunt quæ litora gentes
Oceani ad fontes, alato flamine currus
Ingentes agitant: his dorso turribus altum
Impositis Atlanta domant, franguntque ruentem.
His animadversis, certas præscribere leges
Navis fabricandę modus. Aggredior. Postquam plumbo, miniove rubenti,
Exiguam in sicco pinxisti cortice puppim,
Et partes omnes, atque intervalla notasti,
Ingentem in primis opus est, Palinure, quadratam
Sternere humi (2) fagum, aut pinum, pedibusque duobus
Sexaginta super quæ sit tibi longa; sed alta
Bis septem assurgat digitis, denisque patescat,
Penterem si fortè velis fabricare, vel ingens
Navigium: quà prora venit, pandam insere, (3) fagum,
Adde (3) aliam quà puppis erit: sed & utraque fagus,
Vi-

(1) Quinqueremes, in quinque remiges singulis remis insistunt. (2) Pro Carina, *Carena*, Gallis *Quille*.

(3) Dyochi, carinæ partes, quæ in proram, & puppim curvantur, quæ ad proram Italis *Rota di prora*, Gallis *Estable*: altera, *Rota di poppa*: *Estambord*.

Viginti sit longa pedes, si cura triremem
Moliri: magnæ verùm fundamina puppis
Si jacias, obliqua cadat rectissima fagus
Postera, quæ puppis faciat primordia quadræ.
At si majores pelago deducere naves, — *Navium longitudo quanta esse debeat.*
Fortè cupis, majora solo tunc prima locato
Fundamenta; (Operis fundamina prima futuri
Qui majora jacit, majus consurgere in altum
Cernet opus: Sequitur moles exordia prima)
Sic centum super inflexam jussere carinam
Ire pedes alii: bis senos insuper olli
Addere consuerunt illi, qui corpore gaulos
Ingenti fabricant, vastum quibus æquor arandum
Oceani: at terris conclusum qui mare sulcant,
Non tàm magna locant fundamina prima carinæ.
Sexaginta, quibus vectoria ponitur: at qui
(1) Surrentinam agitant velis, celeremque liburnam;
Quadraginta trabem sternunt de more repandam.
Hinc, & digressus, (2) costas adnecte carinæ.
Et costas curvo facies de robore cerri, — *Costarum structura.*
Aut fagi: in medio sed curvatura repostis
Major erit: magnum verò si texere cures
Navigium, latè costas laxabis in orbem.
Transversum ascendant, pedibusque à cespite surgant
Bis septem pro navi, altæ pro mole carinæ
Adde unum: gaulique duos sibi jure reposcunt.
Bis senos aliæ exoptant, denosque minores,
Utq; celox, (3) lembusq; (4) celer, ratis, atque (5) liburna,
Illas, dùm spinæ radiis nectuntur acutis,
Subjecti teneant firmo munimine pali.
At verò, ut pandæ sociare (6) statumina spinæ
Firmiùs, & totum valeas compingere corpus.
Cerrina per longum conjunges (7) ligna carinæ:
Quæ tamen extremo tenuem flectantur in orbem:
Deinde quibus rigida figendæ cuspide costæ.
Hìc geminum compinge latus: sylvisque resectis,
Ardua velivolæ consurgant mœnia turris.
Quæ si terribiles belli formentur ad usus, — *Naves bellicæ è solidis trabibus, & cur?*

K 2 E so-

(1) *Tartane* qua Surrentini passim utuntur. (2) Italis *Starnenali*: Gallis *Costes*. (3) *Tartana*. (4) *Fragata*, & *Fusta*. (5) *Marsiliana*. (6) Eadem, ac costæ. (7) Sunt hæc costarum initia, quæ in Oceano, Italis, & Gallis *Varangue* appellantur, in Mediterraneo *Madere*.

E ſolidis veniant trabibus: ſic fortiùs ictus
Excipient, Martemque ferent: non ære canoro
Disjicietque latus glans ferrea: mœnibus altis
Exiguum faciet, trunco obluctante, foramen.
Quantùm autem in medio puppes laxare cavatas
Conveniat, quantùm ſenſim decreſcere utrinque,
Quanta navium latitudo. Præſcribam. Pentera pedes bis tende novenos.
At Galli, Rhodiique duces, qui ſalſa triremes
Per vada veloces agitant, tres demere ab illis
Conſuevere: leves at ſi fabricare biremes
Exoptas, ſeptem pedibus tunc detrahe primis.
Verùm ſi naves, quæ merces gurgite vectant,
Aggrediare, duos illis ſuper adde, magiſter.
At quæ terribili veniunt pro munere belli,
Bis ſenos addunt: ſed maxima corpora gauli
Quadraginta pedes laxari pectora poſcunt.
E medio incipiant ſpatiis decreſcere coſtæ
Imparibus, paribusque, petant ſeu tramite recto
Auratam puppim, aut proram aggrediantur acutam.
Naves, quæ in acutam exeunt proram agiliores ſunt. Tandem (me toties acti per cærula curſus,
Et caſus docuere, exantlantique labores)
Illas laudato nimiùm, Palinure, carinas,
Anguſta quæ fronte patent, ſeſeque relaxant
Non multùm in medio, & roſtro attenuantur acuto;
Sic faciles vento, longisque per æquora remis
Tendere iter poſſunt, dextramque audire magiſtri,
Accelerare fugam, & venientes gurgite ab alto
Transversùm abruptos montes diffindere aquarum.
Non ſecùs ac volucres, gracili quæ corpore præſtant,
Aëra diffindunt lapſu, celerique volatu
Objectam irrumpunt nubem, ventosque laceſſunt.
Poſt ubi compactum ſteterit latus abiete multa,
Tende trabes; magnumque trabes ſuper injice (1) tectum:
Et (2) ſpondas circùm ſuccingat zona ſupremas.
Intùs prima locum putris ſentina tenebit:
Hanc ſuprà conjecta cavo tabulata receſſu
Proxima ſuccedant: ſtabitque his ſedibus imis,
Libratura ratem, fluctu jactante, ſaburra.
At ſuper annoſo facies de robore cellas,
Concluſis annona quibus ſervanda feneſtris,
Atque oleæ, laticesque ſacri, quadræque tenaces,
Atque nitrum, atque pilæ, atque horrendi copia Martis:
Aſt

(1) *La Coverta*, Gallis *Tillac*. (2) *Orlo della Nave*. Gallis *le Bord du Navire*.

Aſt alibi ſomno concedant mollia membra
Delecti proceres, defeſſaque corpora curent.
Puppe ſub extrema ſtabit domus ampla, ſupremi
Illa Ducis, circùm pictis ornanda tapetis.
His actis, properè inſequitur formanda magiſtro
Altera pars navis, quæ primo à limine ſpondæ
Altior aſſurgit. Varius fabricantibus offert
Se modus hìc primùm: validas ſi cura triremes
Moliri, è fago, aut cerro, Palinure, reſecta
Viginti quatuor nectantur in ordine (1) tranſtra
Ad latus hìnc, illinc, geminoque ſedilia verſu.
At ſi, quam texis, fuerit prætoria puppis,
Adde duo: quatuor ſuperaddere barbara Thrace
Conſuevit: ſed mole gravis non apta per undas
Ocyus ire ratis, nec cærula frangere gyro.
Infames pelagi prædones, Africa nutrit — Afrorum biremes vulgò *Galeotte*.
Barbara quos Tellus, & moribus imbuit atris,
Quique nigras animas nigranti in corpore verſant,
Euripedes agitant per cærula ſalſa biremes:
Ac gemino verſu bini per tranſtra ſedentes
Viginti inſurgunt remis, celereſque per undas
Aufugiunt, latè & terras prædantur, & æquor.
Dii ſuperi, infames longè detrudite ab oris
Italiæ, & pelago prædones mergite: Diris
Quos ego: ſed cœptas præſtat compingere puppes.
In medio protende foros, tabulataque junge
Aſſeribus nexis, binos (2) agearia longa
Accipiant homines: intùs ſub fornice cellas
In longùm extende, & tabulis compone politis,
Vela quibus, funeſque, intextaque lina repones.
Ultima zona latus currat longiſſima circùm
Pinea: perque latus pateant ſub margine ſummo
Spiramenta, quibus venientem à gurgite pontum
Accipiat, reddatque, freto jactante, carina.
Margine & in ſummo per cuncta ſedilia lignum
Fige teres, qui ſcalmus erit: religandus & illi — Scalmi.
Impulſurus, erit, ſpumantia marmora remus.
At remum pini facies de robore recto,
Vel fagi, qui tonſus erit, circùmque rotundus:
Sed qua parte ferit maris æquor, palmula ligno
Inſit acuta, leves quæ diſſecet ocyùs undas.
Quadraginta pedes & ſit tibi longus: at ille — Remi.

Lon-

(1) *Banchi*. Gallis *Banc*. (2) Sunt loca in navi, per quæ hortator ad remiges accedit, *Corſia*.

Longior, ingentem pellit qui mole Chimæram
Prætoris: brevior sed, si citet ille biremem.
Sed proræ labor æratæ subit: ergo age, binas
Mole pari turres, quæ Martia tela retundant,
Proræ formandæ ratio. Æraque terrificis sustentent horrida nimbis,
Arboribus sectis, medioque in vertice fige.
Adde ori rostrum, & rostro ferrum insere acutum:
Ardescant auro, atque è murice rostra rubescant.
Hinc procera venit docto ponenda magistro
Puppis, & in puppi varianda aplustria signis.
Dædala puppis erit: puppi cælentur in auro
Fortia facta ducum, & patriæ decora inclyta gentis:
Parthenopæus Hylas Sirenes cælat in auro,
AUSTRIACOS animat Reges, domitosque tyrannos
Sub pedibus stratos inscribit, & insuper addit
Arma virùm, galeasque, & capta insignia regum:
E nuce sublustri facies subsellia longa
Hinc, inde: & circùm variis intexta figuris
Cælatura humeros exornet, & aurea signa
Sint super: Attalicique tegant convexa tapetes:
Cheniscus. Quin & barbarico luxu (1) Cheniscus in alta
Cælandus puppi, & minio tingendus, & auro.
Forum. Ante forum protende: Thronumque cacumine fige:
Thronus. Prætor ubi det jussa, ratemque per alta gubernet.
Inde coronato consurgat vertice, opacam
Pharos. Quæ nitidis noctem vincat (2) pharos aurea flammis:
At medio regis cælata insignia fulvo
Sint auro, atque auro prætoris signa nitescant.
Gemina in Navi puppis. Qui semota colunt felicis regna Cyambes,
Turrito geminam fecerunt vertice puppim:
Ac nautis gemini pariter dant jussa magistri.
Præterea geminus formandus puppe sub ipsa
Pontis structura. Pons (3) erit, & lateri ferro versatilis unco
Adnectendus, aquis demitti, & tollier alto
Qui possit, fune extento, rursumque reducto:
At si navigium ponis, celeremque liburnam,
Ad latus in medio firmos imponere pontes
Præcipio: pandumque supra protendere (4) cinctum;
E'qui-

(1) Anserculus, qui puppi præfigitur, ornatus gratia.

(2) *Fanale*, *ò Lanterna*, quarum prætoria tres gestat, legati verò duas, Vicelegati unam. (3) Scala per quam in navim ascendimus. (4) Idem, ac Zona, dicitur & subligaculum, quo navis cingitur, ut firmius tabulæ consistant, Galli *chaindes* vocant, nostri *cordone*.

E quibus accipiat venientem (1) Pergula pubem.
Insuper his, curva surgit quà mole carina
In medio clavus duplex figatur: aduncus
Alter erit, qui salsa petat, circoque rotundo
Alter, & incurvum temonem, utrique tenebunt
Mole pari: tantùm descendat clavus in undas,
Cæruleis quantum tollit se fluctibus. At me
Nunc majora vocant altæ molimina puppis.
Est in secessu Adriaci maris, æquore in ipso
Urbs augusta, potens armis, regnisque superba,
Et latè imperio multos dominata per annos,
Cui placidis famulatur aquis Neptunus, & altus
Adria, & Jonium cum fluctivago Ægæo.
Et quæ (vera fides ; diæ cecinere Sybillæ)
Felix æternùm terris durabit, & omnis
Adriaci maris imperium sinè fine tenebit,
Italiæ decus almum, & libertatis avitæ
Relliquiæ, & prisci quicquid jam restat honoris.
Illa etenim afflictis melius confidere rebus.
Dat fractam Ausoniam: Superùm pietate relicta
Præsidio miseræ; nam sæpè potentibus armis,
Instantes jugulo Mauros avertit iniquos,
Immites pepulit Thraces: fregitque tyrannum
Auroræ, & victum retrò dare terga coegit.
Illa & justa animo rursus nunc concipit arma,
Pontificis Magni jussu, monituque Deorum:
Scilicet Europa, totoque Oriente tyrannum,
Atque Scythas fuget immanes, & fortibus arm's,
Conetur fluxas Asiæ res vertere fundo.
Hanc urbem Veneti augustam coluere per annos
Mille, tot & populis leges, & jura dedere,
Qui magnas ingenti (2) Hepteres corpore longè
Adriaci præter fines duxere sub Ortum
Primi, & Neptuni domuere tumentia regna.
Has ubi turrita compingere mole triremes
Aggrediere, solo primordia prima carinæ
Latiùs extende, & lato sit corpore pinus.
Et costas laxabis, & altiùs abiete secta
Attolle, & medio major sit mole triremis.
Adde etiam nova transtra, quibus generosa juventus

Venetiarum elogium.

Hepteris texendæ modus.

Se-

(1) Eadem, ac Agear, *Corsia*. (2) Sic appellavimus eas naves, quas Veneti *Galeazze* vocant ; nam septeno remige impelluntur.

Septeni remum impellunt, & longior ille eſt.
Sitque urbi lorica, & proræ in vertice turres
Sint geminæ: turrita tibi ſit & ardua puppis.
Mœnia ſed circùm plures ſint curva feneſtræ,
Æra quibus ſub Marte tonent, & fulmina vibrent.
Tertius è puppi ſurgens ſe malus in auras
Rectus agat. Sed Major erit tibi cura, magiſter,
Navis Venetæ inſignis ornatus. Ornandæ minio puppis, nitidisque figuris.
Ludentes tremulo delphinas in æquore ſculpes,
Tritonesque cavo pulſantes cærula cornu,
Et Glaucum, & Proteum cum ſemifero comitatu.
Ipſe vel in medio fulvo cælandus in auro
Sylvarum regnator erit, dominusque ferarum
Magnanimus Leo, quem latos diffuſa per armos
Exornet juba, cæſariem mentita comantem:
Et geminas armis, erectasque inſere pennas.
Verùm olli in primis fronti generoſa ſuperbæ
Majeſtas inſit, vivoque in lumine vultus:
Ut credant ſpirare: manumque impone rapaci
E chalybe, at gemmis textum fulgentibus enſem,
Et ſubter Fidei, Paſſique volumina Divi,
Quæ ſervet, Thracique necem, ſtragemque minetur.
At capiti ex auro effinges ſplendente coronam
Eois rutilam baccis, oſtroque nitentem.
Inde coronatæ depicta in vertice puppis
Æquatas Aſtræa gerat juſtiſſima lances.
Sint & divinæ pulcherrima Virginis ora,
Atque comæ, flavoque comæ nodentur in auro.
Plurima cæruleo veſtis fucata colore,
Et nitidas ſparſim referens argentea ſtellas,
Circumdet, niveique incingant crura cothurni.
Sed jam veloces pelagi compingere currus,
Navigii ſtructura. Vela quibus multo ſurgentes flamine venti
Impellunt: fortes & ſunt pro remige venti,
Aggredior. Primæ ſurgat de limine ſpondæ
Majori cum mole latus: ſuperinjice tectum
Tecta ſuper: circùmque latus ſuccingat utrumque.
Zona alia ex fago: ſit tertia margine ſummo.
Hìnc fabricanda tibi magnæ ſunt mœnia turris,
Quæ Martem accipiant venientem, atque objice nautas,
Armatosque tegant: circùm ſpiramina muro
Tot facies, tormenta velis quot Martia turri
Addere, flammivomo turbent quæ ſydera nimbo.
Viginti geſtare ſolet vectoria; ſed quæ
In belli caſus veniunt, agilesque per undas
Mole

Mole levi fugiunt, prædasque ad litora vectant,
Quadraginta ferunt: magni sed corporis alni
Sexaginta sinu comprendunt: maxima gauli
Mœnia centum etiam crepitantibus æra sub auras
Accipiunt bombis, trifidæ Jovis æmula flammæ.
In puppi tormenta duo retinacula circùm;
Æra locant alii quatuor longissima, curvo
Illa ministrantem clavo, clavumque tuentur.
At quæ terribilem belli texuntur ad usum
Terna tenent tabulata; pedes quæ dissita denos
Semper erunt: geminus sit mœnibus æreus ordo.
Alter & in puppi superadditur: ænea binis
Mobilibus tormenta rotis, teretique cylindro
Impones: sic ore cavo dum fulmina torquent,
Retrò inferre pedem facilis via, neve resistat
Navigii pars ulla: ruant ne scissa per undas
Roboraque, tabulæque, intretque patentibus æquor
Scissuris; puppisque, freto refluente, fatiscat.
Mobile quin etiam lignum compinge fenestris
Cardinibus super, aut concludier omnia possint
Spiramenta mari turbo cum venit ab alto,
Ingeminatque vadis tempestas atra refusis.

Sunt etiam, curvo surgunt quæ corpore, naves,
Quas olim dixere (1) Dromos cognomine Graii;
Nam velis, remoque volant. Maurusia tales
Gens facit, & Libyci cursat per litora regni. Dromi fabrica.
Hæc texenda tibi fuerit si fortè carina,
Tot cava fagineo molire (2) foramina muro,
Quot longos utrinque velis super addere remos.

Hæc sunt præcipuæ fabricandis puppibus artes, Celocis fabrica.
Qui sequitur facilis labor est, formare celocem.
Qua Surrentini gaudent; impone magister,
Tecta super latus, atque humero tenus intege nautas.
Accipiat puppis tectum: stet vertice (3) cella;
Lora reget currus consisdens claviger illa.

Cura levem cymbam, & pictos formare phaselos Cymbæ.
Haud equidem tibi multa: laborque facillimus illas

 Te-

(1) Celerrimæ naves à currendo sic dictæ, *Caravelle*.
(2) Columbaria scilicet, per quæ remi extenduntur: in antiquis navibus maximè in usu: in quibus qui in primo ordine erant remiges, dicebantur Thranitæ: in 2. Zygitæ: in 3. verò Thalamitæ: etsi alii velint Thranitas esse, qui ad puppim navigant, Zygitas, qui in medio. Thalamitas verum, qui versus proram. (3) *La Camera della poppa.*

Tenuibus è truncis compingere; tranſtra neque illæ
Accipiunt, ſed firma tenent latera alta tenaci
Annexæ clavo tabulæ, quibus aſſidet æquor
Everſura levi remo generoſa juventus.
Qui cymbas agitant, tonſis maria alta ſedentes
Semper arant: celeres pubes Campana phaſelos
Per fluctus erecta vagos impellit, & omnes
Ad numerum remis feriunt mare, & æquora verrunt,
Sint coſtæ terno; digito vix latior uno
Sit tabula, & multo non ſurgat pondere linter,
Ocyus ut pelago fugiat, dextramque magiſtri
Audiat: è prora ſurgat tibi malus ad auras
Mobilis, & quadrum ſuſtentet pertica velum.
Ad latus hìnc, illinc ſint bina ſedilia puppi,
Et variata ſuper protenſa tapetia, & altus
Sit tectus velo fornix, villoſaque circùm
Zona fluat, rapidos Solis quæ temperet æſtus.
Semoti qui regna colunt vaſtiſſima Congi,
Naves monoxylæ. Innocui Æthiopes (1) Zairea flumina circum.
Ingentesque lacus, per quos fluit amne canoro
E (2) Lunæ rapidus deſcendens vertice Nilus.
Immenſos ſoliti truncos agitare cavatos
Furnerius Hydrog. lib. 1. cap. 27. Arboris unius (licondum nomine dicunt)
Bis centum trunco inſidunt, remisque laceſſunt
Cærula: lethiferas etiam vibrantia glandes
Æra cavo imponunt trunco, & fera prælia tentant.
Cura dehiſcentes ſupereſt occludere rimas.
Ante mari puppes quàm miſeris; imber apertis
Quomodo rimæ, & commiſſuræ concludendæ. Ne commiſſuris ruat intùs, & æquora pinus
Accipiant: contuſa rudis pars ultima lini
Proxima corticibus rimas implere patentes
Optima: quæ rimis ferro trudatur acuto.
Fluminei crinem calami contundere quondam
Conſuevere humiles Batavi, rimasque patentes
Opplere. Eoo diſperſa in gurgite, gentes,
Quæ tot regna tenent, truncorum cortice nectunt
Vulnera; ſed valido primùm ſub pondere tundunt.
Naves pice liniendæ. Sic lino ſtipata rudi, linienda liquenti
Puppis erit cera, tædisque ungenda refuſis,
Alta picem Phrygiis mittet de montibus Ida,

Aut

(1) Fluvius, & Lacus in interiore Æthiopia, *Regno di Congo*, qui ab urbe Zaire nomen accipit. (2) Lunæ montes, ex quibus defluit Nilus, ut veteribus creditum.

Aut vicina dabit tibi Sila: in rupibus altis
Ingentes alit hæc pinus, quibus atra liquatis
Pix coquitur, centumque fluit fornacibus humor
Densus, opacus, iners, viscoque tenacior ipso.
Verùm alba, ut perhibent, instructas calce carinas
Illiniunt primo gentes Oriente repostæ.
Est opus accensa tabulas & inungere cera,
Et pice nigranti, clavisque adnectere acutis.
Succenduntque trabes multi: picibusque liquatis,
Accensisque linunt alii; sic atra tenaci
Pix jungit nexu tabulas, & firmiùs hæret,
Pellit & æratis inimicum puppibus imbrem.
Alta etiam tabulata linunt, tædisque præustis
Incendunt, nè fortè graves cùm miserit undas
Juppiter, accipiant imbrem, rimisque fatiscant.

Calce liniuntur apud Indos.

His actis, cave continuò navalibus alnum
Instructam pelago deducas; tempore certo
Compacta in siccis opus est insistat arenis,
Ut nexæ partes coalescant; fluctibus at si
Committas, casusque trahas spectare marinos,
Concussa compage trabes, tabulæque dehiscent,
Fissaque diductis solventur vulnera rimis.
Ceù currente rota si cùm cavus urceus exit,
Nec coctus fornace priùs, vel Sole sub alto,
Accipiat lymphas, paulatim frigidus humor
Laxabit rimas: sensim compage soluta,
Urna dehiscenti, reserabit vulnera, creta.

Compactæ naves ad certum tempus stare debent, ut mutuò tabula coalescāt.

Intereà famuli antennas, malosque laborent.
Corticibus nudata suis longissima pinus
Malus erit, superis qui se rectissimus auris
Inferat: & nodo careat: non fissilis ille,
Non obliquus erit: veniatque à cespite major:
Inde minor sensim tenuatus acumine surgat.
Par (1) ille incurvæ tollat se mole carinæ,
In medio qui rectus erit: verùm (2) alter in ipsa
Curvatura insit spinæ minor: utraque pinus
Unus erit truncus: cuneis firmetur acutis
Pterna foraminibus, (3) Modioque immota quiescat
Ponderibus librata suis longissima sylva.
Navigii malos soliti formare magistri

Antennarum, & malorum structura.

 Ar-

(1) *Albero maestro* Italis appellatur, Gallis *Le gran Mast.*
(2) *Lo Trinchetto* Italis, Gallis *Le Brocet.*
(3) Foramen, cui malus imponitur, cuneisque firmatur.

Arboribus geminis, ut cùm furit Æolus antro,
Altior à ſummo demitti vertice poſſit.
Navibus in multis malis non rectus ad auras
Aſcendit: caput obliquum ſed flectit in undas.
Antennas gemini annoſo de robore trunci,
Connexique dabunt: illos tu vimine torto
Firmiter adſtringe, & picibus perfunde liquatis,
Ne pluviæ noceant: quin &, Palinure, memento
Arboribus formare pares: ſed pondere major
In medio tibi truncus erit, parteſque per ambas
Attenuatus eat, cornuque nitebit acuto.
Antennam è medio ſuſpendes corpore malo;
Nam librata ſuo ſic perſtat corpore moles.
Perge, alium tollunt malum (1) de puppe Celoces,
Turritæ geminos alios portare carinæ
Conſuevere: (2) minor puppi præfigitur altæ.
Roſtra per obliquus major deſcendit & alter:
Recta ſed extremi pars tollitur ultima mali. *Quot in navigiis antennæ.*
Maximus è medio qui ſeſe nubibus infert,
Tres habet antennas, alatis cornibus: (3) ima
Longior & prima eſt (4) pterna ſuper: (5) altera (6) collo
Addita mole minor: tandem (7) carcheſia circùm
Tertia (8) contractis tendit ſe cornibus arbos.
Antennas totidem ſpeculator vertice malus
Suſtentat: geminas proræ ſuperadditus alter
Obliquus: major rectum premit una trachelum.
Ille unam è media ſurgit qui puppe tenebit,
Auritumque dabit velum venientibus Euris.
Quot tenet antennas, totidem redimire coronis *Corona Gabiæ malis imponendæ.*
Cura tibi malum, ſpeculamque imponere ſummis
Verticibus, qua cuncta maris lata æquora cuſtos
Inſpiciat, referatque duci quas gurgite ab alto
Adventare videt puppes, quæ puppibus undent
Vexilla, hoſtileſne illæ, ſociæne carinæ.
At verò in ſummo teneat vectoria corbem *Corbita quæ.*

Ver-

---

(1) Italis, *l'Albero di poppa*, vel *di Mezania*. Gallis *Artimon*. (2) *L'Albero della Zevadera*, vel *Bompreſſo*. Gallis *Le Maſt de Beauprè*. (3) *Antenna maeſtra*, Gall. *La grande Vergue*. (4) Ima pars mali. (5) *Antenna della gran Gabbia*, Gallis *La Vergue de Hune*. (6) Eſt trachelum, mali medium. (7) Suprema mali pars, ubi ſpecula, Italis *Il Calceſe*, Gallis *Hune*. (8) *L' antenna del Perrochetto*, Gallis *La Vergue de perroquet*.

Vertice, (1) corbitam hanc olim dixere Latini.
Sed Marti quæ ſacra mari natat ærea (2) pinus,
Aut Galeam referat, pictumve cacumine ſcutum,
Et ſuper undanti regis cum ſtemmate ſignum.
Vimineas etiam ſummis pendere coronis,
Atque imo ſcalas opus eſt firmarier unco.
In malum pubes contendet, & ultima mali
His animoſa petet carcheſia. Candida ſed me
Poſcunt vela: operis quæ pars non ultima noſtri eſt.
Ergo age, pernices aptemus navibus alas.

Æolus primus velorum inventor.

Æolus, ut fama eſt, primus Neptunia regna
Audax velivola fugiens cum puppe cucurrit,
Concluſitque ſinu ventos, & fœdera certa
Aëria pepigit cum gente, & viribus uſus
Molliit audaces animos, fregitque tumentes.
Cana reluctantes tunc primùm carbaſa ventos
Excepere ſinu: molles audire rudentes,
Et parere manu, & nutu didicere magiſtri.

Quomodo texenda.

Dedalus hinc fugiens Dictæi regna tyranni
Carbaſa Chalcidicas Cumarum invexit ad oras:
Ex quo artem egregiam noſtri accepere parentes.

Dedalus in Italiam invexit.

Principiò tortum lini de cortice filum,
Velocique dabit contextum pectine velum.
Vela etiam duplici ſubtexere ſtupea filo
Eſt opus, ut valido venientes flamine ventos
Accipiant, tolerentque: intorta cannabe velum
Subtexunt alii, geminataque ſtamina torquent;
Vimque addunt filis, ut ſint fortiſſima vela,
Ardentesque ferant ſpumoſa per æquora nimbos.

Vela ſerica Cleopatræ.

Vela Teraphæi, ut perhibent, regina Canopi
Serica contexto pretioſo vellere fecit.
Verùm hos barbaricos luxus, quos fœmina vexit,
Non ego laudarim; nam ſerica texere vela
Barbara luxuries regum eſt, & ſumptus inanis.
At nigri Æthiopes nudati pelle draconis
E puppi accipiunt ſurgentia flamina venti.

Ex pelle.

Arctois ſed regna tenent qui cana pruinis,

Ner-

(1) *Nave da carico*. (2) *Nave da guerra*, cui olim aut galea, aut ſcutum in ſummo malo apponebatur: nunc vexillum tantum, hoc tamen diſcrimine, ut Prætoria *l'Ammiraglio* vexillum habeat in maximo malo; Legati verò navis *Viceammiraglio* in malo anteriori, ſive Dolonis; Vicelegati *Contrammiraglio* navis in malo poſteriori.

Nervis vela fuunt, direptaque piſcibus exta
Suſpendunt malo: duris dant pellibus Auſtros,
Diverſa à nobis habitant quæ litora, gentes
Axe alio, quà rara polo circumnitet Arctos.
Qui Magellani vertunt freta conſita ſaxis,
Concludunt rapido venientes murmure ventos
Ex cortice arborum. Cortice in arboreo: qui regna rubentis Eoi
Gangaridæ, Seresque colunt, & durus Japon
Vimineæ. Vimineam Zephyris tegetem ſpirantibus alto
Expandunt malo; ſtoreisque canentibus aura
Obſtrepit: inflatæ tegetes ſpumantia currunt
Æquora: tu foliis contexere vela caveto,
Nauta; ſed Eoi ſi ſit maris æquor arandum
Trans freta, trans Gades, gemina compingere tela
Carbaſa præcipio, ut dirum Typhona procellis,
Ac Præſtera ſinu poſſint tolerare furentem.
Eſt autem duplex veli genus: alta triremis
Velorum ſpecies. Per fluctus (1) aurita Notis dat vela ſecundis.
Antennæ geminas ſuſpendunt cornibus aures:
Cannabe (2) pes imus duro religatur ab unco.
Atque celox etiam, lembique, liburnaque velum
Auritum ventis committunt: cætera (3) quadra
Navigia expandunt ſua vela, ruentibus Euris:
Demittuntque pedes geminos, longoque rudente
Unco nauta ligat, (4) circoque rotante, revolvit,
Contrahere ut facilis labor, & laxare rudentes.
Prætereà tibi velorum ſit copia multa;
Nanque uſus pariter varius: cùm murmure leni
Felices ſurgunt auræ, tunc maxima vela,
(Artemones (5) noſtri Grajo cognomine dicunt)
Dant levibus nautæ Zephyris, & cærula currunt.
At cùm ſylvifragis agitat Notus aëra flabris,
Aut Euri ruit, aut Boreæ intractabilis ira,
Contrahit Artemonem, parvoque (6) Dolone magiſter
Par-

(1) Velum triangulare, *Vela latina*. (2) Eſt acutior pars veli, quæ ad navis latus religatur, modoque contrahitur, modò relaxatur, *Angolo della vela, & l'orecchio*, Gallis *Coin*. Sunt & pedes funes, quibus hujuſmodi veli partes ligantur, *Scotte*, Gallis *Eſcoutes*. (3) Quadrangula, *Vele quadre*, Gallis *Voile quarrée*. (4) Lignum illud rotundum ad modum trochleæ, quod noſtri *Girella*, & *Ruzzola*, Galli *Poulie* appellant. (5) *Vela maeſtra*, Gallis *Voile du gran Maſt*. (6) *Trinchetto*.

Parciùs ardentes gremio venti accipit auras.
Dat (1) Medium in ventum, juſto cùm murmure Corus
Obſtrepit. Aptandum velum ſpirantibus auris
 Sunt etiam texenda tibi de cannabe vela.
Suppara (2) Romani appellant, quæ plurima ventum Suppara.
Accipiunt gremio moriturum, atque ocyùs alnos
Pontigradas per ſalſa citant, curſuſque ſecundant.
Hæc aliis alto jungenda in vertice mali,
Et firmandus erit curvo pes unicus unco.
 Cannabe cura etiam longos torquere rudentes Rudentes *Sarte.*
Et facies varios, vario pro muneris uſu,
Majores (3) illi, jacitur quibus anchora fundo,
Et quibus æratæ religantur ab aggere puppes,
Semper erunt: (4) alii verùm qui vela minores
Suſtentant: tenuique alii de ſtamine ſcalas
Facturi veniant: ſint ſtupea vincula veli.
 Prætereà annoſo fagi de robore (5) clavus Clavi ſtructura, & partes.
Formandus, Palinure: uno vix latior ala
Sit pede; & in gyrum ſenſim curvarier illa
Incipiat radice; hinc & tenuetur acutum
In collum, ut pandæ reſpondeat ille carinæ.
Verùm (6) lax capulo formetur acutior, (7) aſſer
Quà patet, imponi ut valeat verſorius illi:
Et denis erit hic pedibus tibi longior aſſer.
Mox alæ in latere oblongum cum cuſpide ferrum,
Conjuncturæ aliud circo defige rotundo:
His clavum accipiet puppis, quà torquet habenas
Ipſe gubernator, tenditque per æquora curſus.
Sint geminæ hinc, & illinc trochleæ, verſare magiſter
Queis clavum poſſit, quà venti, &, ſydera ducunt.
 Hæc præter, ferro ſupereſt cudenda Britanno Anchoræ cudendæ.
Anchora: & hæc binis armatur dentibus una,
Altera ſed quatuor: capulo ſimul annulus inſit,
Quo religanda, mari dum mittitur; axis & illi

Sub-

---

(1) Sic vocamus Epidromon velum, quod noſtri dicunt *la mezana*, vel, *vela di Mezania*. (2) Sunt veluti velorum ſupplementa, quibus utuntur nautæ, cùm languet vis venti: noſtri appellant *contravele*: eſt & velum, quod in ſuperiori mali parte apponitur *Bonetto*. (3) *Gomene*, Gallis *Cables*. (4) *Scotte*, Gallis *Manocuure*. (5) *Timone*, Gallis *Gouvernail*. (6) Superior clavi pars, ità Moriſotus & alii. (7) Scilicet manubrium, quò clavus hàc, illac vertitur, Italis *Aggiaccio*, Gallis *Barre*.

Subter acernus erit: ſint bina foramina proræ
Per quæ funis eat, dum protinus anchora in undas
Proijcitur: tranſenna cavo religatur in unco.
At non una tibi duro formanda metallo
Anchora, ſed plures, quarum quæ maxima, nautis
Dicta eſt ſacra; Noti cùm perſurit ira, ſub æquor,
Deſcendit, navimque immenſo corpore fundat.

Species variæ.

Sed jam læta vocant inſtructas cærula naves,
Aſpirantque levi in velum cita flamina cantu:
Nec non & vitreis ludunt Nereides undis.
Ergo age, purpureo textam de flore corollam
Puppibus impone: & ſerto redimita juventus
Frondenti niteat, lauroque aplauſtre virenti
Floreat, & lauro carcheſia ſumma nitebunt:
Et molles ſternantur humi violæque, roſæque:
Tempora dein ſacra præcinctus fronde ſacerdos,
Accenſamque ferens tædam divina faceſſat.
Solenneſque preces præfatus ab ore, carinas
Depictas veteri patrum de more ſacrabit:
Nuncupet & Superis felicibus, altaque puppis
Præferat ex auro cælatum in vertice ſignum
Numinis, auratæ cui ſit tutela carinæ.

Naves priusquam in mare mittantur, Superis dedicandæ.

Navis tutela.

Qui verò ingentes turrito corpore puppes
Ædificant, roſtro in medio ſub vertice proræ
Imponunt Oculum, cujus de nomine naves
Appellant, auroque Ptychen, & murice pingunt.
Delphinos multi cælant, Scyllaſque biformes,
Centauros alii armatos, aliique volantem
Pegaſum, & armigeras Aquilas, fulvoſque Leones;
Et Tigrem horribilem, & Piſtrim, indomitamq; Chimeram;
Quin etiam proræ pictis variare figuris
Conſuevere genas, ornare & floribus illas:
Et ſimul auratis navim redimire corymbis.
Effingunt alii Mauros, victoſque Gelonos,
Qui magnis geminas ſuſtentent viribus alas.

Paraſemum, ſive Navis oculus incidendus, ex quo navis nomenclatura, & ornamentum.

Sed deducendis quæ ſint nunc navibus arma;
Expediam. Tibi multus erit pulvinus, & ingens
Ergata (1) pergrandes trochleæ, magnique (2) cameli:
Plurima & in gyrum verſetur vectibus acta
Sucula, (3) perque illam æquato ſe corpore vectes
Transjecti extendant: curvæ ſuppone carinæ,

Deducendæ navis modus.

Navi-

(1) *Argano*, Gallis *Faulconneau*. (2) Eſt & machinæ, & funis tractorius. (3) *Torno*, Gallis *Tourn*.

Navita, faginceos axes, solidasque phalangas;
Et cera ungendi, pinguique bitumine trunci.
Principiò tonsilla solo figatur acuta,
Atque alii ad litus pali figantur arenis,
Quò versus magnæ mittendæ in cærula naves,
Tonsillis forti trochleas vincire rudente
Est opus, & duris firmanda est machina palis.
Hinc axes circùm teretes, trochleasque camelus
Multiplici spira ducendus, & insuper ille
Non semel est circùm navim volvendus in orbem.
Mox bini incipiant vectes versare ministri:
Nec cessent donec vitreas se puppis in undas
Mittat, & emergens suprà natet æquora moles.
At si quem fortè ars prorsùs defecerit omnis,
Nec, quo sylva, modum, pelago mittatur, habebit:
Tempus & Ortygii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo turritam mole carinam
In mare deduxit pueri manus: altius omnem
Expediam, antiqua revocans ab origine, famam.
Clara Syracosii qui regni sceptra tenebat
Magnanimus Hiero, & Siculos ditione premebat,
Ingentem lecto sylvæ de robore puppim
Jusserat artifices moliri, & murice, & ostro
Pingere, & auratis passim cælare figuris.
Quam facto, infectoque auro, gemmisque coruscis,
Cælatisque gravem signis, pictisque tapetis,
Atque ebore insignem multo, & nitido argento,
Jam Pelusiaco regi donare parabat.
Continuò artifices datum opus navalibus altis
Experiuntur, & assidui compingere navim
Concertant: fabricata brevi post tempore puppis
Assurgit cælata auro, atque in murice fulgens.
Ast ubi constructam pelago deducere fabri
Aggrediuntur, & ingentes supponere vectes,
Atque axes motu faciles, teretesque cylindros
Festinant alacres: circùmque revolvitur ingens
Ergata, stridentesque rotæ versantur in orbem,
Aspiciunt vitreas turrim demittere in undas
Difficile esse; adeò surgebat machina mole
Immensa: namque illa caput super altior urbem
Extulerat, latèque suos laxaverat artus.
Ergò alios poscunt socios, axesque rotundos,
Et vectes addunt alios, ac viribus urgent:
Attamen incassum çecidit labor omnis: & illam
Non axes, longique valent impellere vectes:

Mirabile Archimedis inventum pro nave Hieronis deducenda.

Ingens Hieronis Siracusani navis.

Et fruſtrà juvenes ſubnixi viribus urgent.
Ac velut in medio rupes immota quieſcit
Æquore, quam contrà Boreæ inſuperabilis ira
Infremuit, denſiſque ferox diverberat undis;
Aut, Euro bacchante, ruunt ſtridore procellæ,
Et commota ferunt ſpumantia cærula nimbis.
Alliſæ franguntur aquæ, franguntur & Euri;
Stat rupes immota, & cedere neſcia ventis.
Sic & firma manet, nec vectibus ardua cedit
Machina, vimque omnem ſuperat, niſusque potentes.

Hæc ubi cognovit miratus ab arce tyrannus,
Ortygium ſub tecta ſenem jubet aurea duci.
Magnarum cui ſumma datum molimina rerum
Ingenio tentare, manuque attollere quicquid
Magnum mole foret, cunctaſque exquirere cauſſas
Occultas rerum, & numerum ſubducere arenæ,
Fama per Auſoniæ, & Siculas vulgaverat urbes.
Accivere ſenem famuli: pictæque repentè
Aulai in medio ſenior ſtetit: excipit illum
Rex Siculus, dextramque viro dat pignus amoris.
Divinum rogat inde ſenem, ſtimulatque precando,
Fluctibus ut navim deducat, & aurea poſcat
Præmia: donandum magno ſe munere ſperet.

Sic fatus rex eſt: placido cui talia contrà
Ore refert ſenior: Faciam, rex magne, quod optas.
Verùm nulla mihi donari præmia poſco;
Tangere nam dextram ſatis eſt potuiſſe tyranni:
Et ſatis ipſa ſibi quovis pro munere facta
Egregia, æternùmque manet laus, & decus ortum
Ex illis. Mora nulla, rotas formare metallo
E ſolido jubet artifices, & dentibus illas
Armari obliquis; numero ſex: æraque cudi
Hac lege, ut ſpatiis ſemper majoribus orbes
Se ſuperent, primusque minor, majorque ſecundus.
Imperat & totidem pariter fabricare minores.
Intereà quatuor præſtanti robore truncos
Litore ſuſtollit: totidem mox deſuper addit
Ad latera, & clavis capita ultima nectit acutis:
Subter & hinc, inde, & medio ſub corpore molis
Ingentes nectit tabulas, & multus in illis
Ferreus utrinque, & verſatilis additur axis,
Quo rota verſari poſſit: trabibusque locatur
Ordine quique ſuo: innectitque volubile ferrum
Extremi capulo, quo circumvolvitur axis.
Axibus inde rotas diſponit in ordine curvas,

Machinæ, gloſſocomum dictæ, mira ſtructura.

Atque

Atque illas ſpatiis omnis diſterminat æquis,
Dentibus ut cunctæ ſeſe per mutua nexis
Exciperent; vertique ſimul, volvique viciſſim
Unà omnes poſſint: mox circumvolvit in axes
Ingentem funem, quo à fronte ligaverat alnum.
His actis, pueri manibus verſatile ferrum
Imperat in gyrum verti, ſenſimque rotari:
Ut primùm cœpere rotæ ſuper axe revolvi
Orbibus adverſis, ſubitò (mirabile dictu)
Ingens paulatim deduci machina cœpit.
Attoniti ſtupuere omnes: ſtupuitque tyrannus,
Dum nova tantarum ſpectat miracula rerum,
Quæ facili niſu nunquam facienda putaſſet;
Ni leve confieri paucis res ipſa docèret.
Et tandèm exclamans: Quæ non miracula rerum
Ingenium facit acre, manusque operoſa magiſtri!
Cui ſenior. Majora oculis ſpectacula rerum
Aſpiceres, mihi ſi ſursùm ſubducere plantas;
Et fas in tenui veſtigia figere nube,
Namque ima mundum traherem de ſede supernè:
Magna quidem: ſed vera: neque his deducere multum eſt.
Tum rex: Credo equidem: nihil eſt molimine magnum,
Difficile & nihil eſt, docti quod dextera tandem
Non queat artificis ſuperare, & vincere niſu
Ingenii. Sed lata ſubit ratis æquora: retrò
Subſequitur plauſus populorum, & murmure feſto
It cœlo clamor: diſcurſat læta per auras
Vox: reboat mare longè, & litora curva reſultant:
Aſſurgunt plauſu ſcopuli, & vaga murmurat unda.
Hæc igitur Siculi memoranda inventa magiſtri,
Et ſimul egregias artes, Palinure, ſecutus,
In mare velivolas deduces litore puppes.





NAUTICORUM
LIBER TERTIUS.

HACTENUS æratas puppes, & linea vela;
Nunc te, Phœbe, canam: nec non cœlestia tecum
Sydera: te niveis etiam, Latonia, bigis
Undosi regnata feram per cærula ponti.
Tuque vel in primis venies pars maxima cœpti,
Æole, inaccessosque petam, tua regna, recessus,
Ac nava pacatos revocabo ad carmina ventos,
Et genus, & mores, numerumque, & nomina dicam:
Divinumque canam inventum, & data munera Divùm.
Principiò, Palinure, priusquàm scindimus æquor
Ignotum per iter, varios prædiscere ventos
Est opus, & quo quisque suo de cardine perflat:
Quique polum nimbis contristant, quique serenant,
Nubibus expulsis: & cœli tempore certo
Dent faciles in vela auras: qui cærula contrà
Occludant, tristesque hyemes, & nubila portent: *Ventorum cognitio quam necessaria navarchis sit.*
Et tibi quo ventos prædicat Delia cornu,
Aut Sol, aut Helice, aut ardenti Sirius astro.
Atque hæc in primis solerti cura magistro
Semper erit, longè instantes prænoscere ventos,
Ire procellosas si vult impunè per undas,
Atque iterum patriæ portus spectare relictos.
Ipsi etiam tutis si currere classibus æquor, *Et Classium ductoribus.*
Et pugnare velint, clarosque referre triumphos,
Nosse duces ventos opus est, variantia cœli
Sydera, & Eoos ortus, Solemque cadentem.
Namque olim Zanclæ memini me turribus altis,

Quà Thetis angusti veniens à sede Pelori
Objectas modico terras secat ardua fluctu,
Evandron vidisse senem cui multa senectus;
Lustra decem bis jam robusta expleverat ætas.
Hic mihi cærulei cùm jam consedimus ambo
Ad molles pelagi ripas, ubi splendida luxu
Alta theatrali surgunt palatia circo,
Maurolycum novisse senem narrabat, & illum
(Multa viro virtus, multo sudata labore
Ars erat, & varii varia experientia cœli,
Noscere seu vellet ventos, seu dicere cursus
Astrorum, & longè venientia pandere Fata)
Austriaco donasse duci (qui victor ad altum
Jonium, Eoi concussit regna tyranni,
Avertitque hostem Italiæ, cladesque futuram)
Depictas minio tabulas, queis longa per omnes
Scripta dies rerum series erat: ille futuras
Hìc tempestates, ventosque, & nubila, & imbres:
Hìc & purpureos Soles, cœlumque serenum
Fatidicus niveo signarat cortice Vates.
Cùmque has ille duci properanti ad bella dedisset,
Hæc olli dixisse ferunt: I, chara Tonanti
Progenies, Fidei, & regni spes maxima nostri;
Cùmque manus conferre paras, has, inclyte, primum
Consule; namque illæ quæ sint ventura docebunt.
Et sic Threijcii contundes arma tyranni:
Et venies victor, spoliisque Orientis onustus.
Tu Vatem ne sperne; Fidem observata merentur.
Mox totam Evander repetens (audire videbat
Me cupidum senior) memoravit origine pugnam.

Maurolyci elogiũ, & Ephemerides ab ipso Austriaco datæ. Hoc poëta Messanæ à viris fide dignis accepit.

[illegible]

Tempus erat, quo celsa domus stellantis Olympi
Panditur, Oceano tenebris, Lunaque fugatis,
Purpureis variata notis Aurora rubescit:
Cùm geminas sors una tulit propè litora classes
Naupacti, (1) junxitque freti discrimine parvo.
Est locus Actiacis Ætolûm proximus oris.
Flumina quà nitidis Acheloja miscet arenis
Ipse suis Neptunus aquis: hic Græcia Tellus
Hesperium ad Solem, & lævas se flectit ad undas,
Quà mollem Zephyrum, & felices excipit auras:

Pugnæ Naupactçæ descriptio.

Loci hypotiposis.

Con-

(1) *Lepanto*, hinc victoria Naupactæa: non longè ad Actium promontorium Augusti victoria ex M. Antonio, & Cleopatra notissimum.

Contrà elata mari ſtat Neritos ardua ſaxis.
Hìc geminas æſtu terras ſecat unda revulſas
Exiguo: ſenſimque patens fluit uſque Corinthum,
Ætolùm hinc regio eſt; illinc Pelopeïa regna
Reſpondent: geminæ curvo ſtant litore (1) turres,
Quæque Rhion Grajo quondam cognomine dicta:
Barbara gens nomen nunc invertere vocantes.
Hinc verò Ætolùm quà ſe cava litora flectunt
Cyrrhæum in pelagus, fundata virentibus arvis
Naupactus, ſtatioque jacet benè fida carinis.
Trans Rhion objectas Achelus (2) Echinadas undis
Verberat. Hæ quondam (ni mendax fabula Grajùm)
Najades errabant fluviis, quæ numine verſo,
Nunc ſcopuli riguere mari, quibus alta trophæa
Contigit Auſtriadùm, & Venetùm ſpectare triumphos.
Hos inter ſcopulos certatum Marte cruento
De maris imperio: ò utinam non læva fuiſſet
Mens hominum! tota fractus cum claſſe tyrannus
Eoa nunc urbe foret, regnoque repulſus.
(Et conceſſa ſequi, & Fatis felicibus uti
Neſcia mens hominum) Hos ſcopulos tenuere carinæ
Auſtriadùm, Venetùmque rates, cùm Barbara claſſis
Naupacti ſtatione ſedens dare carbaſa cœpit
Trans Rhion, & ſenſim pelago ſe mittere aperto.
Mille rates mare prætexunt, atque aëra mille
Vela, & mille leves fluitant vexilla per auras.
Ipſe ubi jam properare hoſtem audiit Auſtriacus dux,
Conſtitit, atque oculis plena æquora circumſpexit.
Mox celſa in puppi circum vectatus in altum
Agmen agit, tenditque acies, & cornua flectit.
Auſtriadùm dextram claſſis, Venetùmque ſiniſtram
Occupat: in medio puppes prætoriæ, & ipſæ
Bis ſeptem, horrendi facturæ exordia belli,
Turritæ ſteterunt primo agmine (3) Bucentauri.

Christianorum claſſis diſpoſitio.

Jamque rubeſcebant radiis ardentibus undæ.
Eoa de ſede ruens cùm ſibilus Euri
Labitur Oceano crepitanti flamine vela

Odry-

---

(1) *Dardanelli di Lepanto* vulgus vocat, per quos in Corinthiacum ſinum *Golfo di Lepanto* intramus.

(2) Inſulæ ad oſtia Acheloi *Cruzolari* appellant.

(3) Sic non incongruè Hepteres, ſeu *Galeazze* vocamus à mole, qua reliquas ſuperant, etſi non eadem ſit apud Venetos *Galeazza*, & *Bucintoro*.

Odrysiùm tumuere sinu; flatuque secundo,
Jamque propinquabat primæ ad tentamina pugnæ
Barbara Threijciùm sinuata in cornua classis,
Undantesque dabant vexilla argentea Lunas.
Ast ubi Christiadæ in proram descendere ventos,
Atque hostes ruere adversos videre, repentè
Perculsi cecidere animis, trepidoque tumultu:
Jamque referre pedem, & retrò dare terga parabant.
Ipse sed Austriacus spem magnam in pectore versans,
Ingentesque animos, altæ ad subsellia puppis
Imperat acciri proceres. Utque ære canoro
Increpuere tubæ, celeres ad jussa vocati
Convenere, replentque duces subsellia primi.
Tunc ille afferri tabulas, quas arte peritus
Maurolycus dederat, famulos jubet: inde recludit
Quæ Vates ventura die signaverat illo.
Hæc autem ventura die signaverat illo:
Cùm Sol Oceano surget, simul Eurus Eoo
Assurget: si fortè mari sese obvius hostis
Intulerit, Martemque velit tentare secundum,
Ne dubites conferre manus, cadet Eurus, & undas
Afflabit Zephyrus, nubesque immittet in hostes.
Vix hæc Austriacus, procerum stipante senatu,
Legerat, & classes dederat vulganda per omnes:
Cùm subiti rediere animi, strepituque canoro,
Arma petunt. Dictis tanta est fiducia Vatis.
Ipsa sed in primis læto clamore vocatur
Divorum Regina, maris cui cærula parent,
Et cui deposito famulantur murmure venti.
Nec mora, continuò paribus concurritur armis:
Classibus adversæ classes, rostra obvia rostris
Ivere, ut belli signum prætoria puppis
Fecit, & horrendo strepuerunt cornua cantu.
Hinc celeres sicca servatam in reste favillam
Admovere nitro, conceptoque ocyus igne,
Emicuere tubi, sonitumque dedere metalla.
Nec mora millenæ fugiunt, rupto obiice, glandes,
Vulcano pellente: pluit latè horridus imber
Ferreus, & nigræ tolluntur in aëra nubes,
Et medias inter nubes micat ignibus æther
Cum tonitru: cæcis exhorruit unda tenebris,
Et pulsata imo fremuerunt æquora fundo.
Ac veluti ruptis, gremio fervente, caminis,
Ingentes scopulos, & grandia saxa sub auras
Vesbius agglomerat, disjectaque viscera montis

Christianorum metus ex adverso vento.

Resumpti animi.

Atrox pugna.

Eri-

Erigit eructans, & sydera verberat imbre
Saxorum: totus radicibus egeritur mons.
Flammarum erumpunt cunei sub nubila; & ingens
It cœlo fumus, cœlique obnubilat astra.
Præcipitesque ruunt pice nigra, & sulphure mixto,
Ardentes fluvii, rapida flammante favilla:
Subjectas implent valles: latè omnia circùm
Arvaque, litoraque, & villæ vastantur, & urbes.
Non aliter gremio, suscepto protinus igne,
Horrendùm concussa cavo crepuere metalla:
Disjectæ tonitru glomerantur in aëra puppes.
Mille trabes, & mille volant disrupta per auras
Rostra, carinæque, quassataque fulmine vela:
Corpora mille virùm: medias dispersa per undas
Arma fluunt, galeæque, atque altæ robora sylvæ.
Odrysii, velis Euro spirante secundo,
Audaces animos, atque irrita vota fovebant.
Attamen incassum gavisi Marte secundo:
Alternat Fortuna vices: Felicia cœpta
Flebilis eventus, lacrymandaque Fata sequuntur.
Jam Sol altus erat, confestim murmure fracto,
Eurus abit: siluere vada: & stetit utraque classis.
Sed concessa quies brevis est: pernicibus alis
Allapsi Zephyri rupere silentia: festo
Secundi Austriacis venti. Austriaci Zephyros venientes murmure læti
Accipiunt: tumuere sinus, tumuere secundis
Auspiciis animi: læto clamore lacessunt
Sydera: bella iterum, & victricia signa reposcunt.
Magnanimus dux audentem in certamina pubem
Tùm sic aggreditur: Promissi numine venti
En adsunt: reliquum, in manibus victoria vestris
Tota est: ite; præit quoniam Fortuna, sequendum est.
Nec plura: Austriaci invadunt, & rostra feroces
Vi superant: ruptoque velut ruit objice ripæ
Immissis cùm flumen aquis, & murmure rauco,
Dejectat latè segetes, populatur & arva:
Christiadæ in classem irrumpunt, atque obvia diro
Ense metunt, cædesque, & passim funera miscent.
Ipse ubi præcelsa in puppi conspexit Alymum,
Irruit Austriades contrà, & præcordia multo
Barbara transfigit ferro: ceciditque superbus
Mole gigas, strepituque iit indignatus ad umbras.
Qualis ubi in sylvis contorto fulmine pinus
Icta cadit, gemituque replet nemora alta supremo.
Tunc cæsi caput Austriades obtruncat, & hasta

Præ-

Præfigit, tollique jubet de vertice puppis.
Ut cæsi de puppe caput, lacrymabile signum,
Threjicii ducis aspiciunt, trepidi ocyùs omnes
Prona fugæ dant terga, ratesque ad litora vertunt.
Insequitur victor: ferro debellat & igne,
Quid plura? ardent rostra: viri sternuntur, & omnes
Æquore dispersi vento jactantur, & armis.
Christiadæ læti exultant, Superùmque salutant
Reginam, tanti fuerat quæ caussa triumphi:
Atque ipsos læto Zephyros clamore salutant
Præsentes. Adeò ventos prædiscere magnum est.

Turcarum cædes, & Christianorum victoria.

Hæc quondam Evandrum memini cecinisse sub altis
Turribus, angusti quà fluctuat unda Pelori.
Sed jam me Zephyri, & felicior evocat aura:
Ire animus: felices concedite carminis œstrum,
O Musæ, & celeres properate per ardua mecum:
Namque iter in nubes intendimus. Est locus ingens
Ætheris in medio, rigidis ubi plurimus horret
Aër frigoribus, volucrique impervius omni est.
Proximus huic flammis ardentibus imminet altus
Juppiter: ima tenet dulcis mortalibus ægris
Temperies, magno Superùm data munere Divùm:
Pendula se circùm regio diffundit in omnes
Terrarum, pelagique plagas; sed major in axe
Arctoo, gelidisque riget stipata pruinis:
At Sol Æthiopas quà ferventissimus urit,
Strictior illa, nimis vicino pressa calore:
Sed geminæ in medio quà zonæ habitabilis Orbis
Temperiem, & mixtam faciunt cum frigore flammam,
Stat justis extensa locis. Hìc æthere regna
Æolus alta tenet: veniunt his sedibus Euri,
Et Zephyri, Corique, & nimbiferi Aquilones.
Hìc etiam nubes concrescunt, tenujor imo
Cum vapor è terræ gremio consurgit in altum:
Cæruleique cadunt, submotis nubibus, imbres.
Ergo age, nunc caussas mecum tentare latentes
Aggredere, & prima revocemus origine ventos.
Tantisper, Palinure, licet divertere clivo:
Haud equidem labor incassum, nec inutilis error:
At tu, quo nostræ lætantur Apolline Musæ,
CARDENIDE generose, præi, tenuesque per auras
Sterne viam Vati facilem, incœptumque secunda.

Aëris regionum descriptio.

Sol maria, & terras flammis vitalibus omnes,
Aëraque irradians, animantia cuncta calore,
Cunctarumque fovet caussarum exordia prima:

Ventorum generatio, & caussæ.

Semina compingit rerum, concretaque vertit,
Atque novas cogit paulatim ſumere formas;
Rerum quippè parens Sol eſt. Sic humida Tellus
Phœbeis ſenſim radiis tepefacta relaxat,
Expanditque ſinum: tenui volat halitus aura
Nimborum in ſedes, hìc frigore preſſus iniquo
Stipatur: ceu parva phalanx, cùm fortior inſtat
Hoſtis ab adverſo, cuneo denſatur acuto;
Colligit & vires, atque arma, globosque ruentes
Objectis contrà ſcutis, haſtisque repellit.
Sed gravis ille venit concretus, pandere quo ſe
Confeſtim patrias iterùm demittit ad oras:
Hìc rurſus tepefactus abit reſolutus in auras,
Et ſenſim major, majorque accreſcit eundo:
Cum tandem ſpatiis nimium concluſus iniquis,
Quà via per medias nubes, perque aëra latè
Seſe aperit, citus irrumpit, velut acta ſagitta,
Stridulus, & circùm rapidus ſe trudit in auras:
Atque auras premit obſtantes, premiturque viciſſim:
Stare loco neſcit: celeri ſecat aëra lapſu,
Dum fugit, immiſcetque fretum, & nemus omne tumultu.
Non ſecus admotum rapidis ſi fortè favillis
Vas fuerit, cui ſtricta manent, oblongaque colla,
Æneus & venter magnum turgeſcit in orbem:
Intùs paulatim ferveſcens humor ab igne
Solvitur, & tenues rarus ſe vertit in auras:
Ac majora petens latè loca, it halitus alto
Colla per oblonga erumpens, tractimque volando
Attenuatus abit, ſonituque effertur acuto
Stridulus, & multo fugiens niſu premit auras
Objectas, raucoque imitatur murmure Coros.
Non intermiſſi flantes ſic aëra venti
Continuis agitant flabris, & cærula vertunt;
Quippè ſinu terræ ſemper vapor exit ab imo.

Venti olim ſine nomine.

Incerti quondam perflabant marmora venti;
Nec numeros norat, nec nomina fecerat illis
Navita, nec medio ſpectarat ab æquore ſtellas.
Aſt ubi culta Thetis, celeresque immiſit in undas

Ventorum multiplex numerus, & nomenclatura.

Audax nauta rates, ſua tùm (1) cognomina ventis,
Om-

(1) Non omnibus una eſt ventorum nomenclatura, neq; omnium ventorum, juxtà recentiorum diviſionem apud Latinos nomina fuere, nos probatos Authores ſecuti ſumus, & aliis Græca nomina accomodavimus, aliis verò ventis nova ex Italis nomina deprompſimus.

Omnibus & ſua tùm pariter data nomina ſtellis.
Primus purpureo cœli de cardine præceps
Eois ruit (1) Eurus equis: contrà æquore ab alto
Quà Sol flammiferos rubro lavat amne jugales,
Aſſurgit (2) Zephyrus. Mundi de ſede nivali Cardinales,
Deſcendit (3) Boreas nivibus ſtipatus, & horrens
Frigoribus multis: contrà venit humidus (4) Auſter
E Libya, & pluvio contriſtat turbine cœlum.
Hos inter quatuor totidem generantur, & illis Medii.
Nomina nauta dedit. Boream ſtrepit inter, & Eurum
Ventus, ab egelidis mittit quem rupibus Æmi
Græcia: (5) Græcum Itali jam nunc cognomine dicunt.
Contrà hunc nimborum denſum citus explicat agmen
Africus, (6) & Mauris deſcendit ab uſque præuſtis.
Hybernum propè ſolſtitium tonat (7) Euroauſter
Denſis ſtipatus pluviis: contrarius Urſa
Alta (8) Arctozephyrus deſcendit, & horridus æquor
Aſperat: illum Itali ventum dixere Magiſtrum.
Quisque horum dextra, lævaque armatus ab alto
Irruit, & gemino Tethyn lictore flagellat.
Durus Hyperboreis (9) Aquilo ſe rupibus infert: Laterales.
Alter ab Eois furit (10) Helleſpontius oris.
Ultrà Eurum immiſſus roſeo (11) Vulturnus ab Ortu.
At mitis venit è tepido (12) Gangeticus Auſtro.

(1) Italis *Levante*, Hiſpanis *l'Eſte*, Gallis *Eſt*, Belgis *Ooſt*, Anglis *Eaſt*. (2) Ital. *Ponente*, Hiſp. *Oeſt*, vel *Oes*, Gal. *Oveſt*; Bel. *Vueſt*, Angl. item *Vueſt*. (3) Ital. *Tramontana*, Hiſp. *Nort*, vel *Norte*, Gal. *Nord*, Bel. *Noort*, Angl. *Noorth*. (4) Ital. *Oſtro*, vel *Mezzodì*, Hiſp. *Sur*, Gal. *Sud*, Bel. *Zuyd*, Angl. *South*. (5) Ital. *Greco*, vel *Grecale*, Hiſp. *Nord Eſte*, Gal. *Nord eſt*, Bel. *Noort Ooſt*, Angl. *Noorth Eaſt*. (6) Ital. *Libeccia*, vel *Garbino*, Hiſp. *Sud Oeſte*, Gal. *Sud Oveſt*, Bel. *Zuyd vueſt*, Angl. *South vueſt*.
(7) Ital. *Scirocco*, Hiſp. *Sueſte*, Gal. *Sudeſt*, Bel. *Zuyd ooſt*, Angl. *South eaſt*. (8) Ital. *Maeſtro*, vel *Maeſtrale*, Hiſp. *Noroeſt*, Gall. *Nordoveſt*, Belg. *Noort vueſt*, Angl. *Noorth vueſt*. (9) Ital. *Greco Tramontana*, Hiſp. *Nor Nordeſte*, Gal. *Nord nordeſte*, Belg. *Noort noort ooſt*, Angl. *Noorth noortheaſt*. (10) Ital. *Greco Levante*, Hiſp. *Leſnordeſt*, Gal. *Eſt nordeſt*, Bel. *Ooſt noort ooſt*, Angl. *Eaſt north eaſt*. (11) It. *Scirocco Levante*, Hiſ. *L'Eſt ſueſte*, Gal. *Eſt ſud eſt*, Bel. *Ooſt zuyd ooſt*, Angl. *Eaſt ſouth eaſt*. (12) It. *Scirocco Mezzodì*, vel *Oſtro*, *Scirocco*, Hiſ. *Sur ſueſte*, Gal. *Sud ſud eſt*, Bel. *Zuyd zuyd ooſt*, An. *South ſouth eaſt*.

Hesperia sub sede tenet dextra Africus udum
Libonotum : (1) è leva surgit (2) Subvesperus atrox.
Addit se comitem occiduo sub sole Magistro:
Corus, (3) ab Ausoniis cognomine dictus Japyx:
Circius (4) Arctoa sequitur de sede nivali.
Hos præter, totidem mediis è sedibus auræ,
Nothi, seu Quartæ. Turba minor, certoque mari sine nomine surgunt:
Quas etiam, Palinure, animas prædiscere cura.
Ut certum teneas infida per æquora cursum.
Hanc & rectores, uno cognomine, plebem
Quartas (5) ventorum nostri dixere vocantes:
Appellare Nothos alii voluere magistri.
His animadversis, qua nunc ratione per undas,
Navita, tot varios possis cognoscere ventos,
Expediam, Superùmque canam data munera Divùm.
At mihi vos alti Nymphæ maris, hæc vada læta
Quæ colitis Bajas, felicia litora, circùm,
Vos, quæ Sirenum sedes habitatis odoras,
Regnaque Teleboûm, litusque tepentis Amalphis,
Pandite, Nereides, (nam vos spectastis & illum,
Divinique in partem operis venistis ab alto)
Quis Deus hanc nobis divinis extudit artem
Inventis. Deus ille equidem, Deus ille magister,
Qui primus rerum causas penetrare latentes
Ausus, & obscuræ novit connubia gemmæ.
Magnetem quibus ipsa sibi Cynosura maritet
Ardescens flammis: (Norunt jam sydera flammas)
Primus, & errantes duxit, duce cuspide, nautas.
Ante mari in magno, dubia sub nocte pererrans
Arcadias Ursas trepidantes æquore tingi,
Arcturum, pluviasque Hyadas spectare solebat
Navita, & ardentem stellis Orionis ensem,
Tendebatque freto in medio, duce sydere cursûs.
Sed nigra cùm latè texebant nubila cœlum,

Ac

---

(1) Ital. *Libeccio*, *Mezzodì*, vel *Ostro Libeccio*, Hisp. *Sursudoeste*, Gal. *Sud sudovest*, Bel. *Zuydzuyd vuest*. Angl. *South south vuest*. (2) Ital. *Ponente Libeccio*, Hisp. *Oest sudoeste*, Gal. *Ovest Sudovest*, Bel. *Vuest zuyd vuest*, Angl. *Vuest South vuest*. (3) Ital. *Ponente Maestro*, Hisp. *Oest noroest*, Gal. *Oest nordovest*, Bel. *Vuest noort vuest*, Angl. *Vuest noorth vuest*. (4) Ital. *Maestro Tramontana*, Hisp. *Nor nor oest*, Gal. *Nord nord ovest*, Bel. *Noort noort vuest*, Angl. *Noorth noorth vuest*. (5) *Quarte de' venti*, ò *venti bastardi*. Itali dicunt ventos medios, seu laterales.

Ac Lunam obtectam nimbo nox cœca tenebat,
Tunc, duce sublato, dubiis errabat in undis,
Carbasa quò venti, tempestatesque trahebant.
Verùm regna tenent qui ditia Persidis, & qui
Æquora Niliacis sulcant Erithræa papyris,
Olim (1) Taprobanen, & Gangis litus adibant,
Aëra per vacuum cursus signante columba.
Chaoniam ex alta mittebant puppe volucrem:
(Nam Telluris aves, verrentes æthera pennis,
Natura monstrante, petunt vicinia semper)
Hinc quà missa fugam capiebat in aëra, & ipsi
Tendebant iter Oceano: mox illa volatu
Cum sese ex oculis subtraxerat, ilicet illi
Laxabant aliam: sic & ductoribus istis,
Taprobanen cursu tandem, (2) Sindasque petebant.

Arabum navigatio duce columba. Morisotus in orbe maritimo.

Ausonia in magna, biferique ad marmora Pæsti,
In medium conversa diem quà surgit Amalphis,
Nauta fuit, magnis ausis generosus, & acer
Ingenio, & reliquos inter solertior omnes,
Flavius (3) (hoc illum dixerunt nomine nautæ)
Cui nitidis formosa comis Beronia mater,
Inter Nereidas forma non ultima Nymphas.
Hic quondam æstate in media, dum cardine summo
Jam rapidus Titan medios accenderat æstus,
Dum sitiunt segetes, silet aura, & cœrulus humor
Assultans scopulis vix rorem aspergit amarum,

Inventæ pyxidis historia, fabula adumbrata.

De

(1) Est hæc Ceylanum, quæ quidem insula Cory (*Capo di Comorin*) promontorium objecta est. (2) Tres maximæ insulæ Eoi Oceani, *Sumatra*, *Bornèo*, *Java*, vulgò *Isola della Sonda*. (3) Flavius natione Italus, patria Amalphitanus, qui anno MCCC. mirabile sanè, ac navigationi opportunum inventum nauticæ pyxidis (*La Bussola*, Gallis *Boussole*) adinvenit, atque illius usum posteris tradidit; undè meritò illum Snellius in Epistola ad Lectorem Tiphys Batavi, & ex eo Morisotus in Orbe maritimo lib. 2. cap. 41. vocant *Sagacissimum Naturæ Mysten*, *cujus industria à secretioribus ejus adytis id erutum sit*. *Hujus enim fiducia Itali primùm*, *inde etiam Hispani externa maria tentare instituerunt*. Huic sententiæ se subscribunt Ortelius, Blondus, Crescentius, Ferrarius, Philander, aliique quamplurimi, ut citrà invidiam non sit hæc laus Italis deneganda. Panormitanus autem sic cecinit:

Prima dedit nobis usum Magnetis Amalphis.

Defeſſus vacuam ſecreti ad marginis oram
Venerat ex alto, gremio quà ſcrupea rupes
Dat placidas ſomno ſedes: hìc ille ſub antro
Sternitur egelido, muſco ſuper, & ſua ſomno
Lumina concedit: primos laxaverat artus
Vix optata quies, & lumina ſomnus habebat,
Cùm, tremulas Zephyris lenè impellentibus undas,
Scinditur Oceanus, vitreisque ſedilibus omnes
Nereides, Nymphæque aſſurrexere marinæ:
Flava comas Ephyre, Lepytheque, & candida Clio,
Pulchra genas Panopæa ſoror, quæque ubere læto
Tunc geminos primùm pueros enixa fovebat
Leucothoë, & vultu venit placidiſſima Micle,
Euplæe, Prochyteque, Cleoque, & cærula Neſis:
Purpureum quibus os, placidum decus oris: & illis
Verſicolor niveas cingebat tænia mammas.
Et tandem formoſa mari Beronia mater
Aſtitit, & dium nato diffudit odorem.
Ut multo præſentem afflatus numine ſenſit
Nauta deam, & vultus genitricis novit amatos;
Currit in amplexus: teneros per colla lacertos
Injicit; & charæ delibat dulcia matri
Oſcula: (Nereides plauſu infremuere marino)
Terque, quaterque iterat: matri mox talia fatur:
O mater dea, Nereidum pulcherrima Nympha;
Sirenum quæ regna colis, & gurgitis hujus
Ima tenes, ubi tecta tibi pellucida vitro,
Cæruleasque inter Divas ſpatiaris in undis,
Qui te nunc pelago, tectisque accivit ab imis;
Teque dedit gnato divina in luce videndam?
O Genitrix, magno natum dignaris honore.
Flavius hæc: illi contra placidiſſima Nympha
Hæc dedit, & roſeo placidè ſimul ore locuta eſt.
Magna tui ſemper dilectæ cura parenti,
Nate, fuit, matrisque animum timor anxius urget,
Ne quando, rapido deprenſus turbine venti
Jacteris pelago in medio, quo tendere curſus
Inſcius, ardenti cum ſe ſubduxit Orion
Sydere, & Arcadium texit nox atra Bootem.
Quare age, quam mihi nunc lacrymis dedit, & prece multa
Fatidicus Proteus, nitidam cape pyxida, nate.
Hac duce, cæruleum carpes iter, & vada ſalſa
Tutiùs hac dubia cœli ſub nocte ſecabis.
Ipſa polum nimbo obtectum tibi ferrea cuſpis
Oſtendet, Mundique plagas, & ſydera dicet:

Et tibi per fluctus, quà sit, monstrabit, eundum;
Qui spirent venti, rigidæ qua rupe procellæ
Descendant. Quid plura? tibi pro sydere ferrum
Dux erit, & reducem patrias te sistet ad oras.
Hæc illa, & læto porrexit pyxida nato.
Tornatæ quæ cura hinc sit, qui pydixis usus,
Illa docet: cupidus genitricem Flavius audit
Dicentem, & memori sub mente audita recondit.

Pyxidis descriptio, & illam formandi modus.

Argento insignem multo, niveoque elephanto,
Ipse suis manibus tornavit pyxida ferro
Cæruleus Proteus: medio stat circulus aureus.
Nomina ventorum multo cælavit in auro
Hoc circo Proteus; nam æqualibus intervallis
In totidem partes secuit, quot flamine venti
Spirant; cælavitque suis in sedibus omnes.
Lilia, quæ rutilo præfulgent plurima in auro,
Arctoo Boream venientem ab sydere monstrant,
At reliquos alii ventos dant vertice ab uno
Extensi in gyrum radii, minioque rubentes.
Inde stylum è chalybe in medio præfixit acutum:
E chalybe huic etiam super addidit ille sagittam,
Quam nigro admovit lapidi, ((1) Magnesia fertur
Gemma) è contactu multo malèsana veneno
Cuspis abit, calidasque hausit de marmore flammas.
Mira quidem sunt, nate, meæ pars altera vitæ,
Quæ mihi narravit Proteus commercia gemmæ.
Marmor amat ferrum, dulcesque in pectore flammas
Nutrit dura silex: chalybis durissima corda
Allicit illecebris: mollit sua viscera ferrum
Illecebra, & rigidum quamvis respondet amori,
Atque agitur flammis. Quid non cedamus amori?
Mollit amor ferrum, & durissima marmora mollit.
Mobilis illa stylo superadditur: irrequieta
Vertitur hàc, illàc; donec præfulgida cœlo
Quà Cynosura micat, se sistat, & æthere ab alto
Hauriat obtutu flammas acus acta veneno.
(Nam velut ipsa poli sectatur sydera gemma,

Sic

---

(1) A Magnesia Macedoniæ regione Magnetis feraci: qui & Heraclius ab Heraclia urbe etiam appellatur. Alii sideritem vocant, scilicet ferreum; nam in eadem fodina cum ferro nascitur. Hinc ferunt excoctum ferrum habere partes Boreales, & Australes, vigorem magneticum, verticitatem, & vertices, seu polos destinatos.

Sic nigræ dulci gemmæ correptus amore,
Astra chalybs amat, atque obtutu fallit amorem)
Hinc ille ex nivea crystallo pyxida texit:
Bracteola & circùm clausit strictissimus illam;
Ne maris unda nocens, aut aëris aura marini
Inficiat, nigraque terat rubigine ferrum.

Cepe, & allia, adamasque Magneticam vim infringunt.

Cepe timendum etiam, graveolentiaque allia Vates,
Vimque adamantis; acum visu nam fascinat ipso,

Quomodo locanda in navi pyxis ad ventos, & mundi partes dignoscendas.

Admonuit. Tu, nate, maris cùm gurgite vasto
Errabis, dubiusque viæ sinè sydere cœli,
Hanc fidam media comitem sub puppe locabis
Libratam lævi in tabula, quò ferrea cuspis
Volvier in gyrum possit: sed pyxida tantùm
Verte manu hàc, illàc, donec se concita cuspis
Sistat, & inscriptæ respondeat illa sagittæ,
Aut medium feriat tornatæ pyxidis orbem
Axis ad Arctoi partem: mox inspice & illam.
Illa tibi ventos, cursusque & sydera dicet.
Hæc dedit; & circùm Nymphis stipata marinis,
Oceano caput immersit, natoque relicto,
Humida spumosæ venit sub Doridos antra.
Ille autem charæ genitricis munere lætus,
Pyxida cælatam signis miratur eburnam,
Miraturque orbes argento, & murice pictos
Liliaque Arcadii monstrantia sydera Plaustri,
Ac minio inscriptum ventorum nomina circum.
Hinc stupet in gyrum hàc, illàc trepidare sagittam:
Et sensim arcana ferri virtute sub Uras.
Nec non & prima perquirit origine caussas
Occultas rerum, & tacitus præcepta revolvit,
Quæ dederat mater; ventosque, & sydera discit.
Pyxidis hinc primùm fuit usus, & æquora primùm
Audaces ausi, duce cuspide, currere nautæ.

Pyxide duce primùm in Oceanum, & externa maria navigatum.

Nec solùm conclusa Thetis sulcata carinis
Omnis, & Ægæi spumantia marmora ponti:
Ipse sed Oceanus noti trans litora Mundi
Tentatus magnis ausis, Fatisque secundis.
Hac duce jam noti Æthiopes, atque ultima Cafri
Regna pharetrati, Mundique impervius axis.
Quin & inacessi tot jam per secula (1) Seres,
Ac penitùs toti terrarum incognitus Orbi
Nunc tandem Auroræ sub sede est visus Japon:

Ac

(1) Iidem, ac Sinæ, serico lanificio nobiles.

Ac novus Ammericæ lustratus navibus Orbis.
Sic & divinum inventum, pyxisque per omnes
Delata est populos, quos decolor inficit Eos,
Aut rapido Sol torret equo, aut premit Ursa pruinis:
Quos & in Occasum Atlantæum submovet æquor.
Sed qui (1) Cathygaren, extremaque litora Mundi
Soli habitant Seres, diverso pyxidis usu,
Terrarumque plagas, ventosque, & sydera norunt.
Circuitu effingunt curvum cratera capaci,
Et fluvio undantem multo sub puppe reponunt.
Subere suffultus parvo natat ære tricuspide
In medio Rhombus versatilis, altaque signat
Astra, polumque: regitque vagos per marmor (2) Ioncos.
Non secus Arctoi faciunt, qui Balthica nautæ
Cærula, Hyperboreumque cava trabe Nerea currunt.
At quia Nautarum posita est spes omnis in una
Pyxide, mira quidem, atque usu comperta docebo,
Egregiam tibi quò valeas compingere buxum.
Stat geminus Magnete polus, quorum alter in Arcton,
Alter in adversum Mundi se dirigit axem.
Hos autem quo ritè modo perquirere possis,
Expediam: Ilicea in media net cymbula pelui,
Quæ gremio inclusam sustentet flumine gemmam.
Hæc circùm incipiet sensim irrequieta moveri:
Non tamen integrum describet motibus orbem,
At septem versus se conciet illa Triones,
Quò tandem directus eat polus alter in Ursas,
Inque diem vergat medium polus alter: at illos
Sedulus advertes, radioque notabis acuto.
Hinc & acus si forte tibi fucanda veneno,
Cuspis Hyperboreum tendet quæ mota sub axem,
Austrinum complexa polum, lapidi oscula libet:
Nam secus Arctoum si contigit, ilicet Austro
Se vertet, ventosque alios monstrabit, & oras.
Admiranda quidem, quorum cognoscere caussas
Nobis, in parvo ludens, Natura negavit.
Si Magnes generosus erit, sat cuspis in uno
Contactu bibit arcani malesana veneni.
At cum languescit gemmæ vis, sæpè fricandus
Est illi Rhombus, certa sed lege, modoque,
E medio super incipias deducere saxum

Usus pyxidis apud Seres per acum in vasculo innatantem. Furnerius *Hydr. lib.* 11. c. 6.

Item apud Septentrionales. *Ricciolius Geogr. lib.* 10. c. 8.

Duplex in Magnete polus.

Quomodo acus vi magnetica imbuenda.

(1) Sinarum emporium, *Cantòn*. (2) Navigiorum genus apud Sinas, quibus plurimùm utuntur.

Leniter alternum in punctum, ferroque fricabis,
Hùc ubi jam ventum, fustolles desuper illud
Actutùm, propè nec redeat vis nigra metallo:
Ni facias, reditu immutabitur indita virtus
Jam chalybi: in medio fuerit cum gemma reposta,
Duc illam rursus ferrum super, ut calor intus
Plurimus ardescat venas diffusus in omnes.
Præctereà, quoniam languescit tempore longo
Herculeus vigor, ære tibi stipandus acuto.
Plurima sive inter chalybis ramenta locandus;
Ferro armatus Magnes vim suam servat.
Vivida sic vis, amplexuque fovetur amico.
Scilicet armari quæcunque potentia ferro
Indiget, ut longos possit durare per annos.
Sed jam naturas, ventis quas Juppiter ipse
Addidit, expediam: Zephyri felicibus auris
Zephyri natura, & mores.
Aspirant, placidoque intendunt carbasa flatu.
Raró manè ruunt: sed Vespere sæpius afflant.
Interdum Zephyris cursus spirabilis auræ
Est brevis: interdum nitido sub lumine plures
Duravere dies, Phœboque cadente, silescunt;
Incipiunt æstate nova, placidissima quando
Tempestas pelago: raró brumalibus afflant
Temporibus: Palinure, sinus inflare secundis
Da Zephyris, Zephyrisque citis in vela vocatis
Tutiùs infidum lento pede currimus æquor.
Eoo cum Sole leves de fluctibus Euri
Attolluntur, aquas majori & flamine verrunt,
Euri.
Quàm Zephyri, tepidumque colunt ver: bruma nec illos
Respuit, aut nimiis ardens fervoribus æstas.
Crebrescunt multi in noctem; sed cardine cùm jam
Adverso Manes lustrat Sol, murmura ponunt.
Bis quinos persæpè dies vasti æquora Nerei
Lata cient: ad mensem etiam protendere cursum
Sæpè solent: tu carpe iter adventantibus Euris.
Dum nostrum Titan devexior aspicit Orbem.
Borea.
Exoritur Boreas, gelidisque è rupibus ardens
Labitur, ac rigido Neptunia regna flagello
Quassat: & annosas sub montibus atterit alnos,
Ac strepitu latè miscet nemora alta canoro.
Pulsatæ plangunt valles, & magnus Olympus.
Paulatim murmur ponit, mollitque feroces
Sensim animos: longo languescunt tempore vires.
Vix agitat tandem tenui maria uda flabello.
Donec & halitibus cùm jam sua pabula desunt,
Attenuatus abit. Veluti fornacibus altis

Cùm

Cùm fubitò ficcis è truncis arida meffis
Suggeritur, concepta ftatim de fomite flamma
Murmure confurgit multo, rapidosque repentè
Altiùs attollit cuneos, & fydera lambit.
Mox ut materies fenfim confumpta receffit,
Flamma cadit, circùmque levi vix fibilat aura.
Diffolvit nubes Boreas, cœlumque ferenat
Luce nova: interdum denfatis nubibus aftra
Obtegit, & dextro dimittit ab axe pruinas.
In terras fi nocte vaga defcendit ab Urfa,
Tertia lux illum nunquam perflare videbit:
Sin minùs, ad fenos Aquilo, denosque rigebit
Sæpè dies: viginti etiam pulfabit Olympi
Sacra Jovi nemora, & maria alta à gurgite vertet.
Tu cave, ne primis Aquilonibus in mare puppim
Deducas: ftatione fedens fine flamina prima,
Paulatim contufa cadant; tunc ftrata per alta
Tende iter, & feffis Aquilonibus utere tandem.
Humidus ex imo, pluviisque, nigerrimus Aufter Auftri.
Axe ruit, creberque, hyeme adventante, procaci
Imbre tonant, nimboque, & plurimus obruit arva.
Verùm pleni amnes cùm ceffavere, ferena
Luce aperit cœlum, & fimul æquora leniùs urget.
Non & certa illi vitæ data tempora; fæpè
Vita brevis, totusque leves fe folvit in imbres:
Sæpè fed alatis invectus in æthere bigis
Murmurat, & multo latè ciet aëra flabro.
Principiò levis hyberno de Sole fub undas Euroauftri.
Labitur Euroaufter, & æquora molliter afflat:
Mox denfat cœlo nubes, atque occulit aftra:
Senfimque affumit vires, & crefcit eundo:
Donec fe totum campo commifit aperto.
Tunc cœlo tollit fpumantia marmora, & altis
Fluctibus infultat ratibus: ceu nubibus imbres
Cùm ruptis veniunt: primùm de montibus undæ
Exiguo torrente cadunt, crefcuntque fluendo:
Cùm tandem fluvii, multis jam fluctibus auctæ
Infultant magno venientes gurgite campis,
Ingentesque imis vellunt radicibus alnos.
Æquor agit fundo, rapidosque per aëra nimbos
Agglomerat; pluviisque cadit venientibus aura.
Sæpiùs autumno ruit imo à cardine Mundi
Horridus, at bruma magis horridus afperat undas,
Longiùs extendit curfum; nam fæpè reflectit
Exactum ad menfem pluvios temone jugales.
O 2 Prin-

Principiò, dum crispat aquas, da fluctibus alnum,
Nec sine, paulatim vires acquirat eundo.
Nam si post quartum vento tua vela furenti
Laxabis, non tutus erit per cærula cursus:
Tempestas te dira manet, durique labores.
Principiò dum blanda vocat Fortuna, vocantem
I, sequere: è manibus fors labitur aurea pigris.

Supernatis (*Greco*) qui sic dictus est, quia à Supero mari perflat.

Præceps Arctoa veniens à sede Supernas
Frigidus hyberno crebrescit tempore, & æquor
Altiùs attollit, scopulosque superjacit undas:
Discludit nubes, nivibusque incandet, & alma
Cœlum luce aperit, lenique adsibilat aura,
Et longè pulsis sequitur lux aurea nimbis.
Mollior æstate in media felicia mulcet
Æquora; nec Zephyris tunc lenior invidet aura.
Tu sine, surgentis languescant murmura venti,
Ut celeri tutus percurras Nerea puppi.

Africi item natura describitur.

Densus turbinibus Libyca de sede feroces
Africus urget equos, crebrisque per aëra nimbis
Invehitur, flatuque ciet strepitante tumultus:
Asperat Oceanum, fluctusque ad sydera tollit.
Laxat aquis nunc lora: mari nunc murmure rauco
Stridulus incumbit: subitis modò nubibus astra
Obtegit, & noctem terris inducit, & umbras:
Mox pulsis aperit nimbis, Solemque reducit.
Totus & interdum cadit, & silet æquor, & aër.
Sed brevis illa quies; nam finibus usque præustis
Mox redit è Libycis inopinus, & acrior instat:
Frangit aquas, tollitque vadum, miscetque tumultus.
Qualis ubi vacuam spectavit Persa pharetram,
Ora, fugam simulans, avertit, & æquore cedit.
Hinc ubi jam vacuam telis complevit acutis,
Impavida cum fronte redit, Martemque lacessit.
Acrior instat equis: rapidas vibrare sagittas
Non cessat: transfigit equos, transfigit equorum
Sessores unà, & crudeli funere mergit:
Per cædes, stragesque ruit: Fuge cautus iniqui,
Nauta, dolos venti: cœlo ne crede sereno;
Namque dolos etiam norunt, & fallere venti:
Principiò tres ille dies fœdare procellis
Assolet; at senos si tres transcenderit ultrà:
Sæpè novem: quos si superaverit, ille profundum
Viginti torquere dies solet imbribus atris.
Tu Libyco ne crede ratem, Palinure, furenti.
Durus Hyperboreis, Boreæque simillimus, oris

Cir-

Circius incumbit, glaciesque indurat acutas,
Et cursu in medio fugientia flumina sistit:
Nec non & summas pelagi diverberat undas,
Et nemora alta jugis horrendo murmure quassat.
Hinc ut sylvifragi cecidit gravis ira flagelli,
Vela vocat: velum vento committe vocanti.

Circii.

Hos mores, sibi quisque suos, discrimine certo,
Majores ventorum animæ coluere volentes.
At quæ consurgunt dextra, lævaque minores
Majorum leges etiam, moresque sequuntur.
Sunt & multa, dies quæ longa, & plurimus usus,
Atque acti pelago cursus te, nauta, docebunt:

Post hinc digressus, jubeo spectare locorum
Naturam; pelagi qui nobis æquora venti
Ardentes claudunt, aliis felicia pandunt.
Certa tenent & regna; suisque in sedibus illi
Exercent iras vehementiùs: arbiter undæ
Adriacæ Boreas, & proximus urit Japix:
Sæpè & ab Odrysiis flat lenior Orithyja.
Jonio magno fluctus regit Euroauster:
Et quoque Tyrrhenum mare concutit, atque patentes
Sardoi campos, & Galli cærula ponti.
Sed nullus Libyco furit acrior: ille sub astra
Jonium, Siculumque rapit. Subvesperus at se
Creber Tyrrheno nimbosis explicat alis,
Et passim freta naufragiis infamia reddit.
Sæpè & Barbaricis crebrescit fluctibus Auster,
Et Nothus, è roseo qui turbidus instat Eoo.
Virgineo (1) in pelago spirat felicius Eurus,
Ac simul, hyberno surgit qui proximus Ortu.

Variæ diversis in locis ventorum naturæ. Et certi in certis regionibus regnant.

At venti Ægæis varii dominantur in undis;
Tot propter medio dispersas gurgite terras.
Sic conclusa ruunt multi per cærula venti,
Et varii è variis terræ regionibus afflant.

Cur in Mediterraneo, & Ægæo varietas tanta ventorum.

At verò Oceano in magno, quà torrida cœli
Zona rubet, paribus sese explicat alis
Eurus, (2) & Eoa surgunt qui sede canori.

In Oceano sub torrida Zona flant Eurus, & Zephyrus.

Hi

(1) Sic appellata est ea pars Mediterranei, quæ inter Asiam minorem, Syriam, & Ægyptum interfluit: vulgo *Mare di Levante*, quod per eam Europa in Cretam devecta est. Brietius in Parallelis Geogr. to. 1. lib. 6. c. 7. (2) Hos generales, seu fixos nautæ vocant. Indi verò *Brysas*, qui ab Ortu in Occasum sequuntur motum Primi Mobilis.

Hi Solem cursu sectantur; & aura volantes
Fert æquata rates: totoque extenditur anno.
Contrà ex Occasu (1) Zephyri in contraria flantes
Æquor agunt: illis sed vis non fortior Euris;
Hinc & sæpè silent, victique fugantur ab Euris.
Ultra Tropicum Capricorni Libycus. Trans verò Ægocerum violento à Vespere flabro
Assurgunt Zephyri, Libycique, & cærula turbant.
Hinc facilis via, Atlantei trans æquora ponti
Cùm longè alterius lustrant ditissima Mundi
Litora ab Europa, aut semoti è finibus Euri
In Libyam veniunt, Solisque cubilia gauli;
Sive (2) Philippinas lævo de litore terras
Ammerices adeunt, & odoriferas Moluccas.
Longa sed Eoum cùm quærimus, atque remotam
Taprobanam, atque Indum, & Gangetidis ostia ripæ:
Idcircò Auroræ inquirunt cùm regna magistri,
Ægoceri in circum, transversa ruentibus Euris,
Obliqua se puppe ferunt: hinc inde sub Ortum
Percurrunt lævum spumanti in gurgite Rhombum:
Atque Eurum evitant, Libycoque afflante feruntur.
In Oceano Indico, ubi tot Insulæ varietas mira ventorum. Magnus ubi terris tot latè consitus undat
Oceanus, non semper aquas, nec tempore eodem
Eurus habet: multi circùm per litora venti
Temporibus spirant certis: & sæpiùs undas
Nocte regunt quidam, quos inde Aurora resurgens
Non videt, & secum diversos invehit ortu:
Hos & quarta sitim cùm jam collegerit hora,
Fervidus in tenues dissolvit Cynthius auras:
Dudlæus in Maris Arcano. At media cœli zona, quæ vergit ad Arcton,
Græcus Atlanteo spirat felicibus auris
Tempore sub certo, & quinis se mensibus alnis
Dat facilem: Notus adverso crebrescit in Orbe.
Circius Eoo sex flabro linea menses
Vela implet læto, totidemque impervius ille est.
Etesiæ quæ. Sunt & Etesiæ, æstivo qui tempore surgunt,
Solstitio torrente Indos, veniuntque nivosa
Et Arcto, atque auris mulcent maria alta diurnis.

Sed

(1) Hos Indi *Vendavalos* nuncupant, qui contrà motum Primi Mobilis feruntur intrà Tropicos.

(2) Hæ à Philippo Secundo Hispaniarum Rege sic appellatæ, illius enim auspiciis detectæ à Ferdinando Magellano, anno 1520. sunt numero plusquam 120, ac præcipua est Manilla: olim Barussæ dictæ.

Sed cùm bruma rigens disrumpit frigore saxa,
Tunc & Etesiæ humenti labuntur ab Austro.
Nunc age, divinas artes, & si qua futuri
Cognitio, instantes possis qua noscere ventos,
Et tempestatum variarum ediscere signa
Expediam. Tibi Sol primùm certissima signa
Ventorum dabit exoriens: dabit æquore currum
Cùm Tartessiaco lavat aureus: ille furentes
Excitat & ventos, & tempora mobilis anni
Alternat vicibus, signisque futura relatis,
Nunciat: eventus sequitur certissimus illum:
Occasu nunquam, nunquam Sol fallit in ortu.
Ille ubi fulgentem referet de gurgite vultum,
Ac nitidum sparget jubar oris, ab æthere nimbos
Submovet, & ventos cohibet sub rupe silentes.
Discolor Oceano cùm surgit, & ore rubores
Ardentes mediis jaculatur nubibus, Euris
Laxat equos: rigidas dat pallidus ore procellas.
Eoum gemino si videris orbe rubentem,
Nemo tibi madidum è terra convellere funem
Suadeat; alatis tempestas horrida nimbis
Incumbet pelago: verùm si fulserit orbe
Dividuo, da vela Noto, Palinure, vocanti.
At si purpureæ fuerint sub Vespere nubes,
Aura serenato vix obstrepet humida cœlo.
Cæruleæ pluviam, mixta nigredine ventos
Imbribus admiscent: at si præverterit ortum
Igneus erumpens radiis Sol, Dorida fundo
Attollit, gelidasque ciet de rupe procellas,
Sin ortu in primo obtusus sinè nubibus ibit,
Collige, nauta, sinus; præceps ruet imber ab alto.
At si per cœlum stipatus nubibus ibit
Igneus, & radios medio de corpore vibret
Exiguus, metuenda ruet sinè more procella.
At mihi jam nitidum cœli decus, aurea Phœbe
Offert se varia vultus sub luce notanda.
Illa tibi in primis spectanda in litore, nauta,
Ante coronatas quàm solvis ab aggere puppes.
Illa regit fluctus: illi vaga cærula parent;
Et ventos ditione premit: nunc illa quietos
Irritat: flabris nunc mitigat illa feroces.
Ergo ubi consurgens argentea cornibus ibit,
Purpureum sinè nube diem, Solemque serenum,
Et pacata maris denunciat æquora, læti
Tunc vada Campani per litora nota phaselis

Ventorum præsagia.

Ex Sole primùm.

E Luna Præsagia.

So-

Solicitant; luditque hilaris per transtra juventus.
Pallida dat pluvias: rutilat si flammea, ventos:
Si nigræ incipiant nubes miscerier igni,
Undique tunc Tethyn, cœlumque ardere videbis
Fulminibus, Nereusque furet, strepitante procella:
Heu malè deprensis longè trans litora nautis!
Bis ego jactatus nigra sub nocte procellis
Ionio in vasto, Siculique in gurgite ponti,
Semianimis lacera in terras cum puppe redivi;
Votaque servatus vix tandem in litore solvi
Saberidæ, & Loiolæ, & Partheniæ Genitrici.
At si per cœlum gemino Latonia circo
Fulgeat, horrendo pelagus quassabitur imbre.
Tertius obscuro rutilet si circulus orbe,
Improvisa cadet tempestas horrida cœlo,
Puppibus, arboribusque trucem latura ruinam.
Id quoque non cura nautis leviore notandum:
Si cùm Luna jugo se subtrahit, æthere ab alto
Ante diem quartum non fulserit humida terris,
Mense dabit toto pluvias, ventosque ciebit.
Candida si fuerit, cornuque nitebit acuto,
Tende iter: exactum ad mensem maria uda silebunt.
Sed te, quod pauci norunt, adverte, docebo.
Cùm silet illa, mari quæ murmuret aura, notato:
Si tribus aspiret venientibus (1) illa diebus,
Vix tandem ponet sua murmura, cùm vaga Phœbe
Assurgens gibbum monstraverit æthere dorsum.
Si pluvii fuerint illi, pluviique sequuntur
Mox alii: rosei, rosea si luce nitebunt.
Sic etiam pleno cùm surget ab æquore cornu,
Quales tres alii, tales nascentur ab illis
Exactum ad mensem reliqui: spirare diebus
Si geminos illis spectabis in aëre ventos,
Illos tu pariter toto sub mense videbis,
Alterno tremulum verrentes flamine pontum.
Tandem (2) vere novo quali se Delia vultu
Ostendet, talem mediis fervoribus æstas

Aspi-

(1) Autumant multi ex toties repetito experimento illum ventum spiraturum per totum Lunæ mensem, qui à novilunio usque ad tertium diem spiraverit, immò tales futuros reliquos mensis dies, quales tres primi post Lunæ silentium fuerint. (2) Qualis fuerit verna lunatio, tales reliquæ per totum ver, & æstatem.

Aſpiciet: talem ſqualens quoque bruma videbit,
Qualis (1) in autumno primo ſpectabitur ortu.
Quin (2) ortu in quinto, ſi quarta fulſerit hora
Candida, per totum fulgebit candida menſem.
Si contrà, rigidis triſtabit cærula nimbis.
At ſi fortè trucem convenerit illa Gradivum
Obtuſa, aut medium curret nigra Virginis orbem,
Tutos quære ſinus, & amicos, navita, portus:
Formidandus aquis deſcendet ab æthere turbo.

Quin etiam Superùmque domos, Titanaque aſtra
Contemplare; vices rerum, maturaque vertunt
Tempora, continuo labentia ſydera motu.
Contemplator item, quo cœli ſydera vultu
Aſpiciat Sol ipſe pater, qui ſingula luſtrans,
Et duodena ſuum percurrens ſigna per orbem,
Aſpectu aſtrorum vario diverſa per annum
Tempora, diverſasque vices moderatur, & ortus.
Ille Cleonæo cùm jam deſcenderit aſtro,
Felices ſtabunt Zephyri, tepidique Favoni
Multos aura dies criſpabit molliter undas.
Si verò æquatis ſurgat cum Lancibus, imbres
Deſcendent, rabidique invertent marmora nimbi.
Eoo rutilant cùm Plejades Atlanteæ,
Da Pelago, Palinure, rates, auctoribus iſtis;
Nunquam Taygete, nunquam te candida Maja
Fallet, & inſidiis nunquam capiere Celœnus;
Ni forſan lacrymis vultum madefacta decorum,
Taygete pluvios cœlo demiſerit imbres.
At ſi unà cum Sole cadant, fuge gurgitis altum
Navita; tunc crebris Aquilonibus æquora turbant
Plejades. Arcturo ſi Sol comitante reſurgit,
Præque illum Arcadium ſummo venit æthere Plauſtrum,
Cautè, nauta, fretum, dubia nec nocte ſecandum;
Nubigena Ægypto Notus irruet, aut vada tollet
Africus è Libya irrumpens: ſi Phœbus Aſellis
Cum rudibus ſurgat, ſummoque incedat Olympo,
Aut mediam Andromadam, aut Neptunia monſtra ſecutus,

Ex Aſtris.

(1) Qualis verò autumnalis, tales & aliæ per totum autumnum, & hyemem, quod quidem certo experimento eſt comprobatum. (2) Exiſtimant plerique certum indicem, auctoremq; futuræ ſerenitatis, vel tempeſtatis eſſe diem quartum poſt interlunium, ſed falluntur: certus auctor eſt quarta hora diei quintæ, ut eruditis placet.

Indignatus aquas mixta cum grandine mittet:
Turbabit maria, & tonitru cœlum omne ciebit.
Verùm cæruleas si duxerit orbe choreas,
Et niveus placido assultaverit æquore Delphin,
Lenitèr afflantes Zephyros, Caurosque movebit.
At si stellatum mergat caput ille sub undas,
Albescet cœlum nivibus, ventique sequentur.
Candidus aurato rutilat cui baltheus ense,
Cùm cœlo ardentem circumspicis Oriona,
Nauta, hyemes fuge nimbiferas, fuge cærula, nec te,
Nec tibi commissos in certa pericula mitte.
Horridus ille armis, magis horridus ille procellis:
Horridus exoriens, & cùm se condit in undas
Horridus Orion, rapidisque impervia reddit
Æquora turbinibus, & non tractabile cœlum,
Ipsa procellosos etiam Jovis armiger ales
Irritat nimbos. Nemeæo sydere ab amne
Cùm Sol Oceani surgit, dat nubila, & imbres,
Et Boream ciet: ardenti, sed Sirius astro,
Vel ruat, aut nitidum caput exerat igneus undis,
Densos turbinibus, Libycumque, Austrumque movebit,
Atque Eurum, atque Notos, atque imbriferos Aquilones.
Hesperias Hyadas cùm videris æquore tingi,
Gnossiaque ardentis descendere signa coronæ,
Et mare solicitum, & crebris Aquilonibus imbres
Sint certi, Palinure, tibi. Si (1) lucida Tauri
Exoriens rutilet, vel diri (2) filia Phorci,
Longinquas iter in terras instare caveto.
Cùm matutinus cœlo vaga Plaustra Bootes
Inflectit, pastumque boves præsepibus urget,
Temperiem, Zephyrosque, & molles nunciat auras.
I, Palinure, ferent placidi tua carbasa venti.

Ipsa tibi pariter picto Thaumantias arcu
Ex Iride. Signa dabit. Pluviam cœlo si fulserit ante,
Fundet aquas: lætos si post curvabitur imbres,
Auricomos aperit Soles, cœlumque serenat.
Purpureis si tincta notis nimis illa rubebit,
Æoliæ flabunt animæ: dare vela per altum
Ne dubites: tua vela canent felicia Coris.
Verùm cæruleo si fulserit illa colore,
E cœlo largos demittet Juppiter imbres.

Si

(2) Oculus Tauri, Palilicium Romani vocabant; nam in illius ortu Palilia sacra fiebat. (2) Medusæ caput.

Si geminæ geminos latè curventur in arcus,
Ingenti torrente cadent de nubibus amnes.
Versicolor tepidum cùm se diffundit in Austrum
Iris, aquas, tonitruque, & concita fulmina mittet:
Si verò in Boream, fulgebit candida summo
Lux cœlo, cœlique simul convexa nitebunt.
Hinc & digressus, tetras quibus ipse procellas
Juppiter ostendat signis, jam carmina dicam.
Si noctu plures diverso à cardine cœli,
Ardentesque cadant stellæ: si fulgura, & ignes
Crebra micent, seseque vago in contraria cursu
Excipiant: subitæque, greges velut, aëre nubes.
Aut ceu detonsæ, concurrant ordine, lanæ,
Vel ratibus properent; montesque obtexere certent,
Magna mari vasto incubet stridore procella.
Si summo antennæ vivaci lumine cornu
Sola Helena insidat, Divos, Palinure, vocato
Supplicibus votis; ventorum prælia, & iras
Accendet dea sæva, omnemque gurgite pontum
Quassabit nimbis, & tempestatibus atris;
Ut quondam bellis Asiam vastavit, & armis.
At si (1) Tyndaridæ gemino splendore corusci
Navibus ex imis surgant (quia navibus imis
Sulphurei erumpunt piceo nidore vapores)
Et gemino antennæ pacati in vertice sidant.
Pone metum; rapidos turbato ex aëre ventos
Pulsabunt, tetras & amica luce procellas.
Cæruleum quoque signa dabit mare, & ipse futura
Prædicet Proteus, mendax si cætera Proteus.
Quin & aves pelagi, fulicæque per antra repostæ,
Halcyones scopulis, udoque in litore mergi
Signa dabunt, mediisque vagi delphines in undis;
(Illis quippè mali mens est præsaga futuri)
Cùm scopulis spectas pendentes ponere nidos
Dilectas Thetidi Halcyones, simul ipse videbis
Ire serenatos innubi lumine Soles.
Verùm cùm fulicæ, celeresque per æquora mergi
In turmas, aciesque ruunt, cursantque sonando,
Aut choreas cœli ducunt sub luce serena
Cærulei delphines, & undivagæ Sirenes,

Ex aëre.

Helena tempestatis signum.

Tyndaridæ gemini serenitatis signum.

Ex mari ipso præsagia.

(1) Castor, & Pollux si gemini sint ignes serenitatis signum: si una tantùm fax Helena dicitur, & naufragium præsagit, nautæ vocant *Fuoco di S. Elmo*.

Seu turpes vituli, & ſummo nant gurgite cete,
Et longo navim ſpatio comitantur euntem,
Suſpecti tibi ſint nimbi: nimbique timendi,
Cùm transverſa citi fugiunt per ſalſa, lapillis
Ora ſaburrati, ſtipent vel ſe undique cancri;
Oſtrea ſeu ſcopulis affixa tenacius hærent.
Dum mare tranquillum trans litora, murmure rauco
Obſtrepit, & longè reſponſant concava ſaxa,
Tempeſtas ſylvis, pelagoque parabitur ingens.
Si lanæ videas albeſcere vellera ponto,
Fervere pacato varias in gurgite bullas,
Adventare hyemem, & longùm durare procellas
Aſpicies, Palinure. Noto cum ſurgere nullo
Jactante incipiunt maria alta, & nigra repentè
Spectatur Nerei facies, fœda æthere ab alto
Tempeſtas deſcendet, & æquora ſpumea tollet.
Murmura ſi dederint cautes, penitusque ſonarint
Turriti ſcopuli, aut portu increbeſcere murmur
Cœperit, & longè ſtrepitus reboare ſonantes,
Marmora ventus aget: ſed cùm mutata repentè
Cærula ſubſidunt, paſſimque nigreſcere fluctus
Incipiunt, levesque mari ſubſternier undæ,
Et longos undæ tractus imitantur arenæ,
Pacatos alto diffundet Juppiter amnes.
At cùm cæruleas ſubſternet leniter undas
Tranquillus Nereus, longosque in gurgite tractus
Luce colorati varia, ſparſimque videbis
Undarum ſeriem nitido ſplendeſcere ponto,
Solve ratem: nunquam nam te pellacia fallet,
Nauta, nec inſidiis Thetidos capiere ſerenæ.
At color Oceano multus ſi cærulus ille
Fulgeat, Auſter erit; verùm ſi mixta nigredo,
Deſcendet Boreas nivibus ſtipatus ab Urſa.
Cùm tempeſtivè ſe conciet æſtus, iniqua
Tempeſtas tonitru veniet comitata ſonanti.
Demum quæ cœli facies, quæ tempora Titan
Luce vehat; qui ventus erit, quid cogitet Auſter;
Ipſa tibi oſtendet facies maris. Æquora nunquam
Fallent. Illa etiam populorum inſtare tumultus
Sæpè monent, cædesque, infandaque bella per Orbem;
Illa etiam motus Siculorum, atque horrida bella
Gallorum monuere, ſacro cùm fœdere rupto,
Heu malè diſcordes! moverunt prælia gentes.
Longa quies nocuit, bellumque licentia movit.
Vidimus undantes longè trans litora fluctus.

Tyr-

Tyrrhenumque vadum ſcopulos ſuper ire refuſum:
Fervere Leucopetram, Vulcania regna cavernis
Horrendum mugire, freto reſonante procellis.
Vidimus immanem canibus latrare marinis
Scyllæa ſub rupe deam, ſævamque Charybdim,
Heu miſeros! vaſto diſcerpere gurgite nautas.
Tempore quamquam illo cœlum quoque & arida Tellus
Signa dabant: quoties Liparæ ſub rupibus altis
Dira laborantes fabricare audivimus arma
Cyclopes, rupto quoties & vertice montis
Vidimus undantem flammis liquentibus Ætnam
Latè arva, & villas, urbesque ardere Sicanas.
Arduus ipſe etiam liquentia ſaxa ſub auras
Vesbius eructans glomeravit, & ignibus arſit
Proxima, disruptis fornacibus, horrida Phlegra.
Diffindi montes, terrasque dehiſcere paſſim
Vidimus: excuſſæ timuerunt motibus urbes.
Quin præter ſolitum per litora curva dedere
Halcyones lamenta; altoque in vertice mergi,
Et fulicæ in ſcopulis, & per deſerta latentes,
Infandùm, viſæ nigris ululare ſub umbris.
Numquam tot ſtellæ in terras cecidere ſereno
Æthere, & in partem viſæ tranſcurrere lævam:
Ex altò toties nec (1) deſcendere minaces
Dicturi cædes, atque horrida bella Cometæ.
Ergò iterùm placuit bellis ardere Pelorum,
Sanguine & Jonium, Siculumque rubeſcere pontum.
Scilicet Auſoniam toties hoſtilibus armis
Non ſatis everſam, vaſtataque regna tyrannis.
Tempus erit, magno reſonans cùm turbine Nereus,
Litoribus tormenta, pilas, diffractaque roſtra
Egeret: auratas puppes, reſonantiaque æra,
Et galeas ſicco ſpectabit litore nauta.
Dii Superi, veneranda Trias, tuque aurea Mater,
Et vos indigetes Divi, Sacrique (2) Cruores,
AUSTRIACUM ſaltem juvenem ſuccurrere rebus

Mamertini tumultus præſagia.

Ne

(1) Juxta Senecæ ſententiam, quam & nos ſecuti ſumus in Cometa in anni 1681. qui lib. 7. cap. 22. ſic habet: *Ego noſtris non aſſentior: non enim exiſtimo Cometam ſubitaneum ignem, ſed inter æterna opera naturæ*. Permeant igitur per altiſſima cœli loca, ſtatisque temporibus ad nos deſcendunt, ſeque videndos mortalibus tanquam ferales nuncios prębent; indè, ut receſſere, evaneſcunt. (2) D. Januarii, Jo: Baptiſtę.

Ne prohibete: ſatis commiſſa piacula noſtro
Sanguine jam luimus: noſtri pars maxima regni
Carolus. Hic patris lapſum virtutibus Orbem
Reſtituet; Martemque, & triſtia bella fugabit:
Et pacem terris, atque aurea ſecula condet.
Quippè ubi præcipites egit furor, iraque mentes,
Fœderaque, legesque, & fas abrumpitur omne.
Hinc movet Oceanus, movet illinc Sequana bellum:
Hìc furit immanis Sicula ſub rupe Charybdis.
Ut cùm tempeſtas pelago deſcendit ab alto,
Ipſa per abruptum trahitur, quò turbine multo
Eurus agit, ne curva audit retinacula puppis.



NAU-



NAUTICORUM
LIBER QUARTUS.

INTACTOS tentare ſinus, fluctusque tumentes
Jam tempus: me regna vocant Neptunia, & udi
Tritones, Zephyrique venit ſpirantibus aura
Cyrrhæa de rupe cadens, ſylvisque relictis,
Nec mecum invitus per cærula fertur Apollo.
At tu tot regum de ſanguine clarus avito,
CARDENIDE, mecum vento da vela vocanti:
Et juvet undoſi percurrere cærula ponti:
Non aliena petes tu regna: tot illa per annos
Majores tenuere tui, qui claſſibus altum
Tyrrheni campum: & fluctus ſpumantis Iberi
Sulcarunt, clari bello, partisque triumphis.
Quare age, regnatas pelagi deſcende ſub undas.
Et ſine cæruleam tua tempora cingere myrtum.
Forſitan alter eis Deus æquoris. En age, ſegnes
Rumpe moras: læti pulſant cita marmora cornu
Tritones, curſantque vagi delphines in undis.
Quod ſi (1) aliquis forſan, ruris qui nuper amore — *Renati Rapini elogium.*
Captus, odoratis halantes floribus hortos,
Et nemora, & fontes cecinit: croceisque corollam
Floribus æternam ſibi texuit, alta Maronis

Ten-

(1) Eſt hic *Renatus Rapinus* Turonenſis Soc. Jeſu: qui ſcripſit elegantiſſimum carmen de cultu hortorum, ſummo plauſu tota Europa exceptum, & ſtyli candore, & mira facilitate dicendi inter aurei ſeculi poetas facilè aſcribendus.

Tendentis cœlo veſtigia ponè ſecutus,
Atque per ora virùm plauſu volat undique victor:
Jam nunc bella parat, Magnique illuſtria Regis
Facta, & victrices etiam contexere palmas,
Carmine Mæonio. Felix cui numine multo
Se penitùs totùm inſpirat per pectora Phœbus:
Atque opus in tantum properat Deus: at mihi fluctus
Tentare intactos ſatis eſt, & litora circùm
Errando è ſcopulis humilem decerpere muſcum.
Ergo age, ſecuros cœli quo ſydera portus
Linquere conveniat, ventoſque in vela ruentes
Accipere, & longos per marmora tendere curſus:
Et clavi quæ cura prior ſit habenda magiſtro,
Quanta & Acus, picti quanta experientia Mundi:
Quo tempore inſtituenda navigatio. Jam canere aggredior. Pelagi dum gurgite ab alto
Oleniæ aſſurgit ſydus glaciale Capellæ,
Et ſimul adverſo cedens Olor occidit aſtro,
Cùm primùm roſei cœlo ſplendeſcere Soles
Incipiunt, leniſque mari ſubſternitur unda,
Martio, ineunte Vere. Tunc patrios nautæ feſtinent linquere portus,
Carpere iter velis, longiſque inſiſtere remis.
Quales purpureos cœlo dum ſurgere Soles
Aligeræ volucres ſpectarunt, candida cùm lux
Perluſtrat medium nitidis ſplendoribus Orbem,
Ardentes Libyæ colles, ſylvaſque relinquunt
Depaſtas: iter arripiunt, fugiuntque per undas
Remigio alarum, & curſu maria alta pererrant:
Cùm tandem vada ſalſa fuga, camposque liquentes;
Italiam emenſæ veniunt, ſylvaſque reviſunt;
Et notos latè colles populantur odoros.
Verùm Neptuni per cærula tutiùs ibis,
Si terris funem abrumpas, cùm fluctibus altis
Tutior ſub Maii finem. Jam matutinæ Atlantides attolluntur
Sub Maii finem, placidas cùm carbaſus auras
Evocat, & Zephyri veniunt in vela vocati.
Namque ſub Aprilem, variique exordia Maii
Sæpè die in medio, & cœli ſub luce ſerena
Texitur extemplò denſatis nubibus omnis
Æther, & Libyæ ſtrepitans Notus irruit oris,
Et mare ſubvertit fundo: longùmque procellæ
Durabunt, tumidiſque furet Neptunus in undis.
At verò ut terris fugiens os condit honeſtum
Quando occludendi portus. Plejas, & Oceani vitreos pede concitat amnes,
Occluſi tibi tunc portus, tibi cærula clauſa
Semper erunt: longè ſpectabis, navita, pontum,

Et

Et tuta ſtatione hyemes durabis aquoſas.
Nam tentare ſinus, & equis dare lora marinis
Jura vetant: nec fauſtus aquis comitabitur altis
Ipſe coronatam puppim Portunus euntem.
Haud equidem Superi temeraria vota ſecundant:
Tunc gelidæ terris hyemes, pelagoque rigeſcunt,
Et furit Odryſius Boreas, atque humidus Auſter.
Nemo mihi poſtquàm ſubiit maris æquora Plejas,
Octobre exacto, jubeat violare ſonantes
Tyrrheni fluctus pelagi, pontique Sicani,
Seu fuerint Calabri, vel proxima Regna petenda
Trinacriæ, aut longè fuerit luſtrandus Iberus.
O fugite, ò ſocii, Calabros, portusque Sicanos,
Nec vada Tyrrheni medio tentate Novembri;
Namque ego bis dicto parens (parere neceſſe eſt,
Æqua licèt duri non ſint mandata magiſtri)
Parthenope procul è patria mea vela ſub ipſum
Invitus per ſalſa dedi nimboſa Novembrem,
Viſurus Calabros, cognataque regna Sicanùm;
Bis etiam tumidis periiſſem merſus in undis,
Ni Pater ipſe manu magna Saberus ab alto
Traxiſſet pelagi rorantem aſpergine multa.
Nam cùm (1) Pæſtani legerem cava litora Ponti,
Et (2) Silari circùm patrio vada flava phaſelo
Soliciti urgerent nautæ, rectore (3) Melantho,
Fortior aſſurgens mediis è vallibus aura
Irruit improviſa: latus dedit acta ſub undas
Transverſum ratis, & medio penè obruta fluctu eſt:
Sed quid plura? (juvat cauſas reticere malorum,
Ne vix ſopiti conſurgant corde dolores)
Me pater è pelago ſervatum ad litora vexit
Saberides, cui Muſa chelyn pro munere vovit;
Quæ rea nunc voti quæcumque hæc carmina ſolvit.
Verùm ſi cœlo noctes fulſere ſerenæ,
Vos ſemper, nautæ, noctes optate ſerenas,
Cùm jam luce nova, & falcatis cornibus errat
Aurea per cœlum Phœbe, & novus incipit annus,
Carpere iter velis trans æquora, non tibi durus
Ipſe vero, ſi ſalſa maris freta findere puppi

Vatis pene naufragium ex intempeſtiva navigatione.

Serenæ noctes Januario ineunte, navigationi opportunę.

(1) Pæſtanus Sinus à Pæſto, roſariis nobili, dictus, nunc ab urbe Salerno, *Golfo di Salerno*. (2) Fluvius Picentinorum, *Selo*. (3) Archinavarchus Neapolitanus maris, & ventorum notitia, vel in paucis egregius.

Urget opus, terrasque alias penetrare necesse est.
I securus aquis; illo nam mense serenus
Fulgebit cœlo Titan, pelagusque silebit.

Et Alcedonia quies.

Est etiam tranquilla suis non mensibus (1) æstas,
Halcyonem dixere dies, quibus aurea cœlo
Lux nitet, & tacita venti sub rupe silescunt,
Et fluctus pelago torpent: emitte sub illam
Carceribus currum, terrasque inquire latentes.

Prætereà numquam committes puppibus Austros,
Ni prius incipiat cœlo jam Luna videri,
Postquàm fraternas convenerit æmula bigas,
Aut librata jugo pleno jam lucida cornu,
Egerit alatos suda sub nocte jugales:
Aut prius in medio fulgens sublimis Olympo
Dividuum terris, pelagoque ostenderit orbem.
Nam tunc Oceanum, noctis nitor, aurea Luna
Concitat, Æolioque ciet de carcere ventos:
Vel fugat, & ponti jam turgida marmora placat:
Ipsa vices etiam dominæ maria alta sequuntur,
Omnis & humor aquæ, & terræ circumfluus aër.
Numquam inconsulta ponti per cærula Luna,
Incertum tentabis iter, Palinure, relictos
Si salva cum puppe velis spectare penates.

Priusquam à litore solvant, Lunam consulere nautas opus est.

Insuper his, alto cumuli de vertice primam
Sub noctem tacito labentia sydera cœlo
Inspicias, fluctusque vagos, auramque patentem:
Si constet cœli facies, & lumine puro
Astra micent: extrema salis si muta quiescant:
Si gelidæ spirent auræ, si montibus atræ
Insidant sparsim nubes: vigil undique circùm
Cuncta oculis lustra tacitis: aure aëra capta
Solicitus, ne fortè dolo capiare sereni
Ætheris, aut blandi fallat pellacia ponti.
Qualis ubi densum ductor movet agmen in hostem,
Explorat loca cœca prius, circùm omnia lustrat
Attentus, ne sylva dolum struat inter opaca
Densorum nemorum, atque hostes nigra integat umbra.
An duri occurrant saltus, montesque nivales,
Aut vallis veniat superanda, aut flumina lata
Longarum cursus interruptura viarum.
Prudentis sic cura ducis: sua munera cauti

Et cœli totius, marisque prospectus.

Hæc

(1) Alcedonia quies, *Està di S. Martino*, Itali vocant, quæ ferè Novembri, vel Decembri contingit.

Hæc etiam rectoris erunt; instantia rerum
Momenta, & causas simul inspexisse malorum:
Ac vigili lustrasse oculo mare, sydera, terram,
Ante procellosas quàm det sua vela per undas.
Verùm ubi marmoreo religatam ex aggere ripæ
Solvere jam puppim, portuque emittere certum est;
Litoribus geminas tendens ad sydera palmas,
Principiò venerare Deos, quorum æquora curris,
Et quibus imperium ventorum. Sic freta cœca
Audaci findes cum puppe; volentibus & Diis
Quo te cumque vocet Fortuna, per æquora tutus
Ibis, & incolumem advertes ad litora proram,
Navita, funde preces, Divosque in vota vocato;
Semper & è Superis exordia fausta petantur
Inceptorum operum: Diis semper agentibus ipsis,
Lætaque principia aspicies, cursusque secundos:
Et nihil invitis Superis sperare licebit.
Principiò veneranda Trias, atque aurea Mater,
Diique, Deæque omnes veniant in vota vocati:
Et placido intendent canentia suppara flatu.
Imbriferos Cœlo nimbos, pelagoque procellas
Discludent toto rigidas, atque astra malignæ
Tyndaridis nymbosa procul de puppe fugabunt.
Ipse etiam in primis placida in statione vocatus
SABERIDES, magni rector maris, æthere ab alto
Descendat, vultuque hilari, quo sydera placat,
Quo fluctus, ventosque truces, cœlumque serenat,
Aspiciat trepidam venturam in cærula puppim.
His actis, lenes quoniam cita carbasus auras
Matura jam nocte, vocat, cùm lumina tollit
Pura mari, socioque choro micat aurea Phœbe,
Cornibus ex altis læto jam murmure nautæ
Carbasa demittant, ventosque à puppe ruentes
Accipiant, faciantque pedem, cunctique sinistros.
Indè sinus solvant dextros: unà ardua flectant
Cornua, deflectantque: ferent cita flamina pinus.
Sedulus intereà considens puppe Magister
Intentus clavo, clavoque immobilis hærens,
Stet promptus torquere manu retinacula, quà se
Ventus agit veniens, cursusque, & sydera ducunt.
Omnis & in clavo docti stet cura Magistri.
Ac veluti loris currus auriga volantes
Hàc, illàc, quà poscit iter, cursusque viarum
Inflectit, varioque volans gyro, arva recurrit.
Non aliter curvo Rector temone carinas,

Superi, ut cursus fortunent, principio colendi.

Clavi moderamen Rectori quàm accuratè tenendum.

Quà ventus, cursusque vocat, reget æquore vasto.
Si dextra errandum pelago, de puppe Magister
Impiger ad dextram inflectet (1) cita lora: sed illa,
Si plaga terrarum fuerit lustranda sinistra,
Torqueat ad lævam: si rectus gurgite cursus
In medio, Palinure, loca retinacula puppis;
Nam sic directò celeri vada concita lapsu
Alnus arat. Tortas veluti quà flexit habenas
Excelso insidens curru moderator equorum,
Quadrupedes docti strictis parere lupatis,
Cur tantæ in clavo vires. Incedunt, promptique terunt iter: ærea puppis
Haud secus, incurvum quà flexerit ipse Magister
Temonem, cita carpet iter, fluctusque secabit.
Exigua nam mole licèt stet puppe sub alta
Adnisus gemino circùm versatilis unco,
Attamen æratas magna cum mole carinas
Hàc, illàc contrà, pelago obluctante, retorquet,
Quà ventus, cursusque vocat, quàque ipsa petit res.
Ferreus ipse velut parvo cum corpore vectis
Marmoraque, lapidesque, atque alta mole columnas
Submovet, & grandes scopulos, rupesque revellit.
Mensa deindè super lævi, puppique sub ipsa,
Nauta, coloratos (2) orbes, pictasque tabellas
Extendas, pariterque plicata volumina volves,
Tota quibus terræ facies, pelagique sonantis
Cæruleis distincta notis, minioque rubescit.
Ardua conantis magnus labor artis, & altum
Ingenii solertis opus, quo surgere majus
Haud equidem quid posse reor; namque ultima rerum
Jam doctæ tetigere artes fastigia, & ipsum
Se super ingenium, atque hominum solertia vexit.
Picti Orbis, seu Mapparum descriptio. Ipse colorata totus sub imagine mundus
Cernitur, & justis spatiis distincta locorum
Intervalla jacent: quicquid spectabile rerum
Orbis habet, totum tenui tu cortice pictum
Aspicies. Celso tolluntur vertice montes.
Atque coloratis circùm nemora alta virescunt
Arboribus: medio valles umbrantur opacæ.
Appictæ ludunt pecudes, luduntque capellæ

Pra-

(1) De ipso clavo accipiendum; qui in oppositam partem vertitur, non verò de manubrio, quod ad eam partem convertitur, quà navis dirigenda est. (2) Mappas scilicet hydrographicas, *la carta di navigare* appellant Itali.

Prata per, & pictos colles, & Tityrus illas
Pictus agit: mentita procul viret herbida scena:
Et fera mentitis sylvarum ambagibus errat:
Hìc urbes etiam vallantur, & oppida muris
Exiguis, surguntque jugis castella sub altis.
In breve contracti spatium cernuntur & ipsi
Ingentes fluvii, strictisque anfractibus errant;
Depictasque inter ripas labuntur in æquor,
Ingens circuitu parvo se colligit alveo
Verticibus Lunæ Nilus devexus ab altis:
Exiguis fluit Indus aquis, & maximus Ister.
Vix tabula Rhodanum cernes, Hypanimque sonantem,
Eridanumque, vagumque Tagum, Mysumque Caicum,
Et vix appicto Sebethus in orbe pererrat.
Magnus in angusto riparum margine clausus
Fluctuat Oceanus: pictis crispantur in undis
Æquora, & exiguo trepidant circumdata limbo.
Tollere se simulant miniato in gurgite fluctus,
Advolvique vadum, scopulosaque litora propter
Allidi, & fracta rorare aspergine cautes.
Æoliæque animæ nisu conantur inani
Flaminibus turbare salum, cœlumque procellis:
Appictæque fremunt muto stridore procellæ.
Hìc plana in pictum Tellus se porrigit æquor,
Et longùm excurrit, cuneoque simillima acuto
Deficit in punctum, & tremulis vix fluctibus extat.
Altior hic digito simulat se tollere cœlo
Verticibus summis, sensimque asperrima duras
Scinditur in cautes: curvata hìc brachia tendit,
Atque sinus gremio complectitur, Iridis instar
In medio sensim longos curvantur in arcus
Litora: turriti surgunt, ceu cuspis, ad auras
Hìc scopuli, cautesque, fretoque interlita saxa.
Prætereà quæcumque Thetis, circumfluit, ipse
Descripta in parvo spectabis singula mundo.
Pontus ubi cœcas tumido tegat æquore syrtes,
Occulat & brevia; & scopulis ubi dura rigescant
Marmora, & horrendæ surgant ad sydera rupes.
Infames cæco signantur gurgite syrtes
Cuspidibus nigris: brevis & Brevia invia punctus
Præsignat: curvis statio quà fida carinis,
Atque sinus tacitis in sedibus abscondantur,
Et placidos inscripta tibi notat anchora portus,
Pictus & ipse tibi monstrabit cortice mundus,
Insula ubi mediis pelagi tollatur ab undis,

Quæ laterum objectu tutos det litore portus,
Cùm freta Neptunus rigido quatit alta tridente.
Quà fluat Oceanus, refluatque citissimus inde:
Et quas ille plagas cursu petat incitus, & quas
In se dum resilit spumantia lora retorquens.
Singula quos servent mores maria humida, vel qui
Sit cunctis genius suus unus, & ipsa locorum
Quid natura ferat, quid respuat: una nec illis
Conditio est, habitusque suus non omnibus unus.
Diversa marium conditio. Namque hæc solicitis sunt hospita cærula nautis,
Invitantque ratem: hæc sed inhospita puppibus: illa
Nunc placidum sternunt salis æquor, & aurea rident:
Nunc tollunt sublime caput, cœlumque lacessunt.
Hæc Zephyro gaudent, atque hæc spirantibus Euris:
Illa Notis pulsata fremunt: hæc humidus Auster
Verberat, hæc Libycus: verum hæc Aquilone tumescunt.
Cuncta suis, Palinure, locis signata videbis
Membrana in picta, & radio bicolore notata.
Hæc sit & in primis tibi maxima cura, priusquàm
Expandas tua vela Notis, in cortice pictum
Doctè orbem legisse, dies quem multa notavit.
Tutiùs hoc ibis medias, Palinure, per undas:
Insuper inscripti visuntur vertice ab uno
Per gyrum radii, referuntque coloribus aureis
Spirantes vario Mundi de cardine ventos.
Lilia cuspidibus quæ summis linea præfert,
Arctoo Boream venientem ab sydere monstrant.
Et reliquos alii ventos tibi, nauta, rubentes
Ostendunt radii: nostro quos carmine doctum
Te meminisse decet. Sed jam tibi versibus opto,
Qui primo in cursu ventorum maximus usus,
Et fortunati quæ sint exordia cursus,
Dicere. Depicto ponatur eburnea pyxis
Orbe super, quæ mota polum monstrabit, & astra,
Quàque diem referat Titan, condatque relatum,
Et ventus quo quisque suo de cardine spiret:
Qui Rhombi. Atque plagas omnes ostendet cuspide Rhombus;
Namque etiam in Rhombi speciem jam nautica multis
Informatur acus: nostri hinc cognomine Rhombos
Terrarum dixere plagas, numerumque sequuntur
Ventorum, pariterque tenent cognomina venti
Quisque sui, qui parte illa se fluctibus infert.
Quomodò instituenda navigatio in certos portus. His actis, Palinure, plagam, quò gurgite cursum
Instituis, perquire: modum non carmine multo
Expediam. In parvo primùm vigil inspice mundo
In

In portum, quò tendis iter, quæ linea ducta eſt
Litore ab adverſo, quod deſeris: illa notabit,
Quæ plaga terrarum fuerit, quam puppe requiris.
Hanc etiam explora tornata in pyxide: Rhombus
Cuſpidibus dabit auratis: mox dirige clavum,
Inque plagam rectà quæſitam per mare magnum
Perge, nec & dextram pete clavo, neve ſiniſtram,
Atque gubernaclum radiis in pyxide ſemper
Congruat inventis adamuſſim; fluctibus altis
Sic iter in terras rectum, portusque tenebis,
Quos petis. At venti qui ſit tibi maximus uſus, Ventorum uſus.
Accipe. Si recto deſcendat flamine ventus,
Inque plagam tua vela ferat, quam cuſpide picta Recta navigatio.
Monſtrat acus, recta ventis da vela ſecundis.
Si verò obliquè feriat navim aura volantem,
Obliqua velum in ventum, clavumque, magiſter: Obliqua & ut Galli dicunt, *de Bouline*.
Tende hos in proram, atque illos in puppe rudentes
Ferreus accipiat duplicatis nexibus uncus.
Quæſitis quantùm à terris ſpirantis oberrat
In latus aura Noti, tantùm obliquare memento,
Ipſe gubernaclum: & vento obluctare, ſecando
Transverſum ſalis ære vadum: ſed nitere ſemper
Illàc per ſpumoſa maris freta flectere curſum,
Quà quæſita jacet terræ plaga, quam tibi primùm
Depicta in parvo ſignavit linea mundo.
    Verùm age, qui melior tibi ſit per cærula ventus
In velum optandus, quò puppibus ocyùs altis
Turbida fluctivagi diffindas cærula ponti,
Dicamus: Celeres ſi per freta vaſta celoces,
Sive leves agitas lembos, pictasque triremes, Qui ventus felicior ſit.
Quæ gemina in ventum dant vela aurita ſecundum,
Poſticos pete, nauta, Notos è puppe ruentes:
Inque crucem extende antennas: ſic carbaſa ventum
Accipiunt omnem, & cita diſſecat æquora pinus.
At ſi navigium, atque ingenti corpore gaulum
Per fluctus auriga regis, tu mitte ſecundas
Exoptare auras; nam currus tardiùs illis
Incedit pelago: felici carbaſa vento
Cuncta nec inflantur, primi ſed linea mali
Vela auram accipiunt, & cætera muta quieſcunt.
Obliquos pete, nauta, Notos de rupe cadentes;
Nam ſic aura ſinus omnes cita flamine complet,
Ac multa pellit vi navim: fluctibus illa
Prona volat, roſtroque maris lata æquora ſindit.
    His animadverſis, magnæ labor improbus artis

Sub-

Subſequitur, curſu in medio cùm flaminis auræ
Mutavere loca, & ſedes liquere priores:
Ut, Borea ceſſante, loco qui proximus ardet,
Circius Oceano pernicibus irruat alis.
Rectorem extemplo clavo torquere carinam,
Tunc opus, Oceanique plagam, quam linea primùm
Luſtrandam oſtendit perquirere, perque tumentis
Cærula Neptuni curſus intendere in illam.
Illa ſed in primis, vento variante, magiſter,
Cura tibi ſpectare mari, qui cardine verſo,
In velum ventus ſubita ſpiraverit aura.
An ne Nothi fuerint flatus, animæque minores
Ventorum; nam ſæpè mari, ſpe falſus inani,
Non benè perſpectis jactatur navita ventis.
Ac velut in bivium preſſus cùm faſce viator
Venerit, ignarus neſcit carpenda duarum
Semita quæ ſit, & alta ſecum in mente volutat;
Quà maturet iter, veniat quo tutus ad urbem.
At quoniam, ſeu preſſa hominis formidine cœca,
Seu Fato pellente ruit mens neſcia rerum,
In dubiis anceps animus pejora ſequetur,
Inſcius obliquum per inhoſpita luſtra viator
Carpit iter, ſenſimque viæ de tramite recto
Flectitur, & ſpatiis ſemper majoribus errat.
Principiò qui parvus erat, fit maximus error,
Sub finem, creſcitque malum currentibus horis.
Sic ubi purpureo proceſſit Veſper Olympo,
Defeſſus torquere retrò jam lora viator
Cogitur, & nigra ſylvarum errare ſub umbra.
Non secùs, ignarus venti cùm vela magiſter
Obliquo temone dedit ſpirantibus auris,
A recto ſenſim diſcedit tramite, vaſtis
Transversùm propulſus aquis, cùm denique longè
Quæſita Tellure alias ſe vertit in oras
Ignarus, curſumque retrò inſtaurare neceſſe eſt.
Me quondam Ænariæ memini ſub rupibus altis,
Quà latus obvertit Prochyte, colleſque Dicharchi
Aſpicit apricos, ubi puppibus hoſpita tendit
Litora, pacatoſque ſinus in valle reducta,
Quaſſata cum puppe Lycam vidiſſe Britannum,
Ænariæ ad portum venientem à gurgite vaſto.
Ut primùm è puppi ſociis comitatus in actam
Deſcendit, quæ cauſſa mali, qui bella tuliſſet
Perquiro, nam notus erat: reſpondit & ille:
Hæc tibi de multis (prohibet nam dicere plura

Quid cùm venti mutantur.

Pericula ex ventorum inſcitia, & Britannici navarchi caſus.

Altus

Altus corde dolor) Drepanum, cùm Delia cœlo
Luceret, lenique afflaret flamine Caurus,
Deservi, velumque dedi, quà diruta saxis
Vix propriis Carthago jacet visenda ruinis.
Ast ego dum tenues auras, atque aëra capto,
Credideram spirare Nothum de litore Caurum.
Inscius hæc: non ille Nothus mea carbasa Caurus,
Ipse sed è Siculo tendebat litore Caurus,
Qui procul in Leptim, sceleratàque litora vexit,
Quà mare, quà terras prædatur barbarus Afer.
Ignari ut primùm portus intravimus, ecce
Armatas quatuor Mauris prædonibus alnos
Aspicimus: retrò subducta in valle latebant.
Ut me delapsum sceleratæ ad litora terræ
Conspexere, ruunt: subitò crepuere metalla,
Atque explosa cavo pila ferrea verberat altam
Ære ratem, crebròque sonat Vulcanus ad auras.
Bellum horrendum, atrox, nigraque in nube procella
Subsequitur: crebris ardet latè ignibus aër,
Omnia & ex imo reboant freta cærula fundo.
Jamque ego disparibus cedebam victus ab armis,
Tempestas cùm dira mari se sustulit alto,
Quæ tonitru, nimbisque, & fulmine bella diremit.
Sæpè novi casus vicibus nos ordine versis
Casibus eripiunt, & Fatum Fata morantur.
Hinc ego vix tandem pelago jactatus, & armis,
Hùc veni incolumis. Ventos captate, magistri,
Qui sint, quo certo mundi de cardine spirent;
Ne tandem ignari in discrimina certa ruatis.
Hæc tunc ille: tibi quæ nunc meminisse juvabit.
    Sed Major, Palinure, labor, durusque paratur;
Cùm proræ incumbit ventus, retròque repellit
Litore ab optato spumosa per æquora puppim:
Tunc ea solicitum pressabit cura magistrum
Obliquare sinus, & turgida frangere multo
Æquora circuitu, ac vento transversa furenti
Obniti, sensimque anfractu vincere longo.
Ac veluti miles cùm Martia mœnia turris
Fulminibus crebris, tonitruque horrentia multo
Aggreditur: non ille audax ruit ignea contra
Fulmina confestim, strepitantiaque æra lacessit,
Nam se præcipitem certo objectare periclo,
Vincere cùm possit, Martem & superare morando,
Non virtus hæc, sed temeraria, cœcaque mentis
Consilia, insanusque animi furor. Ergo ubi prudens

Quid cùm ventus è prora flat, & quæ obliqua navigatio per accessus, quod nostri *velteggiare* dicunt, Galli *aller sur les voltes*.

Acceſſum videt in muros prohibere metalla
Concava terrificis latè exhorrentia bombis,
Non contrà miles procedit, & æquore aperto
Excipit ardentem nudato pectore Martem.
Sed priùs obliquum tuto munimine vallum
Impiger in latus attollit, palisque revincit:
Vimineamque ſtruit loricam, & fortibus illam
Turriculis munit, ſtipato & milite complet.
Transverſum molitur opus, dextraque, ſiniſtraque
Obliquè extendit: ſic ſenſim mœnia contrà
Urget opus, flexoque tegit circùm aggere corpus.
Cùm tandem ſeſe vicino ex aggere muris
Objectat, teliſque premit jam proximus arcem.
Qualis in Ægæum centum cum flexibus errans,
Et centum aggeribus riparum ſe arduus infert
Mæandrus, tortoque volumine verberat undas.
Non ſecùs adverſo ventus cùm flamine perflat.
Obliqua in ventum nitatur puppe magiſter.
Nunc dextram temone petat, ſubitoque relicta,
Diſcedat: rurſusque volans petat ille ſiniſtram:
Transverſumque vadum frangat, perque æquora circùm
Multiplici flexu, atque iteratis curſibus erret.
Cùm tandem adverſi ſuperato flamine venti,
Defeſſas curſu puppes ad litora vertat.

Difficilis navigatio adverſo vento intra anguſta loca, & circa promontoria.

Maximus at nobis labor hic, cùm puppe volantes
Nitimur exeſas retrò transmittere rupes,
In longùm pelago vel procurrentia ſaxa,
Ac ſimul in proram Boreas ruat horridus Urſa:
Aut inter freta terrarum diſcrimine parvo
Cùm petimus portus, urbesque in valle repoſtas,
Sæpè dies multos curſu trivere morando
Rectores vento obluctantes viribus, altum
Ut latus exeſi montis, portumque ſubirent.
Attamen incaſſum cecidit labor: oſtia portus
Cùm jam lunati peteret ratis, impete multo
Fortior aſſurgens vicinis vallibus aura
Longinquùm optato pepulit de litore puppim.
Sæpè piger laxare pedes, velumque miniſter,
Et citò velifera: ſummo demittere malo
Antennas, geminoque obvertere vela cerucho,
Cùm ventus, curſusque, gubernatorque petebat,
Non juſtis in vela modis cita flamina Cori
Accepit, ceſſitque ratis vi pulſa repentè.
Ut cùm præruptum ruit alto à vertice ſaxum,
Ni latus avertant ſubitò, cedantque ruenti

Agri-

Agricolæ, magno dejecti pondere molis
Præcipiti de rupe cadent per devia lapsu.
Ergò ubi velivolis errandum navibus inter
Angustis conclusa locis vada cœca profundi,
Et simul adversa ventus spiravit ab ora,
Centum in vela manus intendant, brachia centum
Solertes famuli, & cautus stet puppe magister.
Cùm me Rhegini colles, & dulcis alebat
Cænys (1) odoratis inter juga læta salictis,
Centum ubi purpureis halantes floribus horti
Aurea Medorum felicia citria fundunt,
Arcanas rerum caussas penetrare, Minervæ
Addictus studiis, iam fessus, in otia ruris
Agrestes inter Nymphas concesseram, & omnes
Depuleram curas animo: me Phœbus habebat,
Me Musæ tantùm, & dulces antè omnia Musæ.
Valle sub umbrosa, vitreique ad fluminis undas
Est nemus, & circùm placidis loca fœta salictis,
Deliciæ Vatum, & statio gratissima Musis:
Hic inter salices, placidique ad murmura fontis,
Quà circùm grata viret alta jacentibus umbra
Populus, & patulis tendit sua brachia ramis,
Nobilis æstivo quondam sub Sole (2) Meralcus
Splendida regali struxit convivia luxu.
Ille hìc Parthenias herboso in gramine Musas,
Una & Parthenium jussit discumbere Vatem:
Partheniis gratus Musis, Vatique Meralcus.
Dum primos dulci Baccho libamus honores
Chrystallo in nivea, subitus conclamat agrestes
Vicina è specula custos: ruit agmine facto
Sylvestrùm numerosa manus: citò litora complent
Armati agricolæ, sudibusque, & falce recurva.

Villæ Rheginæ ad Cænym descriptio, & Josephi Marescalci elogium.

 Haud

(1) Promontorium Calabriæ supra Columnam Rheginam, ex quo brevis in Siciliam transitus est, Peloro objectum (*Capo della Volpe*) Incolæ vocant; ex hoc enim Siculi freti æstus (*la rema* Itali nautæ dicunt) exordium sumit. Non longè ex hoc promontorio, amœnissima villa est, & pagus Collegii Rhegini, cui (*Cannatello*) à proximo Arundineto nomen factum est. (2) *Josephus Marescalcus* nobilis Rheginus Saliceti Dominus, qui sæpè in amœnissimam Saliceti sui villam, ac nemus Vatem, cui vel in primis charus erat, excipiebat læto, & pereleganti convivio. Vir comis, & eruditus, & ad animos sibi officiis promerendos unicè factus.

Haud mora, ſemotis epulis, conſurgimus omnes;
Tela citi capimus, celereſque ad litora greſſus
Tendimus, & circùm denſis ſtipamur in armis,
Ignari quæ cauſa viros civiſſet agreſtes.
Aſt ego (quandoquidem ventura præſcia Vatum
Mens eſt) Trinacriæ properare ad litora claſſem
Gallorum ingentem, pacis quæ fœdere rupto
Horrida Zanclæis tunc arcibus arma ferebant,
Admonui: haud Phœbi Vatem cortina fefellit.
Cænyos ad litus dum venimus, omnia circùm
Æquora turritis ſpectamus operta carinis.
Qualis Taygetus, vel Menalus, aut Erimanthus
Arboribus tegitur denſis, & ſydera pulſat.
Velivolas inter ſylvas, pinuſque natantes
Ingens turris erat (turrim ſi dicere fas eſt,
Quæ ſe mole mari tollebat Cycladis inſtar)
Hæc alias inter tantùm ſurgebat Olympo,
Quantùm turriti ſcopuli demiſſa cacumen
Saxa ſuper cœlo tollunt, nubeſque laceſſunt:
Aut Siculos quantùm colles ſupereminet Ætna.
Navis erat multo regali ſplendida luxu
Conformata ducis ſtudio, quo panderet Orbi
Quàm ſint divitiæ ingentes, Gallique ſuperbæ
Regis opes. Surgebat aquis tota aurea moles:
Ex auro puppis, nitido ſplendebat in auro
Prora, coronatæ turres, atque aurea cuſpis.
Ipſa etiam fulvo radiabant roſtra metallo,
Et geminum latus ardebat fulgoribus aureis,
Et mali, & ſpeculæ, & veligeræ antennæ.
Ipſa Pharos ſummo fulgebat vertice puppis
Aurea, nocturnas cœlo pulſura tenebras.
Verùm materiem, pretioſaque dona metalli
Artificum ſuperabat opus; namque inclyta centum
Magnanimùm ſimulacra virùm, ſpirantia centum
Signa ducum, & fulvo ſeries longiſſima regum
Artifici cælata manu ſpirabat in auro.
Inciſæ ſtabant acies, fuſique tyranni,
Devictæque mari claſſes: ſpumabat in auro
Oceanus, flavi fluctus, & vertice fulvo
Aureus auratis Delphin ſaliebat in undis.
Auratæ centum ſpeculæ latera omnia circùm
Multiplici ſerie totidem tormenta ſub alto
Condebant gremio: tandem placidiſſima viſu,
Aurea ſpuma velut, fulvum quam deſpuit aurum,
Tota coruſcabat radianti lumine Cyclas.

Gallicæ Claſſis Meſſanam venientis deſcriptio.

Et prętoriæ, omniū hac ætate celeberrimæ, quam à Ludovico Magno Magnum Ludovicum Galli appellarunt.

Aſpera cælatis tot floribus, aſpera ſignis.
Ac, veluti ſpeculum, fulgebat lucida circùm,
Cùm radiis illam ſplendentibus æthere Titan
Luſtrabat, rutiloque ardebat lumen in auro.
Tota repercuſſis radiis cava litora circùm,
Et Calabri ardebant colles, collesque Sicani:
Subter, & in tremulo ſplendebat gurgite pontus.
Quingenti puppem juvenes fulgentibus armis
Marte tuebantur, totidemque in vela miniſtri
Prompti aſſurgebant vi multa, & corpore forti.
Illam dixerunt Magni cognomine Regis
Magnam Ludovicum, & tali nomine digna
Puppis erat: talis Siculum viſenda per æquor
Errabat, trepidi undoſam cùm venimus actam.
Ut primùm alatam ſpectavimus æquore ſylvam,
Hæſimus, auratamque, oculis mirantibus alnum
Attoniti ingentem luſtravimus: aurea pectus,
Atque oculos miſto tenuit terrore voluptas.
Aurum oculos, captumque animum, ſenſusque tenebat:
Martia ſed centum terrebant fulmina mentem,
Uſque adeò tutum nihil eſt; terremur ab auro:
Sævior & fulvo Mars eſt armatus in auro.
Litoribus noſtris, Dii, talem avertite puppim,
Ne pacem Italiæ turbet, pacataque regna
Regibus AUSTRIACIS tot jam dominata per annos,
Aurea pax vigeat: quantùm eſt in fluctibus auri
Diſpereat, pereatque auri inſatiabilis ardor;
Hoſtes ne nobis fulvo inſidientur in auro:
Inſidioſa dolos auri vis prodiga tendit.
Æquore, poſt curſus varios, cœloque remenſo,
Jam (1) Zancles portum claſſes, & longa theatri
Brachia ſe ſummo tollentia vertice cœlo,
Intrabant, in vela Noto ſpirante ſecundo,
Langu dus extemplò cecidit Notus, & citus alis
Labitur anguſti Boreas de ſede Pelori:
Atque ſinus auras venientes murmure læto
Accepere, retròque receſſit concita claſſis
Vi multa Boreæ venientis nec mora, cunctæ
Tunc vento obniti contrà cœpere carinæ;

Et

(1) Meſſana, ſic dicta, quia ibi Saturnus falcem, qua patris pudenda præſecuerat, abſcondit; falcem enim Zanclon Siculi vocant: vel potius quia urbs curvitate ſua falcem refert: totam autem portus curvam oram ſuperbiſſimo ædium theatro cives adornarunt, quo nihil in tota Europa prçſtantius eſt.

Et ventum sensim vento superare sequendo.
Ante alias Boreæ obluctarier aurea Cyclas
Cœpit, & obliquè in ventum dare vela: sub alta
Galli navarchi mira peritia.
Sedulus assidens puppi molitur habenas
Longo usu, multaque exercitus arte magister.
Nunc hàc, nunc illàc currus retinacula flectit:
Nunc petit Hesperiam cursu: & jam proximus oræ
Torquet iter, Siculæque levi succedere terræ
Festinat cursu: propiùs mox flamine multo
Huc ubi iam venit, celeri fugit ocyùs Euro,
Obvertique jubet velum: promptique ministri,
Haud mora, consurgunt omnes, atque ardua torquent
Cornua, detorquentque, citi & data jussa facessunt.
E prora hic tendit; dat & ille è puppe rudentes:
Pervigil hic scalas celeri pede pressat, & alto
Contendit malo, & carchesia summa manu jam
Arripit, & lætus circo sedet inde coronæ,
Et facit ille pedes, & veli cornua flectit
Impiger, obliquatque sinus; nunc contrahit alter;
Nunc pandit: tunc justa truci dat carbasa vento;
Assurguntque alacres opera ad navalia nautæ
Unà omnes, studiumque unum, & cura omnibus una est,
Intereà regit ipse ratem Palinurus in undis:
Rursus in Italiam flectit temone carinam,
Obliquatque mari cursus, sensimque sub Arcton
Scandere conatur puppi, Cænymque virentem
Exuperare. Fluit pelagus de litore Cænys
Zanclæum in portum, cursusque citissimus. Acri
Non opus hic est (mira quidem, nec credita vulgo)
Remigio, ventoque ferunt ipsa æquora puppes.
Quin etiam Boreas spirat de puppe secundus,
Cùm Cænym legere rates. Propè litora classis
Cænyos, obluctante freto, pervenerat, & jam
Audiri strepitus nautarum in litore cœpit,
Velorumque fragor: pictis terrebat ab armis.
Nos Gallus: nostris & terrebatur ab armis.
Marini Carafæ elogium.
Parthenopæus erat miles, custodia collis
Cui fortè obtigerat, generosus, & impiger armis,
Dux illi Marti charus, Vatique (1) Marinus

Ca-

(1) *Marinus Carafa*, *Martii Carafæ* Excellentissimi Madalunensium Ducis germanus, qui tunc Rhegii Neapolitanorum militum legionem Tribunus regebat. Vir animo penè regio, & ad maxima quæque natura comparatus, Vatique perquam familiaris.

Carafidùm de gente fatus, tot clarus avorum
Nominibus, primæ quot funt ab origine gentis:
Magnanimi heroes cuncti, gestisque fuperbi,
Illuftres centum titulis, & laude decori,
Quos inter claros heroas, & ipfe videndus
Egregia incedit laude, & virtutibus heros:
Acer equis, promptusque manu, promptusque fagittis,
Promptus confilio, quo non felicior alter.
Hoc duce jam fretus miles tentare parabat
Principium pugnæ, rigidisque emittere cannis
Fulmineas per inane pilas; crebroque rotatu
Torpentem ficca excutiebat refte favillam.
Et jam admota truci radiabat Vefta metallo,
Cùm fubitò lapfus crepitanti murmure ventus
In Siculum puppes iterum latus ire coëgit.
Haud animis læta cecidit cum pube magifter:
Rurfus tentat iter, ferpitque per æquora gyro
Multiplici, & ventum conatur vincere vento.
Cùm tandem magnis, & viribus ufus, & arte,
Cænyos aprici fuperato colle fequendo,
(Nil durum eft nobis, & ineluctabile femper)
Dat velum in ventum, & celeri fubit oftia curfu.
Non fecus (1) accipiter cùm vidit ab aëre fummo
Arboreo ex nido, vel agrefti ex arce columbam
Egreffam celeri lapfu petere arva volando,
Ungue rapax, crudelis, hians prædæque, rapinæque,
Advolat, & pavidam contrà ruit arduus ales.
Non tamen ille priùs contrà citò tramite recto
Adventat, ne fortè volet dilapfa columba;
Infidias ftruit ille fuga, meditatur & artes.
Ingeniofa fames, prędæque innata cupido.
Nunc dextra fimulat curfus, nunc illa finiftra:
Nunc medio librat fefe, atque immobilis hæret;
Nunc volat, & tortos defignat in æthere gyros:
Mille per ambages ruit aëre, mille per orbes.
Itque, reditque frequens, properatque, urgetque morando;
Transversùmque loco cedit, ferturque propinquus.
Dum fugere infimulat, contrà venit, & propè curfu
Cùm fuerit, pavidamque premit jam proximus ungue,
Irruit, & celeri prædam petit aëre lapfu:
Æratis explofa velut ruit ignea cannis,
Et liquidum per inane volat pila: qualis & arcu

Accipitris columbam infectantis defcriptio.

Evi-

(1) Nimirum Falco, qui ex accipitrum genere eft.

Evibrata fugit cædem latura ſagitta.
Has, Palinure, artes, atque hæc exempla ſecutus,
(Nam licet egregias artes, verumque laborem,
Et ſi quæ fuerint virtutes diſcere ab hoſte)
Adverſos ſuperare Notos, fluctusque valebis,
Et tandem optatæ puppes advertere ripæ.

Quid cùm lenè in velum venti ſpirant.

Eſt etiam ille labor properandis curſibus alter,
Cùm ſenſim tenuis morituræ ſibilus auræ
Languet, & in lento currit pigra gurgite puppis:
Quid tibi ſolerti ſtudio tunc, rector, agendum eſt,
Expediam. Si vela Notis aurita dediſti,

Cùr antenna elevata ad Carcheſiũ velociùs navis fertur.

Et Lembos agitas, vel pictas puppe triremes.
Attolle è medio antennas carcheſia circùm;
Languida ſic navim propellit fortiùs aura,
Vela implens: curſatque citus per cærula currus.
Non ſecùs ac vectem, ſi cùm longiſſimus exit,
Exigua faber impellens vi, protinus imis
Attollit lapide, & grandia marmora terris.
At ſi per canos ſpumanti flumine campos

Supparorum uſus.

Turritas, auriga, rates moderaris, ab alto
Vertice malorum crepitantia ſuppara pande:
Illa ſinu tenues perituri flaminis auras
Accipient: fugientque trabes tranquilla per alta.
At verò immoriens velo cùm deperit omnis
Ventus, & in patriam feſſas vocat Æolus auras,
Tunc latos nudata humeros generoſa juventus
Remigio inſiſtat, pacataque marmora verrat.
Vel, ſi remigio careat ratis, illa ſilentes
Remulco (1), Palinure, tibi ducenda per undas.
Hic ſed præcipiam queis artibus otia pubes
Interea vitet: ſemper vitanda Magiſtro,
Et vitanda mari in medio ſunt otia Nautis:

Dum mari malacia eſt, cantu frangenda otia.

Quippè animi robur frangunt, viresque remittunt.
Ergo ubi pacato ridet pellacia ponto,
Lentaque ſub roſtris vix ſciſſa remurmurat unda,
Indulgere juvet cantu, fidibusque canoris.
Thermaico Nautæ de litore, qui freta primùm

Hyginus Fab. 4.

Tentarunt, pulchræ ſucceſi laudis amore,
Secum una in Graja duxerunt Orphea puppi,
Qui cantu egregius, citharaque inſignis eburna

Lude-

---

(1) Remulco navim trahere, eſt illam è ſcapha remis antrorſum agere, undè meritò cùm Scaligero primam produximus: *Rimorchiare*, Gallis *Remolquer*.

Luderet, & longi faſtidia falleret oti.
Ægæi fluctus ſulcabat Theſſala pinus
Argolica cum pube: lyram ſed candidus Orpheus
Alta puppe ſedens animabat, & æthera cantu
Mulcebat: velut albus olor dum flava Cayſtri
Ad vada, Mæandrive ſedet ſub margine ripæ.
Cantu, quo ſcopuli, & Tellus pulſata ſonabat:
Et rauca attoniti ponebant murmura fluctus.
At ſocii intereà leniti carmine mentem,
Non maris errores, tempeſtateſque ſonantes
Formidant, dubioſque dies, vel inhoſpita Ponti
Non patriæ Telluris amor, non chara parentum
Cura movet: dulcis citharæ ſonus occupat aures,
Pierioque ſilent ſopitæ carmine curæ.

Argonautæ, Orpheo canente curas levabant.

Ipſa etiam cantu diſcat lenire laborem,
Remigio inſiſtens pubes, dumque æquora remis
Verrit, & ad numerum cantando ſydera pulſet,
Ut ſævas pelagi poſſit mulcere procellas.
Qui Sindas circum, & per odoriferas Moluccas,
Oceani vada læta ſecant, ut cærula tonſis,
Sic paribus pulſare modis ſua cymbala certant.

In Indico Oceano remiges ut remos impellunt, ſic & cymbala pulſant, *Furnerius Hyd lib. 19. c 38.*

Quin matutino cum jam ſubtermicat igne
Phoſphorus, & primi rubuere cubilia Solis,
Præcipio flatu lituos inflare canoros,
Et quaſſare manu cava tympana, lætaque ſiſtra,
Murmure quo cuncta è tranſtris excita juventus
Surgat, & Auroram concordi voce ſalutet.
Non ſecus, Oceano facies cùm Phœbus Ibero
Conditur, & fuſcas vectat nox uda tenebras.

Inſuper optatis cùm jam delaberis oris,
Increpitent magno nervi clangore, tubæque,
Æraque feſtivo diſrumpant aëra bombo,
Lætitiæ indicium: feſtoque celeuſmate cuncti
Acclament læti Nautæ, portumque ſalutent,
Portum exoptatum: tum è puppe in litus amicum
Ingreſſi, Diis vota piis pro munere ſolvant.

Non inutiles cantilenæ decantandæ.

Attamen illud erit cura majore cavendum,
Nè ſtudio pejore modos, & inania cantet
Carmina, quæ ſenſim mollem per viſcera peſtem
Inſinuent, blandoque accendant murmure flammas.
Nec vos è puppi illecebroſa faſcinet aura
Mellitas inter voces molliſſima Circe:
Non & Sirenes, medio quæ gurgite nantes,
Spumoſum niveo diffundunt pectore pontum,
Et maria, & dulci complent modulamine cœlum.

Circe, & Sirenes devitandæ.

Virgineo ne crede choro, ne crede canoris
Vocibus: in summo quæ cernitur æquore virgo,
Inferius fera sæva latet, caudaque biformi
Incautos feriet pellectos carmine Nautas.
Sic multi periere viri: sic dius Ulysses,
Quo non mortalis vixit prudentior alter.
Insidiis quandoque boni capiuntur: &, heù! quot
Mendaci vitium sub imagine sæpè fefellit.
Incertus quicunque mari se credit, in una
Spem certam pietate, & amico Numine ponat,
Nevè pudicitiæ leges, & jura resolvat:
Sic aderit Deus, & felici carbasa vento
Intendet, facilesque dabit per cærula cursus.
Nam si vela Venus perflabit mollibus auris,
Atque pedes, clavumque regat malèsana voluptas,
Iratum miser ille Deum experietur, & ipsos
Ultores ventos, ultrices sentiet undas:
Et gemino infelix, atque illacrymabilis ibit
Naufragio, stygias meritò detrusus in umbras.
Sed cita jam tempus pelagi vitare fluenta
Clavum in transversùm, celeresque ferentia puppes:
Atque venenati chalybis perquirere mores,
Erroresque vagos, & vestigare locorum
Falsus ubi in picto, & varius situs orbe notatur.
At mihi vos, Musæ, superi quæ vertice Olympi
Cœlestes habitare domos, & rura soletis,
(Namque Deæ vos estis, & omnia vos quoque nostris:
Vix famam obscuram, nomenque audivimus ipsi)
Dicite qui maris errores, cœlique retexit
Primus, & optato potuit succedere portu,
Atque ostensa Deùm auxilia, & lata munera nautis.
Nam nisi, Olympiades Musæ, Jovis aurea proles
Ægiochi, vestro inspiretis numine Vatem,
Haud equidem dicam tantarum exordia rerum.
Ergo agite, & veterem revocate ab origine famam,
Nisi Fabula, & maris errores detecti. Vir fuit, ut fama est, Beroè Sebethide Nympha
Cretus, Neptuno puerum quæ juncta sub antro
Herculeæ rupis concepit, & intulit auris.
Niso nomen erat, qui patria regna secutus,
Conclusum ratibus sulcabat Nerea, & altum
Ægæum: sed sæpè alias dilapsus in oras,
Quam rate quas primùm clavoque petiverat, & se
Inscius incautum, & socios culpabat inertes,
Ac malè perspecto fallacia sydera cœlo.
Hic quondam vitrei Sebethi ad fluminis undas

Se-

Sederat, & triſtes volvebat pectore curas,
Cùm gnatum miſerata parens Dea, fluminis alveo
Affuit auxilium Niſo latura; ſed omnem
Divinam occuluit ſpeciem, vultusque verendos.
Mortalem in formam ſeſe induit: aurea virgo
Emerſit fluvio, viridique crepidine ripæ
Aſtitit, & forma Niſo pulcherrima viſa eſt.
Qualis pulchra Hyale cœtu comitata ſororum,
Cùm Prochyten curſu, maternaque regna pererrat
Ænariæ, gaudetque fuga prævertere cervum
Venatrix, jaculoque leves transfigere damas.
Namque Dea ex humero pictum ſuſpenderat arcum,
Et flavos dederat vento diffundere crines,
Purpureis formoſa genis, & candida mammas.
Ut triſtem aſpexit natum Dea, voce locuta,
Sic ait: O juvenis, quænam tibi cauſa doloris?
Fare age: quandoquidem demiſſo pallidus ore
Triſtitiæ indicium color eſt: cui talia contrà
Niſus ait: Fortuna mihi contraria ſemper,
O Dea (tu certe ſacri Dea fluminis una es:
Nam neque mortalis tantùm ſe tollere forma
Ulla poteſt: tanta nec majeſtate videri)
Quæſitos numquam veniunt mea carbaſa portus:
Fallaces mihi ſtellæ ſunt, & cortice pictus
Ipſe etiam mundus fallax: mare, curſus, & auræ
Fallaces: ars nulla mihi, experientia nulla
Profuit: indeprenſus aquis latet error in altis.
Tunc Dea ſic Niſo, & curas ſolatur amaras:
Eſt hìc, antiquum quæ ſervat ab Hercule nomen
Inſula, quò Glaucus recipit ſe feſſus ab undis
Cùm venit, & ſtratus recubat per litora paſtor;
Namque ſenex Nerei paſcit vaſtiſſima cete,
Squamigerosque greges ſub gurgite: & omnia ponti
Per liquidos campos paſtorem armenta ſequuntur,
Hic cauſſas rerum arcanas, venturaque novit;
Nam Deus, & Vates. Glaucus tibi, nauta, rogandus
Supplicibus donis: mitis nam numine Glaucus.
Ille nec inſidiis capiendus, ut horridus ore
Proteus immani, qui ſe in miracula rerum
Omnia transformat, ferus, hiſpidus: ille tibi rem
Pandet, & errorum cauſſas monſtrabit, & omnes
Occultas maris ambages canet. Ergò ubi Titan
Egerit in medium currus ſublimis Olympi,
Cùm nigrum Æthiopem, & Garamantem fervor adurit.
Et ſitiunt campis ſegetes, & florea in hortis

Niſus à Boroè matre ad Glaucum, oracula ſcitatum mittitur.

Gens squallet, tenuesque fluunt per flumina lymphæ,
I tu, nauta, duo spumanti pocula lacte,
Et Surrentino duo pocula plena Lyæo,
Dona ferens; nam mitis amat sibi talia Glaucus
Dona geri: vacuo fessus tunc ille sub antro
Dat placidum membris somnum. Neptunia monstra
Litoribus passim prostrata, & fusa per herbam
(Nam cùm sopitus somno jacet ille per antrum,
Sopitæque jacent passim per litora Phocæ)
Ne timeas. Hæc illa dedit, liquidasque sub undas
Descendit, diaque simul sub luce reluxit,
Et circùm suaves spiravit vertice odores:
Veraque descendens patuit Dea; ille ubi matrem
Aspexit Beroen descendere fluminis alveo,
Hac voce insequitur, questusque ad sydera jactat;
Tu quoque crudelis falsa ab imagine formæ
Me ludis, dulcesque negas mihi cernere vultus?
Cur prohibes gnatum dextræ conjungere dextram?
Et te complecti, & teneris dare dulcia labris
Oscula? te ne tui cœpere oblivia Nisi?
Talibus incusat genitricem, & litora gressu
Nota petit. Medium cœli conscenderat axem
Phœbus, & arebant nemora, & sitientia prata,
Et pelago fluctus torpebant, cùm sua Nisus
Dona ferens Glauco celeri vada salsa phaselo
Scindit, & Herculeæ vicina in litora rupis
Flectit iter: scopulo Nisus jam proximus ibat,
Undique cùm vidit prostratas litore Phocas,
Immanesque Orcas dulcem captare quietem.
At Glaucus gelido rupis resupinus in antro
Serpentem primùm per mollia membra soporem
Carpebat; prostrata solo Neptunia monstra
Ut propè conspexit, stetit, horruit: & quid agendum
Inscius inquirit secum. Dea flumine ab alto
Affuit, & medio visa est in gurgite, qualis
Nerine Galatea, Thoëque, aut cærula Clotho,
Cæsariem diffusa levem per candida colla,
Et niveos nudata humeros, nudata papillas.
Atque hæc Niso effata dedit: Neptunia monstra
Ne timeas, ò nauta, vides quæ litore in illo;
Nam somno sopita jacent; mox illa carinam
Impulit in litus; casuque audacior ipso
Egreditur Nisus, tacitusque incedit in antrum.
Utque antro propiùs succedit, conspicit ipsum
Tollere se Glaucum: supplex citò munera Nisus

Ob-

Obtulit, & multa pastorem voce precatur.
Glauce pater, qui monstra regis Neptunia, & udos
Per vada lata greges, tibi sunt mitissima quando
Pectora; non humilesque preces, non munera spernis,
Tu nostri miserere: mihi da noscere caussas
Errorum, pelagi quò tutiùs invia lustrem
Æquora, & optatum teneant mea carbasa litus.
Tunc ille: ò juvenis confidentissime nostri
Quæ Dea te jussit properare ad litora regni,
Arcana in dubiis quæsitum oracula rebus,
Novi equidem: formosa mihi jam cognita Nympha est.
Accipe nunc, penitusque animo mea dicta reconde,
Pauca tibi è multis: series longissima, longæ
Ambages, variusque error: fastigia rerum
Summa sequar, ratibus quo tutiùs ire per altum
Possis, quæsitosque sinus, portusque subintres.
Herculis irrumpens angusta per ostia pontus
Vi magna Libyæ trans litora concitus undis
Fertur in Eoum, terrasque interfluit omnes.
Hinc ubi palmiferæ in litus defluxit Idumes,
Phœnices petit ascendens, ferturque sub Arcton.
Inde iterum saliens undantia lora retorquet
Occiduum in Solem, cursumque per Asida tendit,
Hinc secat Europam; fracto jam mitior æstu.
Ut resilit, luctante solo, pila concita retrò;
Atque repercussum liquido volat aëre telum
Lentiùs. Herculeas tandem se sistit ad oras.
Hinc vagus (1) error aquis: veniens vi pontus aquarum
Transversùm puppes agit incitus: inde carinæ
Atque alium in portum, atque aliam vertuntur ad oram.
Prætereà est etiam (2) fallax acus ipsa, nivalem
Non

Primus error, è motu maris in Oriéntem, & inde in Occidentem,

Secundus à Magnetis vertigine.

(1) Primus error navigationis ortus ex motu maris ex Gaditano freto irrumpentis (*la Corrente*, Itali appellant) qui sensim naves in transversum agit. (2) Error alter oritur ex declinatione Magnetis, qui non semper in Boreum Mundi polum vergit; alibi enim in Græcum deflectit, *Grecheggia* nostri dicunt; alibi verò in Magistrum sese agit *Maestraleggia*. Hoc autem plus, minus pro varietate locorum: in paucis verò Mundi partibus nullam habet declinationem: celeberrima loca sunt, Insulæ, quas *Terzeras* Hispani dicunt, Africæ promontorium, quod ultra Bonæspei promontorium est, illudque vocant *Capo dell'Agughe*. Tertius locus est apud Seres in urbem, quam *Cantonem* indigitant.

Non ſemper tremula cum cuſpide reſpicit Arcton.
Syderis illa vago nimium torquetur amore:
Diverſiſque locis varia eſt fallacia gemmæ.
Hìc petit illa polos, & cuſpide figit acuta:
Hìc celerans iter ad dextram ruit incita partem:
Hìc verò ad levam: minus hìc fugit, at magis illic,
Nec certis errat ſpatiis, nec legibus iiſdem
In lævam, dextramque plagam ſe vertit in orbem;
Fluctuat incertis erroribus, & loca mutat
Sæpè. Adeò longo variari tempore poſſunt
Res cunctæ, verſæque alium ſervare tenorem.
Mira hæc, Niſe, vagus forſan furor inditus aſtris,
Et vagus eſt lapidi ſuus ardor: & inter amantes
An quia nil firmum, nihil eſt durabile ſemper;
Aut occulta latet gremio vis abdita terræ,
Quæ ſociam flectat mentem, retrahatque, feratque:
Hæc tu dum vacuo deprenſus litore nimbis,
Non optata trahes alto procul otia ponto,
Veſtigia, & cauſſas rerum meditare latentes.

Sed varium nigræ errorem perquirere gemmæ
Difficile eſt: hac arte tamen venaberis illum.
E ligno facies, aut cupro, Niſe, tabellam,
Et planam, & lævem, mediaque in nave locabis
Libratam in longo tripoda, quæ vertice ſummo
Sic Finitori reſpondeat, undique ab illo
Æquali ut diſtet ſpatio: mox circinus orbem
Deſcribat tabula in media, centroque rotundum
Fige ſtylum; ſuperis qui ſe rectiſſimus auris
Inſerat è centro, tabulæque impone politæ
Pyxidis orbiculum: ſummo cùm proximus ibit
Vertice Sol, orbemque ſtyli luſtraverit umbra,
Punctum, Niſe, nota in circo: poſt tempore longo,
Ardenti Phœbus cùm jam deſcendit Olympo,
Rurſus & umbra ſtyli circùm perluſtrat eundem,
Tunc opus extremos apices ſignarier umbræ.
Hinc poſtquam in partes geminas diviſeris arcum,
Linea per centrum, & medium quæ ducitur arcus,
Illa erit, immoto Mundi quæ congruit axi:
Atque erit hæc medii tibi linea vera diei.
Quantùm ex hac acus effugiet, dextraque, ſiniſtraque,
Illius tunc tantus erit tibi cognitus error.
Sed quia difficile eſt medio conſiſtere ponto
Libratam fulcro tabulam tibi dextera filum
Suſpenſum teneat, rectà quod tendat ad imum
Ære grave; & puro objectum cum pyxide Soli

Quomodò inquirenda Magnetis vertigo.

Modus alter.

Sic

Sic moveas circùm dextra, levaque ferendo,
Projecta ut medium vaga diffecet umbra rotundæ
Pyxidis: atque umbræ punctum fignare memento
Extremo in circo: partes ubi Phœbus easdem
Attigerit, (partes radio, aut fextante notabis)
Sedulus hoc itera, punctumque in margine figna.
Divide mox arcum: mediæ tibi cognita lucis
Linea, & hinc trepidæ rurfus vertigo fagittæ.
At fi purpureo cufpis fe vertit Eoo,
Illam gemma plagam fpectabit, & agnitus error:
At verò occiduum in Solem fi cufpis abibit,
Tunc ille Hefperiam in partem, Caurumque recedet.
Infuper his, (1) fallax fitus ipfe, habitusq; locorum eft
Orbe in picto: hominum quamquam folertia fumma
Aftra notare polo, radioque notata referre,
Altior hinc Creta, & longè promota fub Arcton,
Et Rhodos, & Cyprus jacet altior, atque Cythera:
Ipfa etiam furgit Pharos altior, altus & ipfe
Flumine fepteno Nilus, divesque Canopus.
Quæ cùm fic habeant fefe: (tibi dicere pauca
E multis cupio) curvo de litore funem
Cùm (2) Galatæ folves longè venturus ad urbem,
Cui (3) Sabathræ nomen fecerunt, elige dextram
Puppe plagam, & rectà tepidum ne curre fub Auftrum.
At fi Sardoo venias de litore tutos
In Drepani portus, partem percurre finiftram;
Si redeas, lævam pete, Nife, & gurgitis æftus
Non tua quæfito propellet carbafa portu.
Cùm Melita ex humili centum petis urbibus olim
Infignem Cretam, lævas deflectere ad undas
Cura tibi multa. At Veneri dilecta (4) Cythera
Si luftranda mari in magno, ne cortice mundus,
Ne tendas, quà monftrat iter, fed Solis ad Ortum
Rectà cæruleum fulcabis Nerea roftro.
Si Cypro quærenda Pharos, litusque Canopi,
Bis fenas læva partes deflecte carinam.

Tertius error ex falfo fitu locorum in Mappis defcripto.

Quomodò inter navigandum corrigendi errores.

Ve-

(1) Tertius error ex vitio Mapparum Geographicarum, in quibus non funt veræ latitudines, ac longitudines locorum notatę: modus aurem inveniendæ veræ latitudinis, longitudinisque, tradetur Libro 7. (2) Infula Africi maris *Galata*. (3) Tripolis vetus, cujus vix ruinæ extant: eft tamen opportuna navibus ftatio. (4) Infula inter Peloponnefum, & Cretam, *Cerigo*.

Verùm si cursum celeras, cùm ditia Nilus
Rura beat, latèque optato mergitur omnis
Diluvio Ægyptus, (1) plus læva flectere puppes
Nitere: sub dextram verò tu dirige cursum,
Si Tyrios Cypro contendis, & altus (2) Orontes,
Aut Tripolis lustranda tibi, Cythereja regna
Litore ab (3) Attalico si sint tibi, Nise, petenda,
Tende iter ad dextram, sic & cùm gurgite vasto
Attaliam petis è Cypro: verùm omnia longum est
Percensere; tibi experientia multa locorum,
Verus & è cœlo situs agnitus, & maris usus,
Atque acti toties monstrabunt cætera cursus.
Hæc dedit, & concham inflavit, qua protinus omnes
Exiluere feræ, tumidumque ivere sub æquor.
Ultimus ipse caput liquido Deus æquore mersit;
Et vitreas egit spumosa armenta per undas.



NAU-

(1) Nam propter velocem exonerantis se fluvii motum fortior est maris impetus, ac violentiùs puppes agit in transversum. (2) Attalia urbs Pamphyliæ, *Satalia*.

(3) Fluvius Syriæ juxtà Antiochiam; non longè est Alexandria Syriæ *Alesandretta*, celebre nunc emporium.



NAUTICORUM
LIBER QUINTUS.

SEd jam me patrii per litora nota phaseli,
Tyrrhenique vocant fluctus, fluctusque Sicani,
Ac longè applaudunt Ligures: juvat ire per undas
Euboicos ultrà fines, & amœna secundùm
Litora, & ingenio paulùm indulgere paterno.
Hic patriæ debetur honos: nec erit labor iste
Non gratus nautis, nec Vati inglorius. At tu,
O decus, ò nostræ meritò tutela carinæ,
CARDENIDE, hos etiam tenues ne despice lusus;
Quandoquidem exiguis sæpè est sua gratia rebus.
Non semper magnis sulcandum navibus æquor — Litoralis navigatio quam sit amœna.
Trans terras, mare quà patet undique, & undique cœlum,
Arbitrio ventorum, & agentis singula Sortis.
Interdùm licet & pictis vada findere lembis,
Ac lætos celeri colles transmittere cursu.
Salsa pererranti semper fuit illa voluptas
Blanda mihi, ut molles una hinc cita pasmula ripas
Stringeret, & placidos hinc scinderet altera fluctus,
Ergo age, velocem mecum conscende phaselum,
Dum puri fulgent Soles, & leniter undas
Optatæ intendunt auræ, procul en vaga Lai
Flumina te nunc compellant, sceptrisque superba
Regna tuis: læto responsant murmure fontes,
Et plausum ingeminant valles, collesque supini:
Nereidasque inter tibi jam præit æmula Doris.
In primis quicumque levi sulcare phaselo. — Principio Pubis delectus habendus est.
Aut Tyrrhena paras felicia cærula ponti,

Aut longè Ligures, Hetruscaque litora quæris,
Cura tibi insignem, fortissima robora, pubem
Eligere: egregiam sed quæ det terra juventam,
Accipe. Robustos primùm tibi patria Siren
Sufficiet juvenes sulcandis fluctibus aptos,
Quos timidos numquam, numquam experieris inertes;
In casus quoscumque vocet Fortuna sinistros;
Qui præstantiores sint. Audaces veniunt, & dura pericula temnunt.
Ipsa etiam mittet pubem tibi Lubra valentem,
Quæ fluctus secet, atque ingenti quæ pede lembum
Presset ovans, cursumque citet generosa per undas.
Hisque pares etiam juvenes tibi molle ministrat
Surrentum: melior sed quæ (1) campestria pubes
Rura tenet: paribus vidi certare lacertis
Surrenti egregiam pubem, pubemque Minervæ,
Cùm Surrentino de litore fortè (2) redibam
Parthenopen. Prochytæ fortes ne despice, rector,
Nec quos Euplææ juvenes, & Olympia nutrit:
Ac qui clara tenent Romano Consule (3) saxa.
Non multùm Ænariæ gentem, gentemque Dicarchi
Laudarim: non ipsa suos mihi jactet Amalphis,
Sint quamquam magnis ducendis navibus apti,
Et mores norint ventorum, & sydera cœli.
Æquensis neque det Vicus, Stabiæque vetustæ:
Nec Tellus Sicana suos, nec Brettia mittat;
Quippe apti remo non sunt, velisque regendis.
Rheginos tamen haud ausim contemnere nautas,
Nec duri vicina colunt qui litora (4) Orestis;
Solertes quondam expertus, cùm flava Simethi
Flumina, & apricis legerem sub collibus Hyblam,
Ortygiæ (5) sedem, & Siculi monimenta magistri,
Ac vitreos rauci fontes visurus (6) Anapi.

Hinc ubi legisti generosam ab litore pubem,

Et

(1) Vicus Surrenti, vulgò *il Piano di Sorrento.*

(2) Post autumnale otium ex Villa *Josephi Guardati* viri ornatissimi, qui domi suæ, quæ amœno in colle ad mare sita est, unde pulcherrimus Crateris totius Neapolim usque prospectus patet, me lauto, ac geniali convivio exhilaraverat. (3) Capreæ Tiberii intemperantia celebres.

(4) Ubi nunc oppida (*Palma*, & *Bagnara*).

(5) Insula, olim Syracusarum, nunc illam urbs occupat.

(6) Fluvius, qui in magnum portum se exonerat, olim per urbem, nunc altero ab urbe lapide interfluit.

Et jam clara dies nitido surrexit olympo,
Postquam Luna novo per cœlum lucida cornu
Fulserit, & lenes crepitanti murmure venti
Vela vocant, Palinure, cavam da fluctibus alnum,
Nec sine purpureos frustrà decedere Soles:
I celer, & caussas ne longùm innecte morandi;
Ne te solicitus comprendat turbine nimbus.
 At verò ex udis cùm solvis vincula ripis,
Et jam Sirenis de litore strata per alta
Carpis iter læto magnam clamore saluta
Reginam Superùm, curvo cui plurima portu
Assurgunt delubra, piis solemnia votis,
Ac veteri sacra cultu, & relligione parentum;
Quæque regit ventos, & vastis præsidet undis:
Illa dabit faciles auras, cursusque secundos.

Virgo parens primum colenda.

 Mox ubi Sithonii felici flamine vela
Implerunt Boreæ, volitatque per æquora puppis,
Invigilet velo pubes, versetque rudentes:
Ipse gubernaclum solers moderare, magister,
Quò cœpti cursus, optataque flamina ducunt:
Objectique vocant viridi de vertice colles;
Namque tibi nec opus tornatæ pyxidis usus,
Nec nivea pictum membrana ediscere mundum:
Litus ama, & bibulas tibi palmula radat arenas.
Vitiferi colles, & summa cacumina montis
Pyxis erunt, propriaque tibi sub imagine Mundus.
Quas fugias cautes, quæ saxa latentia fluctu
Evites, quæ fida petas & litora dicet.
Non tibi suadebo longè tentare profundum,
Ac fragili immensum pelagi percurrere lembo
Æquor in abruptum. Sed si fiducia tantâ
Pectus habet, pontique altum sulcare necesse est,
Pyxida tunc, Palinure, & pictum consule mundum.
 Vidi ego, qui regis jussu, dum bella negabant
Gallica veloci transmittere litora lembo,
Ausus per medias conclusæ Tethyos undas
Litore ab Hesperio sepostos quærere Iberos,
Exiguo fretus ligno; fluctusque sonantes,
Atque æstus pelagi, rapidosque lacessere ventos.
Felici hinc lætus successu, ausoque potitus,
Ausus in Jonium descendere, & ire per undas
Ægæas: tenuitque mari, cœloque remenso,
Litora Minois quondam regnata tyrannis
Victor, & Eoi lustravit regna rubentis.
 Talia quid memoro? levis hæc audacia nautæ

Audax Navarchus qui per Jonium in Cretam navigabat.

Euboici. Quondam confidentiſſimus unus,
Atque homines inter fortunatiſſimus omnes
Lyſiadùm ſatus antiqua de gente (1) Magiſter
Auroræ ſub ſede fuit, qui primus ad Indis

Audaciſſimum Botelli factum, qui ex India in Europâ lembo navigavit.

Ut captæ (2) Baraces Europam nuncius iret
Lyſiadùm ad regem, & meritò ſibi quæreret uni
Egregias laudes, & munera divitis auri,
Exiguo ingentes auſus ſubmittere lembo
Oceani fluctus, monteſque irrumpere aquarum:
Atque altum Acronoton, crebriſque impervia nimbis
Æquora Cafrorum, & diras ſuperare procellas.
Certa fides facti, quamquam vix ipſa meretur
Fama fidem. Pulchræ ſed quid non laudis amore
Mortales audent, aurique cupidine cœca?
Sed favit fortuna viro: favere quieti
Oceani fluctus, ventique in vela ſecundi;
Seu generoſa hominis mirati pectora, & auſa:
Sive illos animi, factique audacia fregit.
Ipſa ſed alatam jactet non amplius Argo,
Nec mihi magnanimum commendet Græcia Tiphyn,
Et ſocios canat heroas, tollatque ſub aſtra.
Hìc meritò lembus cœlo donandus, & ipſam
Supra Argo, Mundique patet quà plurimus axis,
Fulgeat, alterius ſemper Cynoſura Profundi.
At te ne audacis ſtimulet Fortuna magiſtri,
Et nunquam tanti teneat fiducia facti;
Nam rari caſus: rara hinc exempla petantur.
Sunt multi, quorum minor eſt audacia, & arti
Confidunt magis, & magnis eſt viribus uſus:
Hi ſæpè æſtate in media, dum cærula paſſim,
Aut tranquilla ſilent, aut leni murmure aguntur,
Teleboùm de rupe, dies dum candida cœlo
Emicat, aut primam ſub noctem lucida cornu
Cùm ſurgit nova Luna, mari ſe mittere aperto

Au-

(1) Fuit hic *Jacobus Botellius* vir ſtrenuus, & maritimæ ſcientiæ laude florentiſſimus, qui ut apud Joannem Regem inſigni documento fidem ſuam probaret, facinus omnium, quotquot fuere, memorabiliſſimum auſus eſt: parva biremi pedes octodecim longa, lata verò ſex, per Oceanum iter in Europam aggreſſus, ut conditæ ad Dium arcis (quam Inſulam mox totam Luſitani occuparunt) nuncium regi optatiſſimum ferret. (2) Inſula, & urbs in India intra Gangem, ſita in ſinu Barygazeno, *Golfo di Cambaya*, ab Indis *Diu* appellata.

Audent: & celeri curſu, velut acta ſagitta,
Tyrrheni ſulcant medium, curſuque ſecundo
Nota Panormææ contingunt litora terræ.
Hos ego non auſim audaces damnare magiſtros:
Sed neque laudarim, infidas nam currimus undas:
Tuta nec eſt nobis, Zephyris ſpirantibus, æſtas.
Sæpè ſerenato dum lumine fulget Olympus,
Et Doris pacata ſilet, ſeſe ilicet atræ
Effundunt cœlo nubes, & ſydera texunt;
Ac ſubito rapidi incumbunt ſtridore (1) Tropæi,
Momento quibus è fundo ſubvertitur imo
Oceanus: fluctusque ruunt transverſa furentes.
 Verùm age, non id te lateat, ſi fortè per altum
Carpis iter, rectoque petis temone Panormum;
Vicinam pete tu primùm Neſida phaſelo,
Vel juga Miſeni, Prochytęque virentia ſaxa:
Libonotum hinc verſus contende, & flantibus auris,
Remigioque vola: dextramque ſecare memento
Puppe plagam, ſenſimque undas ſuperare ruentes;
Ne te transversùm venientum curſus aquarum
Paulatim abripiat, pellatque (2) Soluntis ad oras,
Aut ubi dividuo ſe miſcet flumine ponto
Himera (3), & hinc perdit, hinc & tenet unda ſaporem.
Ipſa ſed ad lævam longè deſerta colonis
Uſtica (4) prætereat, quàm tu tranſmittere curſu
Nocte ſub obſcura ſemper, Palinure, memento;
Nam ſe piratæ deſerto in litore condunt,
Et ſæpè incautos deprendunt gurgite nautas.
Cùm verò è Sicula remeas Tellure, repoſtos
Trans (5) Erctam perquire ſinus: hinc inde ſub Arcton,
Qui

Quid cum per Tyrrhenum recta in Siciliam iter intenditur.

(1) Venti, qui ſæpè æſtate è terra repentino turbine exurgunt, & tunc apogæi vocantur: mox è mari in terram iterum redeunt, & tropæi appellantur: violenti ſunt, & mare momento ſubvertunt, vix in occaſum durant: qui quidem frequentes in Tyrrheno mari bacchantur.

(2) Promontorium inter Himeram, & Panormum, ubi olim urbs erat, vulgò *Solanto*. (3) Fluvius. & urbs in Septentrionali Siciliæ latere Panormo diſſita orientem verſus XXIV. mil. paſſ. *Termini*. (4) Inſula Tyrrheni maris propè Siciliæ litora: eſt & mons Italiæ cùm penultimam producit, *Uſtica*. (5) Mons quarto lapide Panormo diſſitus, in quo olim Caſtellum, vulgò *Monte Pellegrino* ad radices opportuna navibus ſtatio eſt: Siculi *Mondello* indigitant.

Quà gelidis ſpirat ventus de rupibus Æmi,
Flecte viam velis, remoque, & cærula ſulca.
At ſenſim in ſeptem clavum torquere Triones
Contendas, humiles donec rareſcere montes
Teleboùm ſpectes, hinc & ſacra culmina Lubræ.
At ſi me curſum dubias auctore per undas
Inſtituis, patriasque velis remeare ſub oras,
Tutior in Siciliam curſus. Ne maris exiguo tentare pericula ligno,
Ne cupias: medios currant ingentia fluctus
Navigia, & vento credant vela ampla furenti;
Tu numquam è noto diſcedas litore: & illud
Neve oculos fugiat: tuta hæc Cynoſura ſecundum
Viſa regat curſum, & ſurgentia flamina monſtret.
Ergo, Panormæas curſu cùm tendis ad oras;
Et quomodò inſtituendus. Leucoſiam (1) primùm Pæſtana per æquora quære:
Perque ſinum cœlo medium percurre ſereno.
Nam tibi ſi dubio pendet ſub ſydere, tutum
Litus ama, & longo gyro lege litoris oram.
Lentus in ancipiti feſtina, navita, curſu.
Hinc ſale (2) Buxenti ſuperato, dirige clavum
In (3) Paticum, quò cùm perveneris, aſpice cœlum
Si conſtat, ſi certa mari pellacia ridet:
Quæ cùm ſic habeant ſeſe, canentia pande
Carbaſa, & Æoliis ſurgit quà (4) Strongyle ab undis,
Carpe fugam pelago, lævaque relinquere montem
Feſtina, & Liparæ tandem te vertere ad oram.
Hinc (5) Agathyrna ſuo venientem in litore cymbam
Accipiet: mox & transmittet ad uſque Panormum.
Verùm ſi Melitam, & terras tentare repoſtas
Et in Melitam. Fortè velis, litus primùm tu rade Sicanum,
Eoum ad Solem quod ſpectat, & alta Pachini
Saxa, ſinumque cavum, ſedemque immitis Ulyſſei.
Donec pacato accipiat te (6) Caucana portu,
Unde iter in Melitam breve panditur: aureus altos

Cùm

(1) Inſula ad extremum Pæſtani ſinus, *Golfo di Salerno*, ſic dicta de nomine unius ex tribus Sirenibus, quæ ex Græcia in Italiam navigarunt, vulgò dicitur *La Licoſa*.
(2) *Policaſtro*, ſic dictum à copia Buxi.
(3) Oppidum Calabriæ maritimum *Paola*, nota phaſelis ſtatio. (4) Una ex Æoliis à figura ſic appellata, eſt enim rotundus mons exiguæ magnitudinis, *Strongoli*.
(5) *Capo d'Orlando*, ubi quondam Agathyrna urbs.
(6) Olim portus, nunc ora, *Mulinazzo* incolæ appellant.

Cùm ſurgens roſei poſtes jam pulſat Olympi
Veſper, & occiduos vertit ſe Phœbus ad Indos,
Tende iter in noctem: & remis, ventisque vocatis,
In Libycum curvo flectas temone carinam;
Quippe ſub Auroram Melitæ laberis ad oras.

Quod ſi Sardoo circum reſonantia fluctu
Litora, Cyrnæasque petas trans Dorida Terras,
Expediam paucis. Tyrrheni litoris oram
Principio leges, ventisque in vela vocatis
Herculeum in portum venies: hinc indè per altum
Si tranquilla ſilent maria, aut felicibus auris
Arridet criſpata Thetis, ſecurus ad oras
Sardoas recto flectes temone carinam.
At dubii pendent ſi nimbi, hyemesque nivoſæ,
Iluam puppe pete, & vicinæ litora Cyrni.

Quomodò in Sardiniam inſtituenda navigatio.

Sunt qui, dum Cancri fervet ſub ſydere Titan,
In Prochyten primùm generoſo remige puppim
Impellunt: mox uda mari cum ſurgit ab alto
Nox, & ſubluſtres inducit Luna tenebras,
In libycum velo carpunt iter, aut vada tonſis
Solicitant, Calarisque petunt trans Nerea portum.
Hanc curtam ſi fortè viam, Palinure, ſecabis,
Obniti in Pelagus contrà, dextraque memento.

Verùm age, quæ ſtudia alatos agitare phaſelos
Arva per, & colles, & litora propter amœna,
Expediam, curſusque juvat meminiſſe peractos;
Nam ſic Italiæ felicia litora quondam,
Sicaniæque oram legi, rectore Melantho,
Ventorum, & cœli, tempeſtatumque peritus
Qui fuit, atque uſu longo verſatus in undis:
Incipiam: verum exemplo tu diſce laborem,

Jam cœlo Domitor præfulſerat Orionis,
Cùm (1) Bretti populos iterum luſtrare coactus,
Parthenopen linquo, & patriis feror exul ab oris
Quò Vati, & Muſis fatalia juſſa vocabant.
Oceani croceum linquens Aurora cubile,
Purpurea cùm luce diem referebat Olympo,
Cùm celerare moras magno clamore Melanthus
Juſſit, & invitis properare ad litora Muſis.
Haud mora, compoſitis rebus, jam faſce parato,
Me ſocii ad litus deducunt: hùc ubi ventum eſt,
Cùm lacrymis multis amplector, & ultima dico.

Vatis per Meridionalem Italiæ oram navigatio.

Vi-

(1) Fuit Herculis filii, à quo Brettii, quos alii Brutios appellant.

Amicis vale dicit.

Vivite felices gremio Sirenis amatæ,
O ſocii, nullum pelagi quibus æquor arandum:
Læta domi ſed parta quies, atque otia vobis:
Vos natale ſolum, vos cœli mollior aura
Dulcè fovent, Zephyrique canoro murmure mulcent;
Vos & Leucopetre, vos regum cognita (1) ſedes
Accipit interdum, vitreus quà fontibus humor
Labitur, & centum ludunt per culta Napææ:
Et vagus umbroſo veniens Sebethus ab antro
Allicit, & placidus ludit deus amne fluenti.
Hinc & Pauſilypi colles molliſſima præbent
Vobis hoſpitia, & felicibus otia Divis.
Vos Neſis, Prochyteque, & Olympia detinet ora;
Ora meis quondam ſtatio gratiſſima Muſis.
Otia, Pierides Muſæ, & mihi culta tot annis
Partenope dilecta vale, ſociique valete:
Me Calabri invitum rapiunt. Nec plura: viciſſim
Antiquum ſocii lacrymis teſtantur amorem,
Et mihi felices auras, curſusque precantur:
Quos inter primo pubeſcens flore juventæ,
Et virtute potens, & ſanguine clarus avito,
Flavus Alexander, mihi quo non charior alter:
Nec fuit, & Muſis, & Phœbo gratior alter:
Dignus Alexander Muſis, & Apolline dignus,
Rore madens multo geminas ad ſydera palmas
Suſtulit, & Superos humili cum voce precatus,
Hæc dedit: O Superi, ſi quicquam optare precando
Poſſumus, & multa veſtrum prece flectere Numen,
Sternite molle fretum, placidosque in carbaſa ventos
Mittite, & ardentes nimbis arcete procellas:
Ut tandem nullis per cærula caſibus acta,
Litoris extremi vertat ſe puppis ad oram.
At vos, Nereides, vos cætera turba Dearum,
Vitrea quæ colitis ſpumoſæ Doridos antra,
Felices, precor, ite duces, placidoque natatu
Pandite iter, veſtrumque, Deæ, ſervatæ poëtam,
Qui veſtra Oceani cantavit munera primus,
Primus & audaces duxit per cærula nautas.

Alumni ad Superos pro Vate preces.

Sed

(1) Nobiliſſima Neapolitanorum Regum Villa altero ab urbe lapide Orientem ſita: locus antiquitùs Doliolum vocabatur, nunc *Poggio reale* ab Alphonſo Calabriæ Duce Ferdinandi Primi ſilio amœniſſimis fontibus, hortisque, & ſuperbiſſimis ædificiis primùm exornatus.

Sed doctus cymbæ retinacula curva Melanthus
Immisit, terrisque abduxit fune soluto:
Arripiunt nautæ remos, atque æquora verrunt.
Mox, longè à terra ut ventum, fortissima pubes
Vela stetit factura: mari sed currit aperto
Puppis, & impressus fert impetus ipse volantem.
Ceu per inane volat fugiens lethalis arundo,
Quam Cressus duro ex arcu, vel barbarus egit
Threiicius. Verùm nautæ clamore secundo
Dant sensim velum in ventum, nè fortè ruentes
Obvertant subitæ latus auræ, & cærula puppis
Accipiat: tumuere sinus, volat incita velis
Prona petens maria, & cita dissecat æquora pinus.
Confestim velut è nido sublapsa columba
Radit iter liquidum, cœloque excurrit aperto.

Jam mihi spectanti longè Crateris ab alto
Urbs augusta, ingens, variis placidissima scenis
Panditur, & magno circùm curvata theatro
Versicolor, Phœbo primùm radiante, patescit:
Phœbeos velut ipsa sinu cùm roscida nubes
Accepit radios, circùmque remisit in arcum;
Extemplo curvata polo micat aurea summo
Thaumantis soboles, centumque coloribus ardet.
Omnis in obtutum nobis cadit aurea Siren
Parthenope, & latè colles qui rura coronant.
Læva Pausilypus, pulchris juga læta puellis,
Cernitur, & dextrà qui proximus (1) Antinianus
Undique lætam urbem lætis cum collibus ambit.
Herculeæ hinc cautes, & dictus ab Hercule (2) vicus,
Vicus odoriferis sylvarum cognitus umbris:
Et (3) Pompejanum, felicia litora Baccho,
Osci quæ quondam, & veteres tenuere Pelasgi.
Apparent & rura, vago quæ flumine (4) Sarnus
Irrigat, & viridi prætexit arundine ripas.
Et veteres Stabiæ, & crebris juga consita sylvis,
Ac Surrentini colles, quibus invidet altus
Massicus, & dulci Bromio lætissima Creta.
Quin, & Oliviferæ apparent delubra Minervæ.

Crateris per hypotiposin descriptio.

(1) Collis, qui proximè urbem ambit vulgò *Il Vomero*, in quo pagus est ab antiquo montis nomine dictus *Antignano*. (2) Herculanium, incolis *Torre del Greco*.
(3) *Torre della Nuntiata*.
(4) *Scafati*.

Regnaque (1) Teleboùm felicia: longiùs inde
Parte alia surgens turrito vertice Nesis
Spectatur mediis in fluctibus, atque Dicarchi
Aprici colles, atque ignibus horrida (2) Phlegra,
Miseni juga celsa, & olentes sulphure Bajæ,
Atque humilis dirum Prochyte sortita Mymanta:
Et quæ subjectum premit alta Typhoëa monte
Inarime (3) & circùm colles felicia læto
Uber alit centum vineta madentia Baccho.

At ratis intereà, Borea spirante, secabat
Æquor, olivifero cùm jam de colle Minervæ
Delubra, & nobis paulatim claustra patebant.
Hîc vigil intendit velo, clavoque magister;
Improvisus enim medio de cardine sæpè
Irruit Euroauster, & æquora túrbine vertit:
Et vertit velum irrumpens: tu, navita, cautus
Collige vela manu, cùm turbidus intonat Auster:
Nec ventum superare, & spumea cærula remis
Contendas: cursu vel proxima litora Lubræ,
Aut (4) Polli statio vicina in valle petatur.

Capreas transmittit, & Navarchi solertia.

At freta transvectus celeri cum puppe Melanthus,
Jam virides dextra Capreas, lævaque Minervæ
Saxa relinquebat, roseo cùm Phœbus Olympo
Pronus agebat iter, currumque urgebat ad Indos;
Tunc cecidit Boreas: demitti vela magister
Imperat, & molli luctari in gurgite tonsas.
Haud mora, demisso velo, maloque reposto
Ad latus arborea in furca, consurgere remis
Incipiunt nautæ, & celeres freta cærula sulcant.
Commisit puero clavum mox ipse Melanthus,
Arripuitque manu remum, sociosque lacessens
Diffindit maria: & socii superare magistrum

Con-

(1) Capreæ à Teleboo Pterelæ Regis filio, qui primus è Græcia in hanc Insulam navigavit. (2) Mons ignivomus non longè à Puteolis, *la Solfatara:* subjecti visuntur Phlegræi campi, ubi Hercules Gigantes domuit: hic olim Liberinus ager, cujus mira fertilitas ab antiquis commendatur. (3) *Ischia*, in qua altissimus mons Epopeus, cui Typhoeus subjectus est: hæc autem Insula una cum Prochyte, *Procita*, Pithecusæ dictæ fuerunt. (4) Sinus inter Surrentum, & Massam Lubrensem, in quo olim ad mare celeberrima fuit Pollii Felicis Villa: locum hunc corrupto vocabulo *Paolo* nautæ dicunt.

Contendunt: magnis, & cærula viribus urgent.
Ceu luctatores nudati corpora quando
Gramineis alacres exercent membra palæstris;
Vel quales, nacti caprum, cervumque bicornem,
Exuperant deserta, fame stimulante, leones.
Continuò adductis spumant freta versa lacertis,
Et cani apparent convulso in gurgite sulci.
Et jam Sirenum (1) scopulos provectus adibam,
Cùm roseas Titan nubes, aurumque relinquens,
Conditur Oceano; & bigis invecta serenis
Nox venit, humentique polos involuit in umbra.
Tunc rector: Quia blanda mari nox se intulit alto,
Remigio instemus, socii, cursuque petamus
Leucosiam: nobisque dati nunc temporis usus. Serenis noctibus navigandum.
Turpe serenatas pro somno perdere noctes.
Sic ait; & nautæ faciunt mandata magistri.
Proscindunt remis vada lenta; fugitque per undas,
Ceu fulmen, pelago subter spumante, phaselus.
Hinc, prima jam nocte polo constare sereno
Omnia cùm vidit, placidasque è collibus auras
Allapsas sensim increbrescere, vela secundum
Expandi in ventum citò jussit: & ipse virentem
Leucosiam contrà proram temone tetendit.
Intereà fessi placidam per transtra quietem
Carpebant sparsi nautæ: vigil ipse magister
Nocturnas agit excubias; Nam cura salutis
Cui commissa hominum, & vitæ spes dirigit unus, At rectori maximè tunc vigilandum est.
Non decet in dubiis concedere lumina somno:
Semper & in dubio res est, dum currimus æquor.
Jam (2) Silari, Zephyris spirantibus, ora legebat
Lembus, ubi multus gelido de flumine ventus
Sub noctem spirat, magna cùm voce Melanthus
Conclamat, Socii, ò vos, hic, velumque, rudentesque
Arripite: hic locus est (nec me sententia fallit,
Atque acti cursus, servataque sydera cœlo)
Creber ubi surgit Silari de flumine ventus.
Hæc ubi dicta: gravi increbrescere murmure ventus
Incœpit: nautæ surgunt clamore vocati:
Arripiunt, solvuntque citi, laxantque rudentes.
Ceu cùm sub noctem specula conclamat ab alta

(1) Tres Insulæ Pæstani sinus, *li Galli*.

(2) Fluvius Picentinorum *Selo* ab incolis dictus, in hunc se exonerat Tanager, cujus meminit Virgilius.

Custos arma vocans, dum primùm conspicit hostem
Mœnibus instantem, vallo & propiora tenentem.
Extemplo commissa quibus custodia turris,
Arma citi rapiunt, stipati & mœnia complent.

Vigilare Nautas noctu opus est: cum fluviorum ora, vel concava Vallium prænavigant.

Sic vigilem te, nauta, velim dum noctis in umbra
Puppibus ora legis fluviorum, aut concava vallis,
Quà subita in velum descendit fortior aura,
Quæ, nisi confestim velo des pronus habenam,
Invertet latus, & navis ruet acta sub æquor.

Vidi ego, Tyrrhenis quà se vagus inserit undis,
Et molles viridi convestit gramine ripas
Ocinarus, cœcæ noctis periisse sub umbra

Miserabile juvenis naufragium.

Egregium forma juvenum, quo pulchrior alter
Non fuit, atque atavis, opibusque potentior alter
Et gratus Musis, & Phœbo gratior ipsi.
Hic puer in sylvis primos transegerat annos
Agrestes inter divas, & Oreadas inter.
Hic modò per nemorum saltus, & confraga vallis
Veloces crebris agitabat cursibus apros;
Et modò per colles, sylvosaque culmina damas;
Atque agilis cursu fuit, indomitusque labore;
Acer equis: & sæpè per campestria circùm
Exercebat equos, pictisque ardebat in armis.
Illum & Hamadryades sylvis, & Oreades illum
Montibus, & comitem vitreis in fontibus illum
Najades optavere, & dilexere puellæ,
At puer infelix cùm jam pubescere cœpit
Major, & ingentes animos, & grandia facta
Concepit, jam laudis amans, læta otia ruris,
Et nemora alta Jovis liquit, saltusque beatos:
Atque deas sprevit nemorum, rurisque puellas.
Felix ille deas si non sprevisset agrestes;
Nam non irato sensisset numine Divos.
Ergo ubi tranquillo sub sydere navigat æquor,
Ac deses clavo sedet, incautusque magister,
Ocinari (1) demissus adest de flumine ventus:
Obvertitque ratem: proh Numina! mergitur undis
Infelix puer, & fato decedit acerbo.
Illum ipsæ cautes: illum vaga cærula flerunt;
Et Thetis, & Doris, cunctæ & flevere puellæ
Nereides; gemitusque cavo Deus edidit antro

Oci-

(1) Fluvius Brutiorum, qui propè Terinam interfluit, vulgò *Savato*.

Ocinarus, Manesque etiam ingemuere (1) Ligeæ.
Hìc neque transierim, quod non leviore notabis
Cura. Sæpè, cavis spirare è vallibus, aura,
Aut quam vicino descendere ducis ab amne,
Aut venit Illyricis è montibus, aut flat Eoo.
Quam tempestivè nisi tu deprenderis, illa
Paulatim in pelagus puppim propellet apertum.
Ut detur mox nulla tibi remeare potestas
In terram, quamvis frangatur remus in unda.
Sic olim medio periissem gurgite mersus,
Ni cautus senior dixisset nauta magistro;
(Vosque senes semper faciles audite, magistri)
Quid tardamus adhuc nos ò, lege vela; propinquo
Non hæc è fluvio ruit aura, aut Eurus ab Ortu
Vela implet veniens, aut Hellespontius hic est,
Nonne vides, ut crebra micent vaga sydera cœlo?
Montibus & summis strepitu nemora alta canoro
Quassa gemant, mediasque lacessant cærula cautes?
(Quæ venti spirantis erunt certissima signa)
Hæc ille: & velum collegimus ilicet: Euroque
Obluctari unà nautæ cœpere lacertis.
Et multo tandem conatu, & tempore longo
Vix notam attigimus vicini litoris oram.
At nos intereà ventus provexerat altos
Trans Silari lucos, & odora rosaria Pæsti,
Cùm matutino surgente à gurgite Phœbo,
Leucosiam spectamus; & alta cacumina longè
Alburni (1) apparent croceis ardentia flammis.
Hìc ventus velo immoritur: mora nulla, juventus
Vela legit: muto luctantur gurgite tonsæ.
Proxima Leucosiæ transmittitur ora phaselo:
Lucanumque solum legimus, collesque Velinos;
Hinc cautes, Palinure, tuas, portusque repostos,
Velocique fuga tranavimus ardua montis.
Et vix prærupto projecta è culmine saxa
Fugimus. Hìc senior specula (2) Palinurus ab alta
Saxa manu jacit implacabilis: æquora longè

Venti qui sint, accuratè notandum.

Vatis periculum ex ventorum ignorátia.

Palinuri fabella.

Puppe

---

(1) Altera ex Sirenibus, quæ in Italiam devectæ ex Gręcia fuere (tertia Parthenope est) quæ ad Ocinarum obiit, & sepulta est in Insula ad fluvii ostia sita, dicta Terinæus scopulus, *Pietra della nave*. (2) Mons iter Silarum, & Tanagrum, vulgò *Monte di Postiglione*.

(3) Prominens in mari mons, à Palinuro sic appellatus.

Puppe pete, & læva ſcopulos fuge, nauta, rigentes,
Ne te ſublimi petat ille à vertice ſaxis.
At legere alta velis ſi duri culmina montis,
Redde ſeni naulum, & ſupplex venerare magiſtrum.
Sed jam prærupti ſuperato vertice montis
Cùm plauſu, fremituque: ſiniſtras rector ad undas
Circumflectit iter, vicinaque litora curſu
Puppe petit: (melior quoniam pars acta diei)
Tunc lembo egredior primus, ſociique ſequuntur
Omnes florentes ætate, atque artibus omnes
Ingenuis: grati Phœbo, gratique Camœnis.
Amœniſſimi loci deſcriptio, ubi elegans Vatis cœnula.
Mox unà ad fontem contendimus. Eſt ſpecus altum
Scrupoſa ſub rupe patens, cui myrtea ſylva
Deſuper incumbit: medio de pumice manat
Mollis aqua, & nitidos inter fluit unda lapillos.
Hìc hilares cuncti in molli diſcumbimus herba;
Et menſam tenui cultu, dapibusque paramus
Litoreis: primùm erumpentem flore novello
Cauliculum pingui ſucco, laridoque vetuſto,
Et tenera elixum vitula libamus: & inde
Ingentem pipere, & conditum nectare capum,
Quem tenui Cerere incruſtaverat ante Britannus
Piſtor, odorato perfundens pulvere cruſtas.
Hinc geminos barba mullos, oſtroque nitentes,
Et rutilam auratam, & ſcombrum, ſargumque ſalignis
Aſſatum verubus, quos tunc de gurgite noſtri
Captarant juvenes, pelago dum retia mittunt.
Sed nativus adhuc color aſſis, & ſua forma,
Atque odor halabat ſcopulorum dulcis, ut ipſis
Dixiſſes etiam ſpirare in lancibus illos.
Inde pyrum læti, mitemque comedimus uvam.
Sed largis ſæpè in pateris feſti inter edendum
Campanum dulci Baccho libamus honorem.
Hinc omnes, poſtquam, menſæque, epulæque remotæ;
Fronde ſuper viridi, & ſub tegmine rupis opaco
Sternimur, & placida curamus membra quiete.
Mox brevis ut membris ſopor inſitus, ilicet omnes
Per Lucaniam navigatio.
Surgimus, & celerem conſcendimus inde phaſelum.
Proxima Lucanæ perſtringit palmula terræ
Litora: Projectas cautes, ſcopuloſque ſonantes
Radimus, & (1) Melphis transmittimus ora fluentis.

Jam-

(1) Fluvius Lucanorum inter Palinurum, & Buxentum, accolis etiam nunc *Melſa*, & *Melpa* dicitur.

Jamque humiles subeunt medias (1) Oenotrides undas,
Et sensim retrò fugiens Palinurus opaco
Vertice decedit: collesque, urbesque propinquæ
Prætereunt, celerique fugit vaga scena theatro.
Remigio intereà provecti (2) cærula Lai
Intramus: muris torpebat fluctibus æquor,
Et longè vix saxa, freto refluente, sonabant.
Ergo altas violamus aquas, & remige multo
Cærula Buxenti præter sinuosa volamus.
At tibi quid, Palinure, cava si ventus ab ora
In proram gelidis descendat plurimus auris,
Non ego prætercam tacitus. Resonantia propter
Litora, sub cólles, umbrosaque culmina sylvis
Stringe oram remis, & nisu flamina vince;
Subter enim colles crebrescit mitior aura.
Sed durare opus est ventum, multoque labore
Est tibi cærulea lentandus remus in unda.
At si succrescat violento murmure, retrò
Flecte viam velis, rapidoque obsistere vento
Ne certes; labor incassum cadet omnis, & ipsa
Nequicquam remo insudat generosa juventus.
Ergo tibi primùm cura majore notandum,
Si levis aura sinu submurmuret, an vada surgant
Spumea, & alati discindant aëra venti;
Quippè quies pelagi sæpè est tranquilla per oram,
Flamina ventorum quando latè acriùs altum
Invertunt violenta sinum, tolluntque sub astra.
Hoc quibus, & certis valeas cognoscere signis,
Accipe. Si nimio scintillent lumine stellæ,
Ventosæque alto densentur vertice nubes,
Aut penitùs summo crebrescant murmura ponto,
Tranquillo ne crede mari, cœloque sereno;
Namque sinu in medio ventus strepit, & vada spumant.
Sed me jam raucus venientis sibilus Austri.
Inceptique vocant per opaca silentia cursus.
Sylvarum, cœlique decus Latonia Virgo
Assurgens nivea lustrabat lampade terras,
Confestim gelidæ vicinis collibus auræ
Descendunt velumque vocant: dant carbasa nautæ:

Quid cum ventus à sinu perflat.

Im-

(1) Insulæ duæ *Pontia*, & *Ischia* ad ostia Haletis, vulgò *Halento*, ò *Fiume di Pisciotta*, est autem *Pisciotta* antiqua Velia, quæ & Elia dicta est, Patria Parmenidis, & Zenonis Pythagoreorum.

(2) Talaus sinus, *Golfo di Policastro*.

Implent & flabra sinus: fertur cita gurgite puppis.
Jam retrò viridem gemmato in vertice Aitam
Liquimus, & clari pariter monumenta (1) Draconis:
Hinc (2) Talai fontes, & aprico in colle (3) Carillas,
Muscosamque (4) Adamanta lego, (5) Blandamq; virentem,
Plurima lætus ubi sua munera jactat Jacchus.
Inde (6) urbem impostam scopuloso in vertice saxi,
Citria cui nomen fecere, atque ære potentem
Prætereo (7) Temesam, & delubrum in colle (8) Politæ.
Fortior hìc ventus spirare è vallibus altis
Incipit, & scissi spuma incandescere fluctus:
Nos tunc in lævam jussit succedere rector,
Quà ventus pulsabat aquas: sic pondere justo
Stat ratis obliqua, & facilis freta cærula sulcat.
Sic ego per dubias errare frequentiùs undas
Optarem: obliquas auras optate, magistri;
Rectum carpit iter obliqua per æquora puppis.
Nam cùm postico descendit murmure ventus
Et librata maris diffindit marmora pinus,
Improvisa latus vertit sæpè aura sub undas.
Tunc vigil in puppi retinacula curva gubernet
Rector, & intortus pertractet nauta rudentes.
Sed jam purpureos currus Aurora vehebat,
Cum tandem Patici ventus nos vexit ad oras.
Hìc fidos noto complexi litore amicos,
Numina (9) magna loci proni veneramur: & indè
Magnanimum viso (10) Heroem, prolemque beatam
Tot Spinelliadùm cretorum à sanguine regum:
Et te, Diva, meis (11) nunquam reticenda Camœnis,
O Isa-

Per Calabriæ litoralia navigatio.

Obliquior aura felicior.

---

(1) Sacellum unius ex Sociis Ulyssis. (2) Idem ac Laus, *Laino*. (3) *Cirella*, ex qua lætissima deferuntur vina.
(4) *Diamante*. (5) *Belvedere*, ex qua optima provenit uva passa: perque omnem Europam devehitur.
(6) *Cetraro*. (7) *Torre Loppa* vetustissimum oppidum, ex quo optimum æs, ut habet Homerus.
(8) Unius ex sociis Ulyssis. (9) Divum Franciscum Minimorum Parentem, cujus hoc in oppido, ex quo fuit oriundus, superbissimum extat Templum cum peramplo Cœnobio. (10) Joannem Baptistam Spinellum Fuscaldi Marchionem, Paticique Dominum, virum animo penè Regio, & gestis belli, domique clarissimum. (11) Marchionis filia, magniq; Comitis Altavillæ conjux, Matrona literis suprà sexum erudita, pietate verò, & moribus integerrima. Ab his sæpè Poëta humanissimè exceptus fuit, cum Thyrrenum navigaret.

O Isabella: sed, ah! diro quo turbine rerum
Te properè è nostris mors abstulit invida terris?
Certè equidem (nec vana fides) invidit Olympus
Te nobis: numerumque volens augere Dearum,
E terris tulit, & cœli super astra locavit.
Ergo poli quacumque sedes de parte sereni,
Aspice nos, Isabella, ratemque per alta guberna,
Atque meæ semper sis tu Cynosura carinæ.
Hinc postquam Dominos invisi, & numen amicum,
Digredior. Celsi legimus vada salsa (1) Lyciti,
Et gelidum retrò puppi tranavimus (2) amnem.
Hinc altis imposta jugis (3) Nepetia surgit,
Quondam Nympha maris, quæ Najadas inter oberrans
Infelix periit, Satyros dum casta petulcos,
Lascivumque fugit Panem: fluvioque sepulta est.
Nunc urbs antiquæ servat cognomina Nymphæ,
Vati dulce solum: primos hìc ille sub annos
Excoluit Musas, tenerosque instruxit ephebos.
Apricos læto colles clamore saluto:
Ingeminant nautæ plausus: ceu gurgite ab alto
Cùm puro aspiciunt venientem lumine Solem
Vocales modulantur aves: longè assonat Echo:
Plausuque assurgunt valles, collesque supini.
Hinc viridum (4) Linum, & (5) Tyllesia saxa relinquo,
Et Baccho lætam gemmato in colle (6) Terinam;
Ostiaque Ocinari legimus, tumulumque Ligeæ.
Hinc & vitiferos colles, & rura (7) Lameti,

Isabellæ Spinellæ Elogium.

Nepetiæ fabula, unde urbs, Vati olim sedes perquàm chara.

(1) Maritimum in colle oppidum *S. Lucito*. (2) Fluvius, & oppidum *Fiume freddo*. (3) Quæ & Clampetia; vetustissimum, ac nobile oppidum in colle situm ad Olivæ fluvii ripas, incolæ *Catocastro* vocant, eo quod subter castrum, quod urbi imminet, interfluat, urbs *Amantea* vulgò appellatur. (4) Promontorium ad Olivam amnem *Camolo*.

(5) Promontorium alterum, in quo urbs, & sylva ejusdem nominis *Capo di Corica* Calabri vocant. (6) Antiquum oppidum, cujus laudatissima sunt vina, est autem in amœnissimo colle vitibus consito extructum, *Nocera di Calabria*. (7) Fluvius, vernaculo sermone, *l' Amato*: est & promontorium Lametes, vulgò *Capo Suvaro*: inter promontorium, & fluvium oppidum est Lametus, sive Lametia, à fluvio dictum *Santa Eufemia*. Hæc autem urbs tota penitùs absorpta est in ultimo Calabriæ terræmotu: à prædicto fluvio appellatur ingens sinus Lametinus, *Golfo di S. Eufemia*.

Angitulæque (1) cito curſu vada flava ſecamus.
Mox (2) Laërtiadæ ſpeculam ſuperamus Ulyſſis,
Dives ubi quondam turritis mœnibus (3) Hippo,
Quam fortes coluere Locri: nunc tota ruinis
Merſa jacet, congeſta jacent ſimul horrida ſaxa.
Fata urbes, & regna trahunt: ſub mole caduca
Quid mirum miſeri ſi Fatis ducimur ipſi.
Prona coloratos jam lux vergebat ad Indos,
Cùm ſubitis tegitur denſatis nubibus aër,
Atque imo ſenſim è fundo maria atra tumeſcunt:
Igneus ipſe etiam flagrabat proximus alto
Sol pelago, inſtantis certiſſima ſigna procellæ:
Quo viſu puppim detorquet rector ad oram,
Proxima quæ tuta nobis ſtatione patebat.
Agmine remorum celeri freta turgida verrunt,
Solicitique fugam capiunt ad litora nautæ.
Ut, cùm terribilem deſcendere monte leonem
Aſpexere, fugam arripiunt per rura, coloni,
Et ſua vix ſummo veſtigia pulvere ponunt.
Alipedes facit ipſe timor: nec currere ceſſant,
Ni jam ſecuri procul evaſere periclum.
Seriùs heſterno poſtquam de fluctibus ortu
Emerſit veniens attrito Delia cornu,
Surgere nec ventos, diſcludi aut nubila cœlo
Aſpicimus: pendent nubes: ſilet æquor, & altum
Sylvani nemus, & cœlo intempeſta ruit nox.
Tunc rector pelago deduci è litore cymbam
Imperat: incipiunt nautæ parere parati.
Tunc ſic ingreſſus: Non ſi mihi Juppiter ipſe
Spondeat, hoc fluctus auſim percurrere cœlo.
Hic ſinus infamis, refugisque exæſtuat undis
Brettius (3) & duris denſatur cautibus ora.
Præterea (avertant deſtro Dii numine caſum)
Si nocte ruat è cœlo ſine more procella,
Quantus aget tum corda timor? majora pericla
Impendent noctu, & terrorem plurimus horror
Accumulat: pendent animi; & mens neſcia nutat.
Quid facias, curſuque petas quæ litora, neſcis.

Difficilis per Brettium ſinum navigatio nocte intempeſta.

Qua-

(1) *Angitola* fluvius. (2) Parvæ Inſulæ contra Vibonem.

(3) Sive Hipponium à Locris conditum: Romani Vibonem Valentiam appellarunt, *Monteleone.*

(4) Sive Brutius, qui à Brutio promontorio, *Capo Vaticano* Scyllæum uſque extenditur, *Golfo di Gioja.*

Qualis ubi nemorum per inhoſpita luſtra viator,
Cùm Lunam obtexit nimbus, pluviæque refuſæ
Deſcendere, viæ ſpatiis deprenſus iniquis,
Quæ vitet prærupta, petat quæ tegmina, neſcit.
Rector ad hæc: cautum toties ſervata Melanthum
Sydera non fallent, nec quæ tot curſibus actis
Nota mihi, crevitque uſu experientia longo.
Quot ſimiles vidi noctes, quibus æquore vaſto,
Inter & horrores, atque alta ſilentia cœli
Erravi. Dedit ipſa vias audacia primùm:
Succeſſu tutas inde experientia fecit.
Ire igitur placeat: tutus, mihi crede, poëta,
Curſus erit: verùm ſi pigri hac nocte taberna
Brettiorum infami; tetroque manebimus antro,
Heu miſeros! quot fœda dies domus iſta tenebit.
Nam cùm Phœbus equos aget æthere, concita nimbis
Spectabis maria, & longùm durare procellas.
Crede ſeni, multi florent cui vertice cani.
His dictis commotus, iter per cærula carpo.
Tunc rector cymbam dat fluctibus: ilicet omnes
Ex acta in puppim conſcendimus: haud mora, nautæ
Corripiunt mare ſolliciti: freta verſa lacertis
Deſpumant: medio prætervolat æquore linter.
Ipſe æſtum fugiens clavum deflexit ad oram
Trinacriæ rector: mediusque ſilentibus umbris
Brettius ære ſinus proſcinditur. Acta phaſelus
Jam propè Sicaniam nitidas radebat arenas,
Cautus ab excelſa tunc clamat puppe magiſter:
O, inhibete citi tonſas: mora nulla, juventus
Curſum inhibet remis, vertitque ad litora puppim.
Ipſe mihi tum rector ovans: Ars multa Melanthum,
Illum nec cœli experientia nota fefellit.
Hæc animis conde, ut venturos carmine nautas
Edoceas; (noſtræ nam te fecere poëtam
Nereides, viridi velantes tempora myrto)
Cùm Sol Oceano demergitur, aut vaga Phœbe
Nocte intempeſta tacitas agit æthere bigas
Exoriens, nec flare levi Notus incipit aura, Quando nocte in dubia tutus ſit curſus,
Nec mare rauciſonos urgere ad litora fluctus,
Tende iter in noctem: nullus ruet aëre nimbus:
At nunc in molli corpus ſternamus arena:
Nec tentemus aquas cœca ſub nocte Pelori.
Jam ferrugineos Aurora invexerat ortus,
Cùm tandem anguſti ſpectamus clauſtra Pelori.
Arripiunt nautæ remos: pelagoque volamus.

At mihi cernenti Siculi miracula ponti,
Mamertini Freti descriptio. Panditur insuetum scena in refluente theatrum:
Et majora quidem, quàm quæ vulgaverat olim
Fama patrum. Freta cœca maris fervere videmus,
Et bullire salum, & latè incandescere spumis.
Fervidus incandet curvo velut humor aheno,
Cùm subter virgis stridet crepitantibus ignis.
Sed certis fervere locis vehementiùs æquor
Aspicio, longoque albescere cærula tractu.
At læves medio fluctus, tractimque fluentes
Ocyùs ire: ratemque simul trahere æquora cerno.
Obstupui primùm: mox explorare latentes
Aggredior caussas: quas & meminisse juvabit.
Hesperiæ finem juxtà, Siculumque Pelorum,
Quà modico terras æstu secat unda revulsas,
(Nam, si vera canunt, quondam fuit utraque Tellus
Æstus Siculus. Una, sed ingenti mox terræ concita motu
Dissiluit: vapor è gremio Telluris ad auras
Erumpens tantam potuit fecisse ruinam)
Itque, reditque mare, & Lunaribus æstuat horis.
Cùm Luna Oceano emergit, turgescere pontus
Et quo tempore incipiat. Incipit, & magna fertur vi percitus, ipsa
Ascendens quò Luna trahit; nam fluctibus ille,
Seu genius, seu dirus amor, vel concita vis est,
Ut Luna veniente fluant, refluantque vicissim,
Dum fugit. In pratis veluti flos roscidus ille,
Heliotropii descriptio. Helio quem Graii Tropium cognomine dicunt,
Ut Solem mediis venientem aspexit ab undis,
Incipit inflecti in Solem, gyroque sequaci
Currentem cursu sequitur: mox inde reverti
Ut vidit, retrò devexo vertice cedit,
Orbibus assimilans Solaribus æmulus orbem.
Floribus ingenium est, virtutis & æmula virtus:
Ni veteres forsan Phœbi suspiret amores
Infelix Clytie, durumque sequatur amantem.
Oceano assurgens Phœbe vim concitat undis:
Agglomerantur aquæ paulatim; & gurgite pleno,
Jam mare turgescens ascendit ab usque Pachino:
Plemmyrium (1) secat undosum, (2) Tapsumque jacentem,
Fla-

(1) Syracusarum promontorium contra Ortygiam, *Massa d'Olivero*.

(2) *Isola delli Magniti*.

Flavaque prorumpens prætervolat ora Simethi.
Ast ubi (1) Cyclopum scopulos, (2) Acimque fluentem,
Præteriit, rapida vi fertur, & impete multo
Angusti saliens irrumpit claustra Pelori.
Hinc Scyllæa fluens per litora, perque (3) Metaurum
Irruit in (4) portum, qui servat ab Hercule nomen:
Sed sensim fugiens æstus languescit aquarum.
At postquam medii circum jam Luna diei
Descendens secuit, confestim concita retrò
Vertuntur maria, & refuga Thetis æstuat unda.
Cùm verò ad Manes descendit, cærula rursus
Ascendunt, refluuntque hinc & conversa sub Ortum
Dum properat, posito subsidunt gurgitis æstu.

Æstuantis Freti cursus.

Verùm quà Siculum Tellus Rhegina Pelorum
Spectat, & hinc Cænys surgit, (5) Neptunius illinc,
Est rapidus maris æstus, & ocyùs unda recursat.
Has inter terras fervescit gurgite passim,
Diversisque locis Nereus ebullit aquosus.

Est & Trinacriæ propè litus in æquore vortex
Horrendus, Graii quondam dixere Carybdim
Nomine, Cariophyllum appellavere Sicani;
Quippe illum gyro florem maris unda quieti
Exprimit: alato cùm turbine fervet Japyx,
In gyrum glomerantur aquæ: velut incita fertur
Axe super longo rota mobilis, & citus orbis
Vertitur in medio; per vorticis ora rotantur
Veloces cursu fluctus: ruit unda sub imum
Oceanum præceps, rapiturque voragine tetra.
Nam subtus terram, ut perhibent, Manesque profundos
Tenditur immensus per concava saxa meatus:
Illum trans Libyæ fines erumpere fundo
Oceani voluere, viasque secare latentes
Oceanum Eoum, fluctusque haurire Sicanos.

Charybdis quæ.

Æstus Mamertini varia caussa.

Sub-

(1) *Li Sparagliuni*. (2) *Jaci*.

(3) Geminus fluvius alter per Turianum *Seminara* fluit, accolis dictus *Fiume Marro*, alter per Medamam *Rosarno*, & appellatur *Mesuma*, *&* *Metrami*: in hoc, ajunt se lavisse Orestem, & sanam iterum mentem accepisse.

(4) Herculis portus, qui & Tropæa, sic vocatus, quia ubi ad illum pervenit Siculi maris æstus, revertitur, nec ultrà excurrit.

(5) Mons Messanæ imminens, *Colle de' Rizzi*.

Subter aquis (1) alii vastam consurgere rupem,
Rupis & in medio horrendum curvamine lato
Esse antrum dixere, sinuque patere capaci:
At verò rapidum contra prorumpere flumen
Litore ab adverso, ex ipsis radicibus Ætnæ
Immissum cæco loca per conclusa meatu:
Inque specus celeri cursu devolvier amnem.
Quò cùm spumoso venerunt impete fluctus,
Merguntur scissis in rupibus: inde retrorsum
Allisi redeunt vi multa, & protinus imo
Vorticibus circum rapidis tolluntur in altum.
Seu quoniam terræ cùm dissiluere revulsæ,
Altus ad infernos vi per loca concava Manes
Latè aditus circùm patuit, multusque dehiscit.
Cur Charybdis æstuat.
Hinc æstus pelagi, hinc immanis & illa Charybdis
Cùm Notus, aut Euri furit ira, aut sibilat atrox
Africus, horrendo implacabilis ore Charybdis
Æquor agit circùm, rapidosque voragine fluctus
Sorbet, & eructans iterum jaculatur ad astra:
Pontus at immenso jactatus turbine venti
Irruit, & crebros fert longè ad litora fluctus.
Verùm ubi vorticibus venit jam proximus, intus
Præcipiti lapsu descendit, & omnia circùm
Sorbet agens: veluti montano à vertice torrens
Veloci veniens devexa per avia cursu,
Obvius ut vasto occurit Telluris hiatu,
Mergitur, & præceps Manes ruit actus ad imos
Cum sonitu, latèque strepunt per confraga fluctus.
Si tibi chara salus, rapidam fuge, nauta, Charybdim;
Nam si sublapsus venies ubi vortice fervent
Æquora, nulla tibi dabitur fuga, nulla salutis
Spes ultrà: abreptam vortex trahet ilicet alnum.
Vidi ego (Dii Superi nautis arcete periclum)
Hisce oculis, inquam, torrentia flumina vidi,
Et monstrum horrendum Sicula sub rupe Charybdim
Ore dehiscentem, fluctusque sub ima trahentem.
Athanasius Kirchetius Mundi subterranei to. 1. lib. 2. c. 15.
At latus Italiæ dextrum, maris horrida virgo

Scylla

(1) Ita observatum ferunt ab egregio quodam Urinatore, dum Federici Regis jussu prope Carybdim urinat, ut auream pateram ab ipso Rege projectam è fundo educeret: huic Nicolao nomen erat à Prochyte oriundus, verum ob insignem urinandi artem cognomento Piscis vocabatur. De hoc plura in Halieuticis.

Scylla tenet, canibusque latrat succincta marinis. Scylla quæ.
Litore densantur cautes, penitùsque cavernis
Unda fremit, vocem sævorum imitata luporum.
Cùm pelago jactantur aquæ, tu cautus in altum
Carpe fugam: nam Scylla sinu complexa profundo
Discerpet, monstrisque dabit tua membra marinis.
Prætereà, mare dum refluit Sicana secundùm
Litora, præcipiti cursu tunc scandit ad oras
Italiæ pronum, ferturque rapacibus undis. Mira de æstu.
Est & Rhegino prætenta in litore villa Villæ Rheginæ descriptio.
Nacaris (1) antiquo Nymphæ de nomine dicta,
Læta situ aprico, & pulchris spatiosa viretis,
Mollemque ad Zephyrum, & Solem conversa cadentem:
Palladio è ludo quà fessi sæpè solemus
Quærere secessum Musis, atque otia læta.
Hinc æstus molitur aquæ primordia cursus,
Et Mamertini contendit in ostia portus:
Ut venit, allisus retrò ruit inde citato
Torrente, & medio despumant gurgite sulci. Æstus multiplex.
Alter at intereà per litora profluit æstus
In Cænym; hinc lævam tendit, litusque Sicanum.
Cùm fluit unda, brevis pelago via: nullus & alnos
Pontivagas agitare labor: cita cærula puppes
Ipsa ferunt; non remo opus est, non flamine. Collem
Qui viridem Cænys, spatiosaque rura Salicti,
Et Scyllæa (2) colunt qui litora, lintre cavata
Trinacriam nullis pulsantibus æquora remis,
Descendente mari, veniunt, redeuntque retrorsum,
Dum salit: imbelles pueri, innuptæque puellæ
Veloces agitant cymbas, fugiuntque per undas.
Non vada, nec rapidi formidant fluminis æstus,
Aspera quæque dies, longusque emolliit usus.
At si cùm refluit maris æstus, & unda recursat,
Obvius ire velis, frustra conabere tonsis,
Incassumque Noti descendent puppe secundi.
Sæpè rates medio hærentes in gurgite vidi, Sæpè hærent in æstu naves; & quid tunc agendum?
Cùm venti velum inflarent, velut aspera saxis
Stat rupes immota mari, ventosque lacessit:

Ceu

(1) Suburbanum rus Collegii Rhegini, *Nacareni* vulgus vocat. (2) *Lo Sciglio*, oppidum serico lanificio nobile: ex quo in Siciliam vel ipsæ mulieres sine remo, sed fluxu ferente veniunt, redeuntque.

Ceu ſtetit extemplo mediis in fluctibus alnus,
Cùm trabibus ſubter curvis Echeneis adhæſit.
Si fortè in rapidos ſpumoſæ Doridos æſtus
Turritæ inciderint naves, tunc ære canoro
Dant longè ſignum: Scyllæo ab litore rector
Accitus venit extemplo, immotasque carinas
Vorticibus trahit è mediis, pellitque periclum:
Multo illum nautæ ſervati munere donant.
Non ſecus è patria veniunt Tellure Britanni:
Britanni, in Belgium æſtu ferente navigant.
Æſtus ut Oceani refluit, dant puppibus undas,
Deſcenduntque mari refugo: mox concita retrò
Ut ſaliunt maria, è puppi demittitur alto
Anchora, & in medio feriati gurgite ſidunt.
Rurſus & ex imo deducitur anchora fundo,
Cùm cedit, longèque petunt ſine remige Belgas.
Tempeſtate illa, Zanclen qua Gallus habebat,
Galli militis audax facinus.
Sicaniamque omnem bello vertebat opimam,
Cænyos aprici memini me litore curvo
Allobrogem vidiſſe virum, cui nomen Jopas,
Hunc rigidi falſa ſub proditione Sicani
Inſontem ficto indicio: quia ſcilicet igni
Aggreſſus totam clam noctu incendere claſſem,
Atque urbem ſimul, atque omnem ſubvertere gentem;
Damnavere neci, mortemque inferre parabant.
Ille ubi cognovit ſe certæ occumbere morti,
Incœpit verſare modum, quo triſtia Fata,
Et necis infandæ ſortem vitaret iniquam,
Moliturque fugam (juſtis Deus adfuit auſis).
Cùm prima ex alto rueret nox humida cœlo,
In mare ſe nudum demittit, & æquore nando
Incipit Italiam celeri contendere curſu.
At miſer hàc, illàc quà fervidus ipſe trahebat
Æſtus, oberravit dubius, vitæque, viæque.
Cùm tandem (inſontes cœlo pia numina ſpectant)
Cænyos undoſas venit jactatus ad oras
Semianimis, gelidoque jacebat litore nudus.
Fortè pererrabat per proxima litora Tarchon.
Excubias qui ſorte datæ tunc noctis habebat:
Hic ubi conſpexit Lunæ ſub luce maligna
Advenifſe virum in litus per cærula nando,
Fit propior miſero, & novitatis imagine captus,
Dicere qui ſit, quidve agitet, quo ſanguine cretus,
Hortatur, dextramque viro dat pignus amoris.
Ille algore rigens vix hæc dedit ore trementi:

Gal-

Gallus (1) ego, Siculos, invisaque litora fugi;
At tu, si qua animo pietas, si tangeris & tot
Ærumnis, mea membra fove: nec plura profatus,
His dictis, Fatoque viri commotus acerbo
Magnanimus Tarchon, gelido de litore nudum
Sustulit, & lætus cervici imponit inertem.
Ut vicina subit sociorum castra, rigentes
Ignibus admovit sublati militis artus.
Hìc, ubi vitali recreatus membra calore,
Et solitæ vires animo rediere, profatur:
Et caussas omnes referens ab origine dicit:
    Hic mihi, vectus equo dum florea rura Salicti
Propter aquas, jubare exorto, litusque pererro,
Hæc dedit: explevitque animum novitatis amantem.
Me primùm pelagus cœco sub sydere nantem
Trinacriæ ad litus, quà fluctuat unda (2) Pelori,
Egit: & hinc refluens retrò maris æstus ad oram
Italiæ vectavit, aquis ducentibus ipsis.
Hìc me conantem vicina tenere natatu
Litora, transversùm veniens vi pontus abegit
E terra, & Siculas iterum perduxit in oras.
Hinc, cùm jam portum, desertaque claustra subirem,
(Seu Divùm pietas fuit illa, & credere par est;
Seu sic nostra tulit Fortuna, aut gurgitis æstus)
Descendens pelagus rapuit, duxitque, benignus
Quà me semianimem accepit de litore Tarchon.
Sed quod tunc animo mirum, indictumque putabam;
Accipe. Triginta conspexi in fluctibus æstus
Fervere, & totidem rapidis torrentibus æquor
Defluere, Herculeo dum currit ab usque recessu.
Qualis per campum multis delabitur amnis
Auctus aquis, cursuque fluit devexus in æquor.
Alter & in Boream currebat, & alter in Austrum:
Egelidis erat alter aquis; sed fervidus alter
Amnis erat: vix nudus aquas tolerare rigentes,
Vix calidas recreatus aquas perferre valebam.
Mira quidem, sed vera: malisque exercitus ista
Ipse meis vidi; & doctum experientia fecit.

Mirus, & in narrando casus.

Triginta in Siculo freto æstus, quorum unus calidus, frigidus alter.

(1) Accidit audacissimum istuc transfugæ factum hyeme nocte rigidissima, ut instar portenti visum sit: illum pluribus aureis donatum ad suos remisit *Theodorus Comes Barbovius*. (2) Unum ex tribus Siciliæ promontoriis, quod Orientem spectat, *il Faro*.

Morganæ Rheginorum descriptio.

Intereà canos ſepteno impulſa phaſelus
Remige ſulcabat fluctus Rhegina ſecundùm
Litora: pulchra modis cùm ſe (1) ſpectacula miris
In pelagi medio nobis viſenda dedere.
Invenient vix dicta fidem: majora Sicano
Occuluit Natura freto miracula rerum,
Quàm veniunt alto glomerati ad litora fluctus.
Illa ſed ardemus narrare, & dicere cauſſas.
Principio tenui criſpantur cærula vento,
Poſtquam multa quies riſit tranquilla per alta:
Hinc miranda vago pandit ſe ſcena theatro,
Et gratus mentem ſtupor occupat: æquore centum
Arboribus latè denſis frondeſcere ſylvas
Montibus in ſummis, & per florentia rura
Innumeros errare greges, errare capellas:
Paſtores & mille greges poſt ire ſequaces,
Aſpicio, & tenui deducere carmen avena.
Parte alia centum juvenes percurrere ſylvas,
Atque altos video montes, avidisque Moloſſis
Umbroſos nemorum latè circumdare ſaltus,
Venatuque feras agere, & vibrare ſagittas
Ex arcu, & leporem, & timidam transfigere damam.
Flumina & ex altis devoluere rupibus undas
Electro ſimiles, viridique crepidine ripas
Floribus intextas hyali ſplendere colore.
Attalico veluti variata tapetia luxu,
Aut quæ diviſi texunt aulæa Britanni.
Unum ego ſed pulchrum viſu, mirumque putabam:
Cærulei paſſim montes, auroque nitebant;
Et fulvæ pariter ſylvæ, ſaltusque, feræque.
Et venatorum croceis lita corpora guttis.
Innocuis longè ardebant trepida arva favillis:
Vernabant nemora, & ſata rura rubentia flammis.
Ut cùm purpureus mediis in nubibus arcus

Emi-

(1) Mirabile hoc refractæ poſt repercuſſionem lucis ſpectrum (Non enim in Athanaſii Kircherii ſententiam eo, qui neſcio ex quibus ſulphureis halitibus, lapillisque in Mamertini freti fundo relucentibus evenire id putat) Rhegini patrio ſermone, *la Fata Morgana*, appellant. Eſt autem adeò mirum Naturæ phaſma, ut vix fidem inveniret, ni tot eſſent oculati teſtes, quot ſunt ferè Rhegii incolæ. Contingit autem æſtate, vel autumno, cùm poſt ſummam malaciam leviter undæ criſpari incipiunt.

Emicat, & centum trahit alto à Sole colores.
Paſtores, mixtimque greges in collibus aureis
Errabant, rutiloque ardebat Tityrus auro;
Aurea & auratæ tondebant prata capellæ:
Et fulvæ Serum referebant vellera lanæ.
Alta coloratis fulgebat frondibus arbos:
Fulgebant nova poma, novisque coloribus arva.
Qualis Alcinoi Eois in finibus horti,
Heſperidumque velut trans longè Atlanta repoſti:
Qui (ſi vera ſacri cecinerunt carmine Vates)
Purpureis ardent flammis, auroque niteſcunt.
Cæruleis paſſim intermixta coloribus arva
Culta micant, virides truncis imitata ſmaragdos:
Aurea poma rubent: ſed flos argenteus exit.
Hæc dum proſpicio: pendentes aëre ſylvæ,
Atque feræ, atque homines, atque aurea flumina, & arva,
Ut venit levis aura, mari non amplius alto
Viſa mihi, & dicto citiùs fugere ſub auras.
At facies nova ſeſe oculis tulit obvia noſtris:
Altá velut verſis diſceſſit frontibus olim
Scena theatrali circo: nova viſa repentè,
Et miranda quidem pulchris ſpectacula rebus.
Penſile conſpectum ſuprà mare; & æquore fluctus
Purpureos pendere procul de puppe videbam,
Curvaque depicto protendi litora gyro.
Ad cautes fulvum ſpargebant cærula rorem
Alliſa, & fulvo ſplendebant murice cautes.
Mille rates vitreis errabant fluctibus, auro
Ardentes: varioque interdiſtincta colore.
Roboraque, tabulæque cavæ, remique micabant.
Ex auro mali turrito vertice in auras
Surgebant; pictis, & per carcheſia ſignis
Undabant vexilla; velut tenuiſſima tela,
Vellere Seriadùm intertexta, & murice tincta.
Candida vela, notis ſed per confinia rubris
Texta videbantur, pictisque undantia villis:
Et villi multa ſaturi Sidone rubebant.
Mille Phari nivea ex cryſtallo, oſtroque nitentes
Per puppes rutilo cælatas deſuper auro,
Sole repercuſſo radiabant undique circùm:
Sol velut ipſe nitens medio ſplendeſcit Olympo.
Parte alia magno circùm curvata theatro
Urbs auguſta polo tollebat mœnia, & altis
Circuitu longo ſurgebant molibus ædes.
Mille coronato ſpatioſa palatia circo

Cæruleis depicta notis, mixtoque smaragdo,
Et minio ardebant, rutilæque simillima flammæ;
Alta videbantur succendi culmina, & omnes
Igne domos flagrare; coloribus & lita centum
Tecta coruscabant, gemmisque urbs tota nitebat.
Undantes vidi fontes vibrare favillas,
Et liquidum argentum: vibrata canalibus unda
Purior electro, mixtimque argentea guttas,
Et croceas fundebat aquas: pictoque sub arcu
Curvata in varios sparsim distincta colores
Se pulchram visu præbebat: ut Iris aquosas
Per nubes nitida cingit ferrugine cœlum.
Ingens turba virùm per compita, perque plateas
Errabant, quos picta humeros nova purpura, fulvique
Auratos petasi crines, mitræque tegebant.
Et currus auro insignes, ostroque corusci:
Ardebant & equi flammis, fulgentiaque auro
Mandebant fræna, & nitidum simul ungula campum
Pulsabat nitida, & flammis auriga rubebat.
Quales Solis equi, cùm primo Oriente resurgunt
Oceano ardentes auro, & fræna aurea mandunt.
Hìc ubi jam cœpit venti increbrescere murmur,
Extemplò dispersa leves abiere per auras.
(Seu mihi visa mari fuerint miracula in alto,
Aut subter pelagus, sive aëre pendula summo)
Nam breve (proh dolor!) effulsit decus, & vaga lucis
Pompa mihi visa, & levium spectacula rerum.
At mihi rimanti caussas, sententia menti
Morganæ caussæ quæ sint. Hæc potior visa est: Sicana scilicet ora
Luce repercussos Rhegina in litora longè,
Inque levi primùm crispatos flamine fluctus,
Nativa immitti radios sub imagine rerum;
Hinc quicquid medio natat æquore, quicquid apricis
Collibus adverso frondescit litore, & ipsam
Ingentem procul apparere à vertice (1) Falcem
Saturni, & magno curvata palatia circo.
Verùm crispatis quia, lenè afflantibus auris,
Fluctibus incursant radii latera inter aquosa,
In diversa ruunt diffracti; hinc gurgite in alto
Millenæ rerum species visuntur, & igne
Ardere, & vario mixtim fulgere colore.
Ceu cùm luminibus nitidissima lumine vitra

Obii-

(1) Messana, de qua lib. 4.

Obiicimus (1) polyedra (vocant ſic nomine docti
Grajugenæ) variata modis ſpectacula miris
Ilicet aſpicimus: vario depicta colore
Apparent quæcumque oculis ſunt obvia noſtris.
Tum diverſa ruens nam lux pellucida vitri
Per latera, in varios miſcet ſe docta colores,
Pubentes imitata roſas, caſiamque rubentem,
Narciſſumque, crocumque, & vivaces amaranthos:
Purpureos, & picta refert Thaumantidis arcus,
Atque oſtrum, atque aurum, radiisque rubentibns aſtra,
Et centum geminas pulchra ſub imagine formas.
Sed Rhegina vaga jam ventum ad litora puppi,
Accipiunt ubi me ſocii, atque in tecta reducunt.
Hi læti propter felicia litora curſus,
Et nobis via per dubios tutiſſima fluctus.
Sic ego longinqui luſtrarem regna Canopi,
Et Tarteſſiacas irem ſecurus ad oras,
Si celeres mihi Parthenope daret alma phaſelos,
Mitteret & fortes juvenes, rectore Melantho.
Sed jam me, trepidis turbato in gurgite rebus,
Cura vocat, pectusque premit fragor altus aquarum:
Atque truci veniunt ſuperandi turbine venti.



NAU-

(1) Vitra multis lateribus lævigata, quæ res ſpectabiles, pro numero laterum replicatas, viſendas præbent.



NAUTICORUM
LIBER SEXTUS.

NUNC age, turbati quæ prima pericula ponti
Exuperanda tibi, & ſolertia quanta adhibenda
Ventorum adverſus rabiem, fluctusque ſonantes;
Nec non & quæ cura truces defendere Syrtes
Puppibus, & longè ſcopulos transmittere acutos,
Atque æſtus vitare, ſinusque inquirere, dicam.
Tu magni regina maris, Jeſſeïa virgo,
Dextra veni, trepidisque præi tu, diva, carinis:
Tu vaſtas aperi Syrtes, & marmora placa:
Collectasque fuga nubes, cœlumque ſerena.
In primis ea cura animo tibi multa recurſet,
Pendentes dubio in cœlo vitare procellas.
Ergo ubi jam longo nigreſcere cærula tractu
Aſpicies, montesque atras obtexere nubes,
Vel nigrum Aurorâ latè tranſcurrere nimbum;
Flecte iter in portus, & proxima litora curſu
Tuta pete, atque moras omnes celerare memento;
Ut cùm ſublimi ſpectavit vertice paſtor
Ingratam pecori deſcendere rupe procellam,
Ac penitùs ſylvas reboare procacibus Auſtris,
Lanigerum vocat ore pecus: ſparſumque repentè
Colligit, & tutis preſſans agit agmina caulis.
Verùm ſi ſubito incumbent ſtridore procellæ;
Et loca tuta fuga, & portus penetrare negatur,
Tunc opus eſt arte, & magnis tunc viribus uſus.
Ac velut, armatus vallo cùm ſe intulit hoſtis,
Dux ubi terribilem criſtis, atque ære nitentem

Ingruente tempeſtate portusquærendi.

Ut duces urbium contra aggreſſores, ità ſe nautæ contrà tempeſtates inſtruãt

Apta-

Aptavit capiti galeam, & lateri addidit ensem,
Fertur in arma ferox, aciesque, & mœnia lustrat.
Fortibus imponit primæ tutamina portæ,
In muros alios, & propugnacula mittit.
Hos ignes jubet in vallum, atque immittere saxa:
Hos tormenta: cavas alios explodere cannas:
Illos murorum subitas sarcire ruinas
Aggeribus plenis, lunataque cornua primis
Objectare locis: interritus ipse per omnes
It partes, dictisque animos incendit, & iras.
Haud secus & rector faciet, cùm turbine spectat
Densari cœlum, tollique à gurgite fluctus:
Impiger & ventis, & motis impiger undis
Obvius occurret. Subitis cùm casibus imus
Obvii, & impavida objectamus fronte sinistris
Infractos animos, superatum ex parte periclum est.
Hos jubeat rigidos manibus versare rudentes
Solicitos, alios demittere carbasa summis
Cornibus, atque sinus auris prohibere tumentes,
Aut citò colligere, ardenti cùm turbine ventus
Descendit, rectorque jubet, cùmque ipsa petit res.
Demittant alii antennas, aliique coronis
Ut sidant; maloque alii, velisque ministrent:
Egerat hic fluctus, æquorque refundat in æquor:
Ipse sedens clavum turrita in puppe magister
Arte regat, clavoque maris spumantia frangat
Æquora: nunc rectum venientem à vertice pontum,
Nunc verò obliquum accipiat, vitetque ruentem.
Sic ad opus cuncti magnis conatibus unum
Intenti, rigidas superabunt arte procellas:
Urgebitque cavas assultibus irritus alnos
Nereus, & duro venientes turbine Cori.

Ergo ubi nautarum confestim munera quisque
Arripuit sua, turbatoque in gurgite venti
Ingeminant sese, magnum de vertice mali
Artemonem demitte, Notoque dolona furenti
Expande: at tibi tunc solertia multa adhibenda,
Ne mora sit, fluctusque agitent sine pondere puppes.
Verùm si rauco succrescat murmure ventus,
Antennas demitte humiles à vertice summo:
Et velum in latus obliqua, madidosque rudentes
Contrahere hinc solers, hinc & laxare memento.
Languida sed rigidi cùm turbinis aura remittit
Paulatim sese, celeres tunc brachia velis
Extemplo famuli intendant; iterumque repentè

Cum fortius flat ventus demittendus statim artemon est, dolonque faciendus.

Mox & demittenda antenna.

Demit-

Demittant; cùm vela, Noto redeunte, tumescunt.
Intereà (quæ cura tibi vel maxima semper,
Rector, erit) pictas media sub puppe tabellas
Consule, ventorumque ferentem nomina buxum.
Quære & qui ventus spiret, quo turbine ducat
Mappæ, & pyxis consulenda.
Tempestas: quantùmque tuo de tramite Rhombus
In levam, dextramque cadat: pariterque necesse est
Deprensi erroris certas perquirere partes;
Quippè viam incertùm non per vada cœca secabis.
Nam fuerit si certa tibi plaga cognita cœli,
Et ventus simul, atque suis cum partibus error,
Certum iter institues: quin & freta dura trisulcis
Effugies saxis, pelagoque errabis aperto.
At quoniam crebrò se hàc, illàc concita fluctu
Versat, & in latus obliquat se plurima puppis,
Idcircò è medio pendebit Amalphica pyxis,
Libera ut in gyrum semper ruat incita cuspis.
At quanta in dubiis ars sit nunc rebus habenda,
Quando pedes laxandi.
Prosequar. In velum si dirus ab æquore turbo
Ocyùs irruerit, subitò det pronus habenas,
Et lævum, dextrumque pedem laxare minister
Conetur; diffusa cadet sic turbinis ira;
Ac velo cedente, perit: ceu cùm pila molle
Incidit in linum; vix impete pulsa retrorsùm
Exiliet: tenui in lino vis deperit omnis.
Impiger ipse etiam intorquens temone carinam,
Ventorum infringet vires de puppe magister.
Sed quid, si gemini diverso à cardine venti
Descendant, rapiantque leve in contraria velum,
Dicam equidem, Palinure: labor, sed maximus ille est:
Parte ruens gemina geminum evitare periclum,
Quid cum gemini ex adverso ingruunt venti,
Hoc opus, hic labor est, altum tu deprime velum.
Ventorum cùm lucta mari fremit horrida vasto.
Nunc raucum accipias contractis cornibus Austrum,
Nunc Boream; sed fronte petas cave flaminis ictus:
Da latus: obliquus velo ruat impetus Austri.
Ceu gladiator, ubi incœpit certare duello,
Atque hostem adversa venientem cuspide vidit,
Extemplo avertit pectus, rigidumque cruento
Hosti dat latus, atque eludit cuspidis ictum.
Si, cedente Noto, diras Aquilone procellas
Vento sæviente, non obvertendum velum, sed demittendum prius est.
Arctoæ mittent rupes, cave vela repentè
Obvertas: geminis primùm demitte ceruchis:
Inde dabis Boreæ venienti vela, magister.
Nam si continuò stridet cùm turbine ventus,

Cornua veligerarum obvertimus antennarum,
Prona dabit latus, & ſubter ruet æquora pinus.
Cura etiam, ne dira ruens vis ipſa procellæ
Obvertat velum: cùm videris aëre ventos
Adventare, cito conatu collige velum.
Tædia nec magni capiant te multa laboris;
Namque optata ſalus multo ſperanda labore eſt.
Verùm ſi leni deſcendant flamine venti,
Haud veto; nam crebrò memini feciſſe Thoantem.

Nec minor ille labor fluctus haurire refuſos
Sentina ex humili: rimas laxare patentes
Plurima cùm cœpit pelago concuſſa carina.
Sed quibus epotos valeas educere fluctus
Artibus, expediam, compertaque mira docebo.
In primis facili torno, duraque cavandus
Ex ulmo tibi modiolus, pedibusque carinam
Ter quinis ſuper aſcendat: ſic antlia fluctus
Evomere alta poteſt, æquorque remittere in æquor.
Hinc ſeptum in medio transverſum impone canali
Ex ære, aut ligno è ſolido: foris arctaque circo
Inſit aperta: cuproque illi mox inſuper adde,
Aut durum è corio tegmen, clavoque refige,
Concludi ut pariter poſſit, pariterque recludi.
Sive aditus ſit dandus aquæ, aut prohibendus ab illa eſt.
His actis, valido de robore necte canali
Embolum, & ære illum circùm veſtire neceſſe eſt.
Æquè & modiolo inſertus reſpondeat imo;
Ne quà per latera intromiſſus permeet aër.
Eſt cavus ipſe etiam formandus & ante cylindrus,
Cui ſeptum, medioque foramen: & inſuper olli
E corio tegmen ſit mobile, quo fluat unda
Intromiſſa tubo, & clauſo, non effluat illo.
Ferrea firmandus manica mox embolus axi
Ferreus, & ſolidis inſit verſatilis axis
Cardinibus ſuper, ut poſſit cavus embolus alto
Nunc facili attolli niſu, rurſusque deorsùm
Demitti, & potos ſentina reddere fluctus.
At verò ut valeas axem verſare rotundum,
Prælongam capulo virgam duro inſere ferro.
Hæc fuerit constructa tibi cùm machina, ab ipſa
Momento poteris fluctus haurire carina;
Nam ſi demittas virgam, tollasque viciſſim,
Continuò exhauſtum ex imo dabit antlia pontum.

Non hìc Ortygii miranda inventa magiſtri
Prætercam, quibus ille olim de nave Sicani

Antliæ deſcriptio, & ſtructura, qua è ſentina hauritur aqua.

Item Cylindri Archimedæi.

Ipotos potuit fontes haurire tyranni.
Faginus, & longa tendatur mole cylindrus:
Cardine & in gemino, teretique, volubilis ille
Nectitur obliquus, cui longum ex ære canalem
Inque helicis circùm formam, ſtrictusque revolve.
Immergatur aquis pars ima: ſed alta carinam,
Et tabulata ſuper ſeſe efferat: inde cylindrus
Aſſiduè contrà fluctus verſetur in orbem.
Namque imo quos haurit helix, alto evomet amnes.
Non ſecus ex imo ſentinæ (1) nautea in æquor
Egeritur: putris ſemper purganda carina eſt.
Ne nautas intus concluſus peſtifer humor
Inficiat, generetque graves per corpus achores.

Quo & Nautea egeritur.

Intereà famuli rimas opplere patentes
Soliciti certent, & ſtupea trudere ferro
Vincula, quà veniens fundit ſe plurimus imber.
Et ſuper accenſamque picem, ceramque tenacem
Effundant. Pelagi ſed me fragor altus, & atrox
Ad majora vocat rauco ſtridore procella.

Naufragio impendente, proiiciendæ opes, impedimentaque omnia.

Ergo ubi tempeſtas vertit ſinè more profundum;
Spumeum, & elatis puppes mare contegit undis,
Tunc opus ingentes gazas, & inutile pondus
Altos proiicere in fluctus (potiatur & illis
Doris avara ſinu in vaſto, & Neptunus avarus:
Tu verò optatæ potiaris munere vitæ)
Tunc levis extemplo ſurget de gurgite puppis:
Et facilis vento adverſo, pelagoque ruenti
Deluctare labor: nec te auri dira cupido
Alliciat, nectatque moras ſpes credula longas:
Chara magis ſit vita tibi: præſtantior omni
Illa auro, regumque opibus, ſceptriſque ſuperbis.
Quin, Fato variante, fluunt, refluuntque viciſſim
Neſcia ſtare loco mortalibus addita dona:
Si ſupereſt nobis animus, nec dextera ceſſet.
Quæ modò Fata ferunt, referent citò divite cenſu.

Gubernaculi jactura ſtatim reparanda, & mali.

Præterea ſi fortè rapax de vertice ſummo
Dejecit turbo malum, velumque per auras
Abripuit, vel dira Noto jactata feroci
Unda gubernaclum rapuit, ſparſitque per æquor;
Tunc rector certet citus infrænare ſolutam
Immiſſo temone ratem; nam cætera pendent
Hoc uno: Ruptis periit ceu currus habenis;

Sic

(1) Putris aqua, quæ in ſentinam per navis cola defluit.

Sic ſciſſo temone ratis: retinacula puppi
Mittere cura olli ſit prima, & maxima ſemper,
At fortes ſtudeant nautæ ſuſtollere malum:
Et prona in proram canentia carbaſa pandant.
Nemo piger, vel lentus erit, timidusque periclo.
Caſibus audaces nautas decet eſſe ſiniſtris:
Frangimus audaces, timidi ſed frangimur undis.
Ipſe ſed ante alios audacior ibit in omnes
Fortunæ caſus rector, cui cætera curæ.
Qui non præque ferat demiſſo lumine vultum,
Pectore & ignavos animos, turpemque timorem.
Semper lætus erit, quicumque per æquora caſus
Pendeat, & læto vultu ſpes ipſe ſerenet.
Ac veluti, Fortuna vices dum mutat iniqua,
Verſo Marte, duces opus eſt prævertere Fata
Impavidè, & læta mentiri gaudia fronte:
Rectorem haud aliter cùm ſpes jam deperit omnis,
Naufragio pendente truci, ſimulare neceſſe eſt;
Namque omnes uno pendent rectoris ab ore,
Illius inque oculos cuncti ſua lumina figent:
Unus erit vitæ, & mortis ſimul auctor, & index.
Audebit ſi fronte fera occurſare periclis;
Audebunt ſocii pariter: ſi fortiter ibit
In caſus omnes; eadem in diſcrimina rerum
Illi etiam prompti venient: ſi lentus aget rem;
Viribus illi etiam langueſcent. Denique rector
Qualis erit; talem geret & ſe quisque miniſter.

Audaces in dubiis nautæ ſint, & maximè rector.

Sic Surrentinum memini feciſſe Thoantem,
Cùm lætam Ægyptum peterem, & felicia Nilo
Arva. Per Jonii fugiebat marmora puppis,
Undique cùm cœlum ſpiſſæ texere tenebræ,
Eripuere diem, & nigra fluctibus incubuit nox.
Extemplo cecidit Boreas, atque alta quierunt
Æquora: nec lævis pelago ſubmurmurat unda.
Mox ſenſim tolli, non dum ſpirantibus Auſtris,
Incipiunt fluctus, venturæ ſigna procellæ.
Tempeſtas ſinè more ruet, ſi cærula nullo
Conſurgunt jactante Noto: tunc ore profari
Cœpit puppe Thoas: Quoniam ſæva imminet alto
Tempeſtas, totusque in nubem cogitur aër,
Colligite arma citi, ſolitasque intendite vires,
O ſocii, ventisque acres occurrite, & undis.

Vatis penè naufragium, & Surrentini navarchi peritia.

Thoantis ad ſuos oratio.

Hæc ille: & dicto citiùs generoſa juventus
Armamenta capit, nervosque, & brachia tendit.
Protinùs effuſis reboans ruit imbribus Auſter,

Horrendique micant ignes, tonitruque tremiſcunt
Subter aquæ, & ſcopuli, pulſataque litora longè
Tunc nautæ in partes vertunt ſeſe ocyùs omnes,
Invigilare malo intenti, & vitare periclum.
Demittunt ſubiti velum, tenduntque rudentes:
Et velis acres animis, manibusque miniſtrant
Unà omnes, niſu unanimi, & clamore ſecundo:
Horridus adverſo cœli de cardine turbo
Improviſus adeſt, ſciſſumque à vertice ſummo
Dejectat malum: nautæ tunc ilicet omnes
Arboris incumbunt lapſæ ſarcire ruinam:
Erexere alium, parvumque dolona dedere:
Sed vento jactante fretum, jam gurgite cæco
Inſtar montis aquæ ſurgebant; undique circùm
Obruitur latus, & rimis ruit æquor apertis.
Sæva gubernaclum rapit unda, & vortice mergit.
Non animis fractus forti cum pube magiſter:
Ilicet immittunt curvæ retinacula puppi;
Quoque modo poſſunt venientia cærula vitant.
Aſt ubi diffindi trifidis latè aëra flammis,
Et ſævire Notos, montesque attollere aquarum
Aſpexit rector, collabi jam penitùs rem
Senſit: at audaci ſocios cum fronte ſerenus
Hortatur, conditque altum ſub corde dolorem:

Nautarum mira ſolertia.

O mihi ſorte dati, magnas nunc promite vires,
Nunc animos, quibus alta olim Acroceraunia, & undis
Diſperſas Cycladas, dirumque Caphareа puppi
Legimus incolumes, Maleæque ſequacibus undis,
Ægæoque mari, Siculisque erravimus oris:
Et duras toties hyemes, nimbosque ſonantes
Vicimus, & mediis toties evaſimus undis.
Non mala vos vincant: non vos hæc terreat atrox
Tempeſtas, ſocii: ſumus iidem, & vivimus ipſi.
Audete, ò magni; Audendo ſibi quiſque facit ſpem:

Altera Thoantis oratio.

Spem vultu ſimulans dedit hæc: tum fortiter illi
Et ſuperare Notum, & ſpumantem Nerea certant.
Aſt ego naufragium quoniam impendere videbam,
Et jam ſublapſis horrendo in turbine rebus,
Spem fruſtrà accendi, geminas ad ſydera palmas
Intendo, & ſupplex humili clamore precando,
Talibus exorſus: Si quid peccavimus ipſi
O Superi, & noxis ſacras temeravimus aras,
Parcite: ſi qua polo pietas, & fluctibus atris
Eripite hanc animam: ò, dextram proferte, benigni
Cœlicolæ: at tu, SABERIDE, Deus æquoris, alto

Vatis ad Superos, & Saberiden preces.

Axe

Axe veni, ventosque fuga, & freta turgida placa.
Vix hæc: extemplo summis splendoribus æthra
Effulgere mihi visa, & nigra undique circùm
Nubila discludi, roseaque è nube refulgens
Est mihi SABERIDES spectatus in aëre, qualis — A quo servatus.
Alta peregrinus sulcabat marmora Nerei,
Aut pedes Eoo vestigia certa premebat.
Quo viso fugere Noti, fugere procellæ,
Et mare pacatum, & summo lux reddita cœlo,
Et data tunc vitæ nobis simul aurea lux est.
Olli tunc ego: Quis grates persolvere dignas,
Dive, tibi valeat tanto pro munere vitæ
Concessæ, quæ mersa mari periisset in alto,
Ni tempestatem pelago, ventosque fugasses.
Quicquid & ingenium, & quicquid mea carmina possunt,
Cuncta tibi voveo; & te carmine, Dive, canendo
Implebo promissa memor: mihi fronte serena
Annuit ille; poloque volans sese intulit alto,
Ergo, tibi cùm nulla datur spes, & ferus Auster,
Et duræ superant animos, artemque procellæ,
Auxilio tum, nauta, Deos clamore vocato. — Superi in extremis exorandi.
Nam tibi contrà undas, tempestatesque sonantes,
Nil facilem præter lacrymam, & pia vota relictum est.
Ipse etiam navis rector, qui cuncta gubernat,
Concipiat pia vota: piis & munera Divis
Spondeat: Ipsi etiam placantur munere Divi.
Postquam vota Diis concepta, & crimina multis
Cum lacrymis, precibusque piis, Palinure, piasti, — Quando cedendus sit malus.
Acrior ingeminet si ventus, & æquora surgant,
Te primùm ferro sublimi à vertice malum
Præcipio medium succidere ad usque trachelum;
Proiicere atque illum in fluctus: tibi cura sed illa,
Hinc ne fortè ruens socios, puppimque flagellet.
Mox si nec vento modus est, crescitque periclum,
A pterna totum celeri succide bipenni.
Funibus & duris clavus tibi puppe ligandus,
Ne transversa ferat maris unda; ratemque furenti — Et navis ventorum arbitrio committenda.
Da vento: docto quoniam spes nulla magistro,
Nulla arti superest: rapiunt quo turbine Cori,
Tendendum, si fortè cadat Fortuna, vel ipsi
Supplicibus tandem placentur Numina votis.
Præterea in pelago nimbis comprensus iniquis,
Angustis conclusa vadis loca, duraque saxis
Marmora, & horrendas longè fuge, navita, syrtes. — Angusta loca vitanda.
Namque acti ventis cùm currimus æquor apertum,

Et si nimbiferi strepitent per Nerea Cori,
Quoque modo licet, & ventos duramus, & undas.
Verùm si nautis errandi nulla potestas
Oceano datur, in scopulos, in saxa necesse est
Allidi puppem, aut siccis impingere arenis.
At procurva rates in litora si Notus egit,
Nullus ubi portus venienti brachia tendit,
Quando jacienda sit anchora. Nec sinus in tuta pandit se valle reductus,
Anchora de prora jacitur, quæ dente trisulco
Navim firmet aquis: verùm si fortior Eurus
Sibilet, & tumidi veniant à gurgite fluctus,
Mitte etiam (1) sacram, multo quæ corpore præstet;
Firmiùs illa ratem fundabit in æquore: ceu cùm
In gyrum vacuæ fluitant sinè pondere lances,
Et vento, hàc, illàc jactantur, & aëre nutant:
Verùm justa cavis si pondera lancibus addas,
Confestim medio librantur in aëre: nec jam
Dant latus in ventum, aut circùm versantur in orbem.
Cum ventus è mari flat, fugienda litora. Quin & turbato cùm stridet ab æquore ventus
Acrior, alta pete, & fractas fuge litoris undas.
Ast ubi navigiis vicino à litore Caurus
Incidit, aut Boreæ implacabilis ira sonantis,
Litus ama, & longè Tethyn transmitte tumentem.
Nam si oram fugies, transversa ruentibus Austris,
Pelletur longè pinus: nec tendere tantùm
In ventum curvo poterit temone magister:
Vincet vi ventus; ratis & per aperta trahetur.
Quò tandem objectum ad litus frangatur, acutos
Illisa in scopulos, cumulove impingat arenæ.
Sic nostræ periere rates, & Ibera juventus
Ad Scyllæ cautes, & Orestis proxima saxa,
Portus ubi quondam steterat: nunc rupibus horret
Infelix statio. Mauræ vastator arenæ
Africus imbriferis pelago insultaverat alis.
Andreæ Avali elogium, & qua se arte servaverit. Avalus (2) antiquo regum de sanguine cretus
Austriacæ dux classis erat, geminosque per Orbes
Egregiis clarus palmis, clarusque triumphis:
Qui magnis olim sulcarat classibus æquor

Atlan-

---

(1) *Ancora della Speranza.* (2) *Andreas Avalus* è Marchionibus Aterni *Pescara*, & Histonii *Vasto*, Montis Sarchii Princeps, Indicæ primùm, mox Siculæ classis summus Pretor, vir & animi magnitudine penè regia, ac factis latè clarissimis meritò immortalitate donandus.

Atlantis, latèque novum lustraverat Orbem,
Missus in imperium magnum, quem mille secutæ
Sunt acies: domuitque ingenti clade tyrannos
Oceani, & rigida piratas cuspide fregit:
At tunc Zancleos dura obsidione premebat.
Hic, quem multa maris dudum experientia doctum
Fecerat, & cœli pariter, ventique peritum,
Ut denso vidit venientem turbine nimbum,
Impiger hæc classem ferri mandata per omnem
Imperat: Italiæ cautes, ubi Scylla remugit,
Et maria alta citi fugiant, vicinaque rostro
Litora Sicaniæ stringant, humilemque Pelorum:
Quò demùm servata mari se classis aperto
Mittat, & ad tutas vertat se navibus oras.
Ipse latus stringit Siculum, raditque Pelorum:
Hinc in (1) Leucopetram contendit, & æquor apertum
Puppe petit, senique alii petiere, secuti
Rectorem, tutique sinum tenuere Tarenti.
At reliqui magni temnentes jussa magistri,
Protinus in scopulos allisi, animamque dedere
Indecores. Adeò data jussa capessere multum est.

Sed tibi non cura, rector, leviore cavendum,
In terras cùm ventus agit te plurimus, & jam
Naufragium Fortuna tibi crudele minatur,
Concita ne vento in rupes ruat alnus: apertum
Quà litus patet, & brevis æstuat unda, carinam
Dirige; sic gens incolumis servabitur omnis.
Verùm hic difficilis labor est, latè undique circùm
Cùm rigidæ assurgunt rupes, & vix brevis inter
Ora patet cautes, rarisque albescit arenis;
Quatenus angustæ veniens ratis incidat oræ.
Solicitus certam stationem in litore signa,
Atque iterum explora: vento mox pronus habenas
Committe: optatas puppis continget arenas.
Ut cùm venator certam sub fronde latentem
Egregius signavit avem, emisitque sagittam
Ex arcu: volat illa leves impulsa per auras
Recta petens volucrem, volucrique infixa residit.

Cavendum nec in scopulos incidat navis, cum vitari naufragium non potest.

Nunc age, qui tuti portus, quæ fida carinis
Sit statio, dicamus. Aquis jactatus iniquis,
Doris ubi Oceano sese conclusa maritat
Herculeam ad metam, vicinas, navita, (2) Gades,

Portuum cathalogus.

Vel

(1) Ultimum Italiæ promontorium, *Capo dell'armi*.
(2) Insula, & urbs *Cadice*.

Vel (1) Tingitanæ venies Telluris ad oram.
Hinc Malacæ, portusque novæ (2) Carthaginis alnos
Hispaniæ portus. Quaſſatas pelago, ventisque furentibus actas
Servabit placido in gremio: ſua brachia pandet
Dives (3) Alone, & quo ſe jactat (4) Delia, portus.
At ſi te ventus Gallis admoverit oris,
Maſſiliæ loca tuta vagis inquire carinis,
Galliæ. Lunatosve ſinus, tibi quos in valle reducta
Ipſe (5) Telo ex alto venienti Martius offert;
Et quos objectu laterum dant (6) Stœchades, & quos
Antipolis (7) præbet curvato in litore portus.
Auſoniam circùm ſi ſtriderit atra procella,
Trans Varum Herculeum portum, portumque (8) Monœci
Intrabis, tutaque Savo te ſede reponet.
Ipſa tibi pariter regalem in gurgite molem
Magnifico extructam luxu, ſumptuque ſuperbam,
Italiæ. Dives opum Genua, & pictai veſtis, & auri,
Offeret, & firmis defendet turribus alnos.
Hinc (9) & Delphini ſtatio curvata patebit:
Lunatas & amica dabit tibi (10) Cynthia ſedes:
Euris jactatus freta per Tyrrhena, Liburnum
Contende in portum, aut turritas Herculis arces:
Pandet (11) & Argoum chalybum generoſa metallis
Ilua ſinum: nec longè alium (13) Populonia præbet:
Inde procelloſis ferimur cum gurgite nimbis,
Nos (14) Centum accipient pacato in marmore Cellæ:
Tu quoque velivolis dextram, Cajeta, dediſti
Puppibus, Arctoa caderet cùm rupe procella.
Quaſſato mihi ſæpè mari Crateris ad oras
Hoſpitium dedit Inarime, gremioque recepit.
Ipſe etiam me ſæpè jugo Miſenus ab alto
Compellavit, aquas cœlo dum Corus agebat:
Et tepidæ Bajæ, Neſiſque, ſinusque Dicarchi:
Te placido condet gremio gratiſſima Siren
Parthenope; (14) Stabiæque reducta ſede patebunt:

Præ-

---

(1) *Tanger* in ipſo freto Herculeo ſita ſtatio.
(2) *Cartagena*. (3) *Alicante* Valentiæ urbs, & portus.
(4) Dianium promontorium, ubi portus vulgò *Denia*.
(5) *Tolone* ingens Provinciæ Portus, ac totius Galliæ navale. (6) Gallis *Isles d'or*, ſeu *Hierres*. (7) *Antibo*.
(8) *Monaco* Liguriæ Portus. (9) *Portofino*.
(10) *Porto Venere*. (11) *Portoferrato*. (12) *Porto Baratto*. (13) Centum cellæ, vulgò *Civita vecchia*. (14) *Caſtell' à mare*, exiguum antiquarum Stabiarum monumentum

Præthereà pelago in medio venientibus offert
Artemidos (1) sedem Cyrnos, mox valle reposta Insularum.
Titanum: (2) fractamque (3) Philonius accipit alnum,
Nymphæum pete Sardois comprensus in undis;
Et Claris navim objecti teget obiice saxi.
Sunt Drepani; portus (4) Lilybeïa gurgite clauso
Sunt vada: sunt tutæ sedes statione (5) Pachini.
Jonio in magno cùm se turbatus ab alto
Juppiter effudit totum nimbisque, procellisque, Jonii.
Et spumam elisam, pulsataque videris astra,
Plemmyrium pete litus, & Ortygias Syracusas;
Sive (6) Ziphonii penetrabis in ostia portus;
Vel te (7) Zanclei compellat pompa theatri
Lunatos intrare sinus; mihi sæpè ubi fracto
Perfugium conclusa cavo dedit unda recessu.
Vel (8) Pylus adversa Pelopis Tellure petenda,
Aut (9) Samos, & tutæ (10) Buthroti navibus arces.
Illyris, Adriaci si spumea cærula curres,
Innumeros secura sinus dabit ora repostos. Adriaci,
Italia extendet quoque dextram, & litore tuto
Brundusii excipiet quassatam fluctibus alnum,
Aut (11) Trajanopolis, vicino in litore quæ se
Falcato ostentat gremio, quod nulla furentis
Adriaci vis, aut Boreæ gravis ira lacessit.
At verò incolumis Barium si fortè tenebis
Relliquias magni supplex venerare (12) Myræi
Pontificis, dio semper quæ nectare manant.

(1) Antiquus portus non longè ab urbe Valeria, *Alesia*, dicitur nunc *Stagno di Diana*. (2) *Golfo Talano*.

(3) *Porto Favone*. (4) *Marsala* urbs, & portus, dictus etiam Austriacus. (5) *Porto Longobardo*. (6) *Agosta*, urbs Siciliæ capacissimo portu celebris. (7) *Messina*, ubi quotquot sunt in toto terrarum ambitu celeberrimus portus est, ad quem efformandum plurimum desudasse Naturam dixeris, cui tamen emula semper ars non cessit, nec civium industria, quippe superbissimo ædificiorum theatro egregiè munivere simul, atq; exornavere. (8) Portus Peleponnesi, *Navarino*. (9) Eadem, ac Cephalenia, in qua *Porto Guiscardo*.

(10) *Butrintò*. (11) Urbs Apuliæ Peceutiæ à Trajano condita, quæ & Tranium, *Trani*, olim civibus frequens, nobilis, atque elegans, celebreque Italiæ Emporium.

(12) D. Nicolai Myræ Episcopi, cujus reliquiæ Barii, quę Metropolis est Apuliæ Peceutiæ, asservantur, & perpetuò manna scatent.

Hinc portus Ancona ſuos, atque Iſtria contrà
Tendet, & æratis pandet ſe navibus (1) Edron.
Cùm verò Ægæi ſulcamus marmora, portus
Pacatos aperit tibi centum Græcia Tellus.
Ægæi. Quippè ubi crebra ruit ſubito ſtridore procella,
Ac venti ſinè more truces bacchantur, amicos
Innumeros Natura ſinus, portusque benigna,
Perfugium miſeris poſuit per cærula nautis.
Solicitis tendent divinæ Palladis arces
Cecropios (2) portus, (3) Piræaque tuta Magiſtris:
Et gremium pandent: mediis ceu nubibus Iris
Curvatur, pacemque refert mortalibus almam.
Et me grata (4) Chios, cùm Nereus obſtrepit undis
Accipiat: noto facundos litore amicos
Inviſam: ò, qui me ventus felicibus oris
Siſtat, & ingenti Telluris protegat arcu:
Ingenium me mite ſoli, me collis aprici
Proſpectus, dulcesque cavis in vallibus umbræ,
Ac tepidæ invitant auræ, Solesque benigni:
Nec non & placidi mores, & amica virûm vis,
Docta animos capere officiis: ò, ſi mihi vitæ,
Ducere, quod ſupereſt, alta hìc ſub pace liceret!
Et (5) Paros, & (6) Scyros, Vulcano & maxima (7) Lemnos
Sacra dabit portus, atque Alcæo inclyta (8) Lesbos,
Et Smyrna, & Sciathos, (9) Phocæaq; (10) Delos, & Andros.
Offeret (11) Amphimalum Creta, & tuta æquora (12) Mylæ,
Aſiæ, & Siriæ. Aſt ubi Virgineo jactaberis æquore curru,
Quà Phœbo dilecta Rhodos curvatur in arcum,
Tende iter; & pleno ſubeat ratis oſtia velo.
Et Cypros (13) Salamina aperit, portuque ſilenti
Accipit ingenti quaſſatam turbine pinum:
Pellæum (14) & Syriæ portum, (15) Tyriosque ſubito.
Cumque Palæſtinas curſu laberis ad oras,

Cæ-

---

(1) *Porto di Chioggia*, ò *Porto Sablone*.
(2) Phalerus, & Hiphormus Athenarum portus.
(3) *Porto Lione*. (4) *Scio* una ex Sporadibus urbe, & portu celeberrima. Eſt & feraciſſima, & amœniſſima ſuper reliquas Ægæi maris: viros alit ingenioſos, & comes, nec in Græcia gens eſt adeò urbana, & culta quàm ſunt Chii.
(5) *Paris*. (6) *Sciro*. (7) *Stalimeni*. (8) *Metelino*.
(9) *Fochia*, cum portu capaci, & amplo. (10) *Sdille*.
(11) *Porto della Suda*. (12) *Porto delle Carabuſe*.
(13) *Famagoſta*. (14) *Antiochetta*. (15) *Sur*.

Cæſaris (1) aut arcem, aut vicinam intrabis (2) Joppen.
Quà ſeptimgeminus prorumpit in æquora Nilus,
In (3) Peluſiacam contendas ilicet oram:
Sive urbem (4) Lagi, quam dat Pharos aurea luce
Nocte ſub obſcura, fortunatumve (5) Canopum.

Ægypti.

Hinc tibi Marmoricum Tellus Barcæa (6) Selinum:
Uſta (7) Philænæum præbebit & Africa portum:
Utica (8) & hinc, ſiccas ubi Bragada lentus arenas
Humectat, lævaque patent (9) Carthaginis arces:
Julia (10) ſervatum tandem mox Alba fovebit.
Atque alii: nec ego cunctos comprendere portus
Verſibus hic opto, nec poſſem, in carmina centum
Ora licet Phœbus ſtimulans præcordia Thyrſo
Solveret, & dio furerem lymphatus ab œſtro.
Ipſe tibi picto mundus monſtrabit in orbe
Curvæ ubi ſecura ſedes ſtatione locentur.

Lybiæ.

At quæ cura mari in magno perquirere portus,
Accipe, quiſque ades hoc carmine ritè docendus.
Membranam tabula in quadra, lævique revolves,
Ac juxta ſtatues tornatæ pyxidis orbem:
Hinc qui ventus aquas vertat, quo turbine ducat,
Cognoſces: portumque, plaga qui panditur illa,
Sedulus inquire (& propior tibi, nauta, legendus
Semper erit) velumque Noto tendente canorum,
Illum puppe petes, & litus adibis amicum.
At ſi nulla patet vicino in litore ſedes,
Tunc aliam, transverſa notat quam pagina, quæres.
Et valido obniti in ventum temone memento.

Qua ſolertia portus ex Mappis inquirendi.

Inſuper ipſa tibi ſecuros inſula portus
Offeret objectu laterum, trans cærula ſedes
Non ſemper, Palinure, datur penetrare repoſtas.
Sæpè etiam montes in ethya exporrecti,
Et curvata ſinu Tellus ſua brachia pandet.

Præterea ſitus, & varia eſt natura locorum
Exploranda priùs. Quiſquis nec portus ab omni
Securus vento: ſemper nec fida carinis
Quæque cavis ſtatio; Nam nulla immunis ab omni
Res vitio eſt: & nulla vacat ſecura periclo.
Quippe alii frangunt Boream; franguntur ab Auſtro:

Situs locorum inveſtigandus.

(1) Tholemais Claudii Cæſaris Colonia *Acri*. (2) *Jaffa*. (3) *Damiata*. (4) *Aleſſandria*. (5) *Roſetto*, vel *Bocchir*. (6) *Salona*. (7) *Porto Sabia*, vel *Hernich*. (8) *Porto Farina*, vel *Biſerta*. (9) *Marcia*, Carthaginis portus. (10) *Algieri*.

Auſtrum alii expellunt; at non Aquilonis iniqui
Effugiunt iras: Cauro bacchante, quieti
Subſidunt alii, at Libyco veniente tumeſcunt.
Hæc membrana tibi, pyxisque, & ſydera dicent;
Ac varii oſtendent uſus, habitusque locorum.
Sed jam quæ loca naufragiis infamia vites,
Qua ſint loca naufragiis ſuſpecta in Mediterraneo.
Expediam. Capreas longè, ſi nubilus Auſter,
Aut Notus inſultet pelago, transmitte carinis,
Hinc freta Trinacriæ, & ſtricti fuge ſaxa Pelori,
Cùm Libyci furit aura: vagi vada flava (1) Simethi
Linque procul, gelida Boreas dum perfurit Urſa,
Atque Noti, atque Eurus, atque Actias Orithyia.
Hinc immota tibi longè (2) Camarina legenda,
Horridus Oceano ſtridet ſi ventus ab alto.
Herculei ſuſpecta tibi fræta cœca Tarenti
Semper erunt, (3) Strophadeſq; & navifragum (4) Scylaceum.
Haud piger Jonii ſpumantia marmora ventis,
Nec cœlo trifidis disjecta (5) Ceraunia flammis,
Nec ſuperum mare, non & litora Liburnorum,
Aut latus adverſum, rector, temone ſecabis.
Mitte procul Ligures, nudataque ſaxa relinque,
Cùm ponto ſtrepit Auſter, & Africus aſperat undas;
Gallum etiam litus, roſeum quà reſpicit ortum,
Vitato, ſi vela tument ſurgentibus Euris.
Prætereà maris in medio freta (6) Gallica nimbis
Horrendùm quaſſata fremunt, & ſydera lambunt.
Auditur mugire vadum, penitusque ſonare
Pulſati vento fluctus: ceu dira leonum
Turba fremit, fremituque procul nemus omne remugit,
Cùm ſeſe contrà exercent fera prælia; vel cùm
Amiſſos quærunt catulos, quos rupibus atris
Furtim Getuli juvenes rapuere. Leonem
Hinc noſtri dixere ſinum, quà gurgite in alto
Innumeræ periere rates, doctique magiſtri.
Tu cave puppe fretum tentare, tumentia ſurgunt
Cùm maria, & dubio pendent ſub ſydere nimbi.
In Ægæo.
Caurus & Ægeæ ſindes trabe Tethyos arva;
Paſſim navifragis horrent nam conſita ſaxis.
Si ſuperandus (7) Athos, dextra deflecte carinam;
Et tempeſtatem fugies, nimbosque ſonantes.

Con-

(1) *La Giarretta*, qui inter Catanam, & Leotinos fluit.
(2) *Camarana.* (3) *Li Stivali.* (4) *Golfo di Squillaci.*
(5) *Monti di Chimera.* (6) *Golfo di Lione.* (7) *Monte Santo.*

Concava (1) Bœotum vitato, & (2) Chalcidis oras,
Quà fluit Euripus, refluitque rapacibus undis.
Et vada vorticibus circùm irrequieta recursant.
Nec propè (3) Symplegadas, durumq; (4) capharea puppim
Admoveas, (5) Maleamque procul transmitte sequacem.
Dum nostris Helle, dum finditur alta Propontis,
Sive procellosi per inhospita litora Ponti — In Ponto.
Errandum, tunc lentus iter per cærula carpes.
Semper & oram Asiæ lege puppe: nivosa rigentum
Neve Boristenidùm pete litora, neve nigrantum
Cimmeriùm sedem, & (6) Mæotidis ora paludis:
Et duros scopulos, & saxa sonantia nimbis,
Tollit ubi cœlo sese (7) Marpesia rupes.
Litus, & Europæ fugias, ubi lata per ora,
Atque humilem irrorans spumosa gurgite (8) Peucen,
Euxinum in pontum se devehit arduus Ister.
Ister, purpureas qui nunc revoluta per undas
Barbara Threjciùm tot millia turbidus altum
Corpora in Euxinum devolvit, & æquore mergit,
Quæ sacra Christiadùm sociatæ in fœdera dextræ
Demisere neci; dum Cæsar in agmine victor, — Viennæ liberatæ, & Barbarorum cæsi exercitus episodium.
Tot regna, & trepida gentes formidine solvit.
Barbara castra Polonus & hinc ferus ense tremendo
Fulminat, irrumpitque, manuque à vertice signum
Evellit, domiti monumentum insigne tyranni:
Hinc & magnanimus Thracesque, Arabesque solutos
Prosternit Lotharus, cædesque, & funera passim
Aggerat, & rigidum rotat implacabilis ensem:
Parte alia Bavarus pictis ardescit in armis,
Spumantique invectus equo, tonat undique ferro;
Insternitque Scythas, & funere mergit acerbo.
O magnum Fidei columen, regnique Latini,
Austriade Cæsar, vos & salvete beati,
Dilectique Deo Reges, quos laudibus omnes
Servatæ attollunt gentes, plauduntque receptæ,
Ite sub Auroram solio pulsare tyrannum:
Nunc tempus: nunc Fata vocant: dum clade recenti
Nutant regna: retrò & pavidus ruit Othomannus
Regnator; mixtimque duces formidine cœca
Præcipites unà, signis, fugere, relictis,

Per

(1) *Stretto di Negroponte*. (2) *Negroponte*. (3) *Eadem, ac Cianea*. (4) *Capo dell'oro*. (5) *Capo Malio*. (6) *Mare delle Zabacche*. (7) Caucasi pars ad Euxinum, aliis mons in Paro. (8) Insula Danubii ostiis objecta, *Pizina*.

Per ſaltus, & luſtra vagi: dumque æthere ab alto
Jam vobis Superi aſpirant, & Numen agit rem.
Tunc ego, vos Reges, ſi quid mea carmina poſſunt,
Et mihi ſi tantùm concedent Numina vitæ,
Lætus in aſtra feram: læti vos ibitis aſtris,
Addita Cœlicolis nova Numina. Sed vagus ardor
Quò me nunc rapuit? quæ puppim ad litora vexit
Oceano ex alto? vos ò procul ite Camœnæ
Pierides, ponti me nunc per cærula quando
Nereides ducunt, humili mea tempora muſco
Nectentes: lauro vos tum redimire poteſtis.

Ergo age, qua nunc arte ſecunda pericula ponti
Effugias, dicam; repleta eſt Numine quando
Mens propiore Dei, Muſiſque errare per undas
Cæruleas ardor novus incidit. Eſt labor ingens
Syrtes declinandæ, & ſcopuli. Declinare fuga ſyrtes, ſcopuloſque triſulcos:
Syrtibus Oceanus, ſcopuliſque armatur acutis.
Ac veluti cœcus baculo ſubnixus acerno
Ignotum prætentat iter, tractuſque viarum
Explorat, dumis ſi fortè, aut ſentibus horrent;
Et caveam, & longo rimatur ſaxa bacillo,
Quæ vitet, caſuſque procul depellat iniquos.
Haud ſecus, ignari quoniam verſamur in undis,
Sedulus ipſe ſua faciet de puppe magiſter:
Quà brevia, & cœcæ lateant in gurgite Syrtes,
Fluctibus & mediis interlita ſaxa notabit:
Omnia quæ in picti cognoſcet cortice mundi.

Aſt ego præcipuas, fugies quas per vada Syrtes,
Expediam. Libyæ litus quà barbara (1) Leptis
Quæ præcipuæ ſint ſyrtes, ſcopulique. Infeſtat mare piratis, fuge ſemper, & oras
Barcæas; duris æquor quà Syrtibus horret.
Hinc ſunt Sardois vitandæ in fluctibus (2) Aræ;
Saxa vocant Itali; Phrygias fregere carinas,
Cùm pius Æneas ſulcabat claſſibus æquor,
Ilium in Italiam portans, magnoſque Penates.
Syrtibus Ægyptus, brevibuſque latentibus omnis
Armatur: Syriæque fretum, Cilicumque triſulcis
Ora riget ſcopulis: latè maris aſperat undas
Clara Rhodos: ſaxis, & acuto murice Creta
Cingitur, & ſcopulis paſſim ſurgentibus omne

Ægæum

(1) *Lepis*, vel *Lepedas* urbs in Regno Tripolitano, ex cujus ruinis fortaſſe Tripolis crevit. (2) Scopuli duo, ubi pacta inter Romanos, & Carthaginenſes primum pax eſt.

Ægeum ſtipatur; aquis circumlita ſaxa
Naufragium intentant: nemoroſam puppe Zacynthum,
Atque Samum, & te etiam cautus, Corcyra, cavebo,
Leucadiam, (1) Strophadesque, & fluctifragam Cephalenen.
Cautus & Illyricos, & lapidis ora Timavi
Puppe legam: crebris ſpumant freta conſita terris.
Tuſca etiam rigidis denſatur cautibus ora,
Aſperaque è duris ſunt Gallica litora ſaxis:
Et demum alata fugiam (2) Balearidas alno.

Surgunt prætereà ſine re, ſinè nomine cautes
Oceano in medio, quas & vitare neceſſe eſt.
Illas in parvi ſignatas cortice mundi,
Inque ſuis, Palinure, locis ſpectabis; & inde
Deprendes alto in pelago, duce pyxide, & aſtris. — Novi ſcopuli in Mappis ſignandi.
Sunt etiam multæ indeprenſæ in gurgite Syrtes,
Quas & nullus adhuc inſcripſit in orbe magiſter:
(Omnia quis novit, quæ condit in æquore Nereus?)
At tu ſi ſolers cùm Doridos alta pererras,
Vel caſu, aut undis, & tempeſtatibus actus,
Deprendes nova ſaxa mari, evadesque periclum,
Illa orbe in picto deſcribe, locumque notato
Certis diſtantem ſpatiis à litore noto:
Sic alios facient tua dira pericula cautos.

At non Tellures ſpumoſa per æquora nantes
Prætercam, ſcopulosque vagos: Latonia qualis — Inſulæ natantes.
Ægæo quondam Delos, conſpecta moveri,
Quam (3) Myconæ tandem, (4) Gyaroque revinxit Apollo.
Tales (5) Cyaneæ Ponti de fluctibus ortæ
Errabant Thraces oras, & littora circùm.
Eſt lacus Ægypti ſub fines, herbida Chemnis — Chemnis in lacu natans.
Quam rivo, & nemorum felicibus occupat umbris.
Magna ſibi hic pius Arcitenens delubra ſacrare
Æthyopes juſſit: criſpatis fluctibus illa — Pomp. Mela lib. 1. cap. 9.
Enatat, & delubra vehit, ſylvasque ſequentes:
Perque lacum vaga velificat, quà flamine venti
Impellunt: ſimilisque natat per ſtagna (6) Saluſæ,
Plurima quæ gremio effoſſo fert inſula piſces.
Prætereà Atlante in magno fuit Inſula nuper
Spectata, antiquis olim non cognita nautis. — Inſula in Oceano Atlantico, quæ caſu cognita, numquam deinde viſa eſt.

Quæ

(1) *Santa Maura*. (2) *Majorca*, & *Minorca*.
(3) *Micoli*. (4) *Jero*, aliis *Caloiro*. (5) Inſulæ duæ ad os Boſphori Thracii, Italis *le Paonare*, incolis *Jercazes*.
(6) *Lago di Salces*.

Quæ Fortunatas inter non ultima terras
Surgebat, circùm densis visenda viretis.
Fortè illam ventis, pelagique erroribus acti
Lysiadæ tenuere, cavisque è puppibus oram
Egressi petiere omnem, lucosque virentes.
Furnerius *Hydrog. lib.* 19. *c.* 31. Verùm non multis post hinc labentibus annis,
Ceu ratis è portu crepitantia vela per undas
Fecit, & incertum Nereo devecta profundo,
Haud visa Hispanis illam quærentibus usquam est.
Sunt alia Oceano in vasto currentia saxa,
Quæ subito motu gremio Telluris in altum
Cur Insulæ natent? Avulsa emergunt; quoniam cava pumice multà,
Aut quia multa leves radices egit arundo
Subter, & hinc levior Tellus superenatat undis.
Ergo ea solerti sit semper habenda magistro
Cura, per ignotum dum currimus abiete pontum
Alata, incerto sulcantes marmora cursu
Velivolas noctu cautes vitare per undas.
Dicendum & quæ sint nautis solertibus artes,
Hærentes quibus à mediis subducere naves
Syrtibus, aut brevibus possint, si fortè procella
Illis impulsæ, atque undis spumantibus actæ,
Quibus artibus è syrtibus educendæ naves. Inciderint: primùm merces educere puppi
Atque onera, ingentesque trabes, gravitantiaque æra;
Festina: hinc contis urgendæ, & vectibus illæ.
Aut funes circùm scopulos, cautesque revolve;
Mox magno famuli nisu propellere certent.
Aut æstum pelagi refluentis, & æquora plena
Expecta, ut sese, fluctu veniente, carinæ
Syrtibus educant, vel circùm robora plures
Subter aquas duris religandi pellibus utres;
Utribus intus enim conclusus inanibus aër
Nititur in summum semper, viquc allevat alnos.
Nocturnum dum carpis iter, densataque saxis
Æquora transmittis, perquire, ubi gurgite syrtes
Insidias tendant, & acuto murice rupes.
Noctu maximè è syrtibus cavendum. Ne deses somno, aut nimio frangare labore.
Quippè salus agitur vitæ: quot nocte serena
Saxa rates, pigrosque simul frangere magistros.
Me quondam, dives quà mergitur Himera ponto
Æolio, memini juvenem vidisse Sicanum,
Quem patriæ ad litus gelidum maris egerat unda.
Oceani (infelix!) præter vada, vectus Eoum
Supra Indum, & Gangem, Serum pervenit ad oras.
Lætus ubi æstates transegerat advena multas,

Jam-

Jamque novos doctus mores, cœloque suetus
Externo: verùm patriæ compulsus amore
(Dulcis amor patriæ: Tellus nec gratior ulla est,
Quàm quæ nascenti primas dedit ætheris auras)
Europam remeat trans litora, transque sonantem
Oceanum, atque Italis tandem delabitur oris.
Hinc lembo in patriam vehitur, rectore Sicano,
Tyrrhenumque auris relegit felicibus æquor.
Non procul à patria pura sub nocte secabat
Lembus aquas, vento numquam laxante rudentes.
At victi somno nautæ per transtra jacebant,
Et puer obscura clavum sub nocte regebat.
Funditur hic etiam somno: temone relicto,
Impegit saxis & procurrentibus alnus.
Commotæ cautes, & acuto in murice rostrum
Obnixum crepuit, collisaque prora pependit.
Extemplò nautæ somno, vinoque sepulti
Demerguntur aquis. Adeò vigilare per undas,
Infamesque rati scopulos defendere multum est.
Ille sed optatas patriæ Telluris ad oras
Mergitur infelix, mortique occumbit acerbæ;
Cùm nullæ purum velarent aëra nubes,
Et nulli tristes turbarent marmora nimbi.
Qui toties vasti sulcaverat æquor Atlantis,
Et rapidos undis toties Typhonas Eois
Fregerat, & centum vitaverat impiger Aras.
Heu Vatum ignaræ mentes! qui sedulus unquam
Talia Fata viro è cœlo cecinisset haruspex?
Fidentes animis majora pericula sæpè,
Ah miseri! superamus: at hinc vitare minora
Fata negant. Obstat rerum irrevocabilis ordo.

Miserandum Siculi hominis, indictumque naufragium.

Ignarus scopulis si fortè occurris, ab alto
Confestim nautæ demittant vertice velum,
Aut cursum certent remis inhibere morando.
Si longè cautes aspexeris, atque potestas
Evitare datur, clavum torquere, magister,
Festina, longos & circumflectere cursus.
Quà mare inoffensum, nec fracta remurmurat unda,
Carpe fugam: vacuum dabitur via tuta per altum.
Qualis ubi currus solers auriga volantes
Egit, & euripedes campo commisit aperto,
Utque via saxum, foveamque advertit iniquam,
Inflectit temone rotam, evaditque periclum.
Verùm signa tibi cœcas prodentia Syrtes
Accipe. Cùm pelago surgit levis unda quieto,
Volvunturque locis densata volumina certis,

Quid cùm in scopulos incidimus?

Syrtium signa.

Illic infames deprendes, navita, rupes,
Et vada ubi ponto brevis æſtuat unda refuſo.
At ſi turbatus fremit imo à gurgite Nereus,
Quà fracti nimium ſpuma incandeſcere fluctus
Aſpectantur, ibi cumuli, cautesque rigeſcunt.
Hæc ſuper, Ignotas cùm te devexit in oras
Ventus, ne pronas illis appellere puppes
Bolide altitudo aquarum inveſtiganda, Feſtinus, Palinure, ſinas, demiſſa priusquam
Linea rimetur fundum; ſi ſurgat aquarum
Tanta imo moles de gurgite, quanta carinas
Ferre poteſt: medio pariter tibi (1) linea fundum
Oceano exploret, cùm jam vicina pateſcunt
Æquora, ubi ſubter cumuli denſantur arenæ.
Veſtiget tibi prætereà gravis ære (2) Molorthus,
Commoda ſi ratibus ſtatio: quæ ſubter arenis
Sternitur, apta: nigro verùm quæ plurima limo
Aut ſcatet, aut latè duris riget aſpera ſaxis,
Firmandis ſemper cenſetur iniqua carinis;
Et an ſtatio navibus apta. Nam malè cœnoſo firmabitur anchora fundo,
Nec benè præruptis cum dente hærebit adunco
In ſcopulis; & acuta revulſo marmora funes
Diſrumpent: priùs ergo mari demitte Molorthum;
Illum autem viſco, aut molli circumline cera.
Hinc cùm deduces, referet ſi multus arenam,
Apta rati ſtatio, ſi cœnum, incommoda: duras
Si verò in cautes impegerit; ilicet ipſe
Infidum fuge litus, & æquora rupibus aſpera.
Inſuper his, portus nigra dum nocte ſubintras,
Noctc intempeſta cautè pharos perquirenda. Quæ ſit vera Pharos, quæ lumine litora pandit,
Impiger explora, & certis cognoſcere ſignis
Nitere: ſæpè rates mediis periere ſub umbris
Indeprenſæ errore Phari, dum litore multæ
Irradiant flammæ, agricolæ cùm collibus altas
Accendere pyras, vel cùm de nocte per urbes
Feſtivi radiant paſſim de mœnibus ignes.
At tibi nunc, Siculis quod claſſibus (3) accidit olim
Nar-

(1) Hoc eſt bolis, *Il Piombino*, *ò Scandaglio* Itali appellant. (2) Idem, ac bolis, à plumbo rectè deſcendente dictus. (3) Siciliam pro Rege Catholico moderante Urſonis *Oſſunæ* Duce, Claſſis Siculæ ſeptem inſtructa triremibus, prætore Octavio Aragonio in Orientem ſolvit, & cùm ſeptem Turcharum triremibus occurriſſet, pugnam iniit, brevique prælio captæ omnes: vitrix mox cùm rediret nocte, & tempeſtate ſuperveniente, errore Phari magna ex parte naufragium fecit in portu.

Narrabo, Palinure: (juvat meminisse malorum,
Quæ caveas) Victrix remeabat classis Eoo,
Exuviasque ducum, captumque insigne tyranni
Threicii, & victas referebat in agmine puppes.
Jam multo exhaustos cursu demerserat undis
Phœbus equos, primo volvi cùm sydera motu
Incipiunt, trepidis & scintillare videntur
Luminibus, spectata mari descendere ab alto
Arcibus è summis tunc est, & mœnibus urbis
Classis, & Austriacis vexilla undantia signis.
Captivæ bello puppes, monimenta triumphi,
Ponè sequebantur: longè trans litora classem
Protinus ut videre, canoro murmure cives
Conveniunt, omnisque ruit sensata Panormus
Visendi studio, plaususque ad sydera jactant;
Accenduntque faces, lætosque in mœnibus ignes.
Extemplò dira Boreas comitante procella,
Ex Ursa ruit improvisus: in æquore fluctus
Incandent, raucoque fremunt stridore sub auras.
Densatur cœlum nimbis, tonitruque remugit,
Quo campi, & valles, atque ardua pulsa tremiscunt.
Tunc velum in ventum dat concita classis, & auris
In portum contendit: at inscia quà Pharos igne
Luceret fido: crebræ per litora quando
Ardebant flammæ, mediis pars syrtibus hæsit,
Pars scopulos inter prona incidit: haud mora, cunctæ
Illisæ crepuere rates, sonitumque dedere.
Victores, victosque trahit sors una vicissim.
Heu miseros! per saxa animam, fluctusque rapaces
Effudere inter sociorum murmura læta.
Sæpè insperatos felicia gaudia luctus,
Et lacrymas verso pepererunt ordine risus.
At vos soliciti portum explorate, magistri,
Et fidæ vobis radient quo litore flammæ.

Siculę Classis naufragium ex errore Phari.

Solerti nec cura minor Rectori adhibenda,
Ut pelagi fugiat prædones, qui freta passim
Cædibus infestant, execrandisque rapinis.
Ergo tibi assiduus malo speculator ab alto
Nunciet, alatæ violent quæ Dorida pinus:
Invigiletque mari semper; sed prima rubescit
Cùm fuscis Aurora rotis, solertior omnes
Perlustret tractus oculis, ne forte tibi hostes
Se se improvisi objectent, atque ære lacessant.
Non secus alta cito cùm promontoria cursu,
Præruptosque legis scopulos, aut fluminis ora,

Qua industria piratæ eludendi.

Solicitus facies; quoniam convalle reducta,
Et sæpè infames latuere crepidine Mauri.
Prætereà, fugiens si curris, nitere semper
Ne ventum tibi præripiant; sic tutus aperto
Errabis pelago, donec te contegat atra
Nox veniens, & opem ferrugine mittat amica;
Quare cœlum humentes, cùm obduxere tenebræ,
Tende iter obliquum, quò non fert aura carinas:
Aut flecte; atque Afros sic ipse latebis iniquos.
Quorundam inventum est, celsa de puppe resectum
Ingeniosum Liguris navarchi inventum.
Doliolum, cui clara Pharos suspensa coruscet,
In fluctus sensim demittere, quod tamen undis
Enatet in mediis rectum: sic stare carinas
Immotas placido piratæ in gurgite credent:
Ast illæ intereà securæ Nerea currunt:
Sed ridet festiva dolum instruxisse juventus,
Piratas cælo qui frustraturus aperto est.
Sic quondam fecisse Ligur narravit Jolcus,
Cum Sardoa gravi sulcaret cærula pinu:
Et (1) Rhodii fecere duces, dum classibus Hellen
Prætereunt, nigræ per amica silentia noctis.
At nunc, quo fervent æstu maria alta refuso,
Quæ loca, qui cursus, quibus & Lunaribus horis,
Vestigemus, & à scopulis diversa petamus.
Concitus alterno procurrens gurgite pontus,
Nunc celeri in terras cursu ruit, atque refusis
Fluctibus infundit, scopulosque superjacit undas.
Maris æstus.
Spumeus at retrò nunc cedit, & humida salsi
Purgamenta maris, revolutaque saxa resorbet;
Nudatumque solum, fluctu labente, relinquit.
Ac veluti geminæ cojere in prælia quando
Mixtæ acies, & se longis hastilibus urgent.
Fortior illa premit, subnixaque viribus instat:
Hæc cedit, retròque fugit: subitumque sub auras
Clamorem attollit, flammantiaque ora reflectit:
Illa fugit, penitusque datis se mandat habenis.
Haud secus in terras irrumpit fervidus undis
Oceanus, refugisque iterum se fluctibus aufert.
Sed quæ caussa fretum confestim gurgite ab alto
Tempore sub certo tollat, rursusque remittat,
Non facilis quæsitu, omnique incognita vulgo est.
Ardua

(1) Equites Hierosolymitani, qui à Rhodo Rhodii, à Melite nunc Melitenses vocantur.

Ardua mens hominum explorandis rebus, & acre
Ingenium has pelagi refugas impegit in undas.
Usque adeo verum est, certas perquirere caussas,
Et sita principia, & cunctarum exordia rerum
Difficile esse: tamen varia est sententia multis.
Namque alii vastos sorberi in Tartara fluctus
Rentur, & occulto subter tranare meatu;
Inde vomi rursus, subitosque ad litora ferri.
Esse alii Mundo vitales ætheris haustus,
Et partem superæ mentis dixere; tumentes
Sic & anhelus aquas, cùm naribus accipit auras,
Contrahit absorbens, illas, cùm reddit, in altum
Attollit, terrasque, vado exundante, refundit.
Sunt quibus hæc melior risit sententia menti:
Scilicet è cœlo vertigine rapta diurna
Surgere nunc æstu maria, & refluentibus undis
Demitti: vasto multis sub gurgite visum est
Ebullire fretum, latèque assurgere fluctus;
Quippè putant vacuis magnæ Telluris in antris
Conclusos ignes cœcis ardere caminis.
Verùm alii mira novitatis imagine capti
(Non levis hic stimulus: suus incidit omnibus ardor
Vestigare nova, & rerum consingere caussas)
In mundi medio Phœbi torpere jugales,
Ac circùm immenso terras versarier orbe:
Cunctaque præcipiti pariter vertigine ferri,
Ætheraque, tractusque maris, nubesque volantes,
Audaces dixere. Adeò dementia mentes
Mortales vexat: certas inquirere caussas
Non hìc verus amor, rerumque exordia nosse;
Sed nova fingendi genius, seu dira cupido est.
Hinc terræ trepidare sinu maria acta putarunt;
Alternaque fuga tumidos fervescere fluctus.
Ipse sed Oceani spumantia cærula duco
Reginæ arbitrio Lunæ, imperioque cieri,
Vimque illi arcanam, motu quæ concitet undas,
Esse puto: parent Lunæ freta turgida; quandò
Illa abeunte cadunt maria, & veniente tumescunt.

Æstus caussæ.

Non tamen Oceani terrarum est unus ubique
Æstus, & in certis non semper tollitur horis.
Sive id aquæ vitio eveniat, vitiove locorum;
Vel quoniam (nec fallor) erit non una marini
Caussa æstus: interdum aliæ in contraria caussæ
Res agitant, viresque aliarum sæpè morantur.
Hinc per conclusæ Thetidos vada parciùs undæ

Varius in mari æstus.

As-

Assurgunt, refugoque iterum vix gurgite sidunt.
Verùm in secessu superi maris altus ab Ortu
Adria turgescit, longèque infundit arenas.
Sed magis Oceanus perfusis æstuat undis
Ultra Abylam, & Calpen; magno quia scilicet illic
Corpore per cunctas latè diffunditur oras;
Fluctuat & magis: aurato quà flumine ripas
Humectat virides Tagus aurifer, altiùs æquor
Tollitur, & campos, & rura virentia fluctu
Longè operit, totamque oram perfundit Iberam.
Verùm quà cœlo se saxa (1) Gobeja tollunt
Armonicum propter litus, quando unda resedit,
Ingenti circùm tractu nudata patescunt
Litora, nudatique etiam per litora pisces,
Ceteque, Vitulique, & fluctivagæ Balænæ.
Sæpè etiam & siccis puppes spectantur arenis.
Major ubi gelidis semper riget Ursa pruinis;
Bacchatur terris maris æstus, & unda tumescens
Latè humiles sorbet Batavos, humilesque Britannos:
Norvagos (2), Cymbrosque simul, Gottosque nivales.
At Libyæ ad litus, quà (3) Gis vagus alluit, & quà
Contra elata mari spectatur maxima (4) Cerne,
Perque Arabum fines, Erythræaque litora circùm
Fervescit pelagus vehementior, & tumet altus.
Verùm Eoa per æquora lata, per Asida longè,
Et quà gemmiferæ vicinia Persidis Indum
Accipit, & nitidis circùm (5) Carmana lapillis
Litora læta, modum suprà furit æstus, & ingens
Præcurrens tantum Nereus Telluris inundat,
Quantum vix uno peragit sub Sole viator.
Non tam præcipites effusi è carcere currus
Corripuere viam, & laxis agitantur habenis:
Ut cùm perrumpit, tumido jam gurgite, pontus
In terram, refugus vel cùm delabitur inde.
Non fuga servaret gentes per litora Eoas;
Ni custos fumo daret alto à vertice signum,
Cùm terram aggreditur curru Neptunus aquoso.
Hæc loca, Tethys ubi Lunaribus æstuat horis,
Nauta, fuge, & celeres infida ad litora proras

In Oceano vehementior.

At maximus ad Asiæ litora.

Ne


(1) Promontorium Galliæ in ora Britannica *S. Malò*.

(2) *Norvegi*. (3) Idem àc Nigir, Nilo par fluvius, *Fiume Negro*. (4) Quæ & Menuthias, maxima Africæ Insula, *Madacascar*. (5) *Kirman* Persidis regio.

Ne vertas, tranſverſâ ferat ne fervidus illas,
Dum ruit, Oceanus, nudo vel litore retrò
Deſerat aufugiens. Foveas fecere cavatas
Litoribus paſſim, tutæ conſiſtere ut illis,
Subſidente, rates poſſent, trans litora Nereo.
Quin opus eſt, ut miſſa mari gravis anchora puppim
Fundet aquis; nam ſæpè graves violentior æſtus
Secum unà abripuit, refluenti gurgite naves.
Præterea ſit cura tibi cognoſcere, fervens
Tempore quo ſurgit, vel quo delabitur unda.
Ne patriam, Palinure, relinquas puppibus oram,
Oceano veniente; cita ſed deflua curſu
Cùm jam litoribus ſubſidunt æquora ſiccis:
Utque coronatis advertas oſtia ſylvis,
Cùm ſurget veniens, non cùm ſubducitur æquor.
Dum vaga conſurgit radianti Delia cornu,
Atque orbem ſextæ fugiens interſecat horæ,
Paulatim ſurgens creſcit mare: vertice ſummi
Illa ſed in medio cùm jam libratur Olympi,
Conſiſtit ſalis æſtus; aquæ non ampliùs ultrâ
Aſcendunt: refugæ ſed retrò fræna retorquent.
Hinc ubi deſcendens orbem luſtravit eundem,
Invadunt iterum ſpumantia marmora terras,
Quo tandem Manes deſcendat Cynthia ad imos.
Hinc ut candentes agit alto à cardine cervos,
Vertuntur maria, & retrò ſublabitur unda.
Tarda maris quoniam de gurgite Luna reſurgit
Semper (amat ſomnos & amica ſilentia Luna)
Tardiùs hinc (dominæ mores imitatur) & ipſe
Oceanus ſumit violenti exordia motus.
Quotque dies abiere retrò creſcentis ab ortu,
Tot cedant momenta vagi primordia curſus.
Præterea cùm Luna novos jam colligit ignes,
Tunc minùs ex imo tolluntur gurgite fluctus:
Sed cùm per cœlum pleno jam lucida cornu
Incedit, magno tum Nereus intumet æſtu,
Namque etiam dominæ novit diſpendia Lunæ
Oceanus: ſimul & creſcentia cornua ſentit.

Quo tempore incipit æſtus.

Minor in Lunæ ſilentio, major in plenilunio.





NAUTICORUM
LIBER SEPTIMUS.

SED jam nunc puppes animosior impulit aura
Trans Abylæ metam, Oceanoque immisit aperto;
Creber & Eoo veniens immurmurat Eurus:
Conclusæque retrò cesserunt Thetyos undæ.
Ergo animus, dum ventus agit, dum spirat Apollo,
Oceani fluctus audaci currere pinu.
At tu, quæ vitreo subvecta per æquora curru,
Cæruleum metiris iter, cœtuque beato
Nereidum sociata volas, Vati, aurea Dori,
Pande viam, tecumque feras, precor, ò Dea, magnum
CARDENIDEN curru sublimem, Euroque secundo,
Hoc duce perpetuis sulcabimus æquora velis,
Felici intendent semper quæ flamine Cori.
Ergo age, CARDENIDE, & quò te vocat æmula Doris,
I, sequere: & mecum juvet ire, & quærere sedem
Purpuream Eoi: & primi confinia Mundi,
Suprà Indos, Seresque suprà, (1) Chrysenque repostam,
Solis, & Auroræ in thalamos Titanidis usque:
Nec non & nova regna, novasque inquirere gentes
Axe alio, quà nulla polum decircinat Arctos:
Et nova monstra maris, nova sydera: trans & Atlantem
Externum lustrare Orbem, nova litora, & urbes,
Atque

(1) *Giappone* ut Briettio, & aliis placet, etiamsi Japoniam alii Jabadii Insulam putent. Marcus Polus Venetus Zypangrin vocat, celeberrima in Oceano Sinico Insula ad Ortum posita.

Atque alios portus, quò per tot secula nullæ
Ire rates ausæ, & curvis sulcare carinis
Fluctibus horrendum Oceanum, horrendumque procellis.
Magnum equidem tentamus opus: sed magna sequetur
Gloria, læva sinunt si Numina, & audit Apollo:
Et qui me facili toties per cærula nutu
Magnus SABERIDES servavit. Age, æthere ab alto
Dive veni, & ventos immitte in vela secundos,
Ac tumidum pavidis substerne Atlanta carinis;
Namque potens pelagi Deus es: via nulla per undas
Te sinè tuta patet, trepidatque in gurgite pinus.
Ergo adsis, cœptique operis hanc perfice partem.
O mihi, si liceat, cœlo, pelagoque remenso,
Litus in Eoum servatam advertere puppim!
Hic tibi Carmano templum de marmore ponam
Propter aquas, multo Ganges quà turbidus auro
Per septena vago devolvitur ostia cursu.
In medio templi stabis mihi Numen, & aram
Purpureis textam gemmis, auroque tenebis.
Hùc tibi servati spumosa è Doride nautæ
Dona ferent, fundentque preces, & vota resolvent.
Primus ego (si tanto unquam dignabor honore)
Romulidùm de more sacro velatus amictu,
Et nitida chlamyde, & Tyrio conspectus in ostro
Dona feram, sacroque incendam altaria thure.
Sanctam libabo Cererem, sanctumque Lyæum
Cernuus; èque manu mittetur victima nostra
Multa Patri. Sed jam festas indicere pompas
Ad delubra juvat, cæsique insigne Tonantis,
Ac pictas auro tabulas, & figere dona
Parietibus latè circùm, contextaque Serum
Vellera, purpureosque tholo suspendere honores.
In foribus pugnam ex ebore, & nitido argento
Gangaridùm faciam, fractumque peritus in auro
Cælabo (1) Badagem, & victricia signa Quirini.
Atque hìc Romanis ascriptum legibus Indum,
Ac rutilum sacro lustratum in flumine Gangem:
Addam urbes Asiæ, servataque regna rubentis
Auroræ, sacris tot & addita sceptra Latinis:
Bisque triumphatas (2) Chrysæo in litore gentes,

Vatis votum pro Indica profectione.

(1) Barbari, qui Indicæ peninsulæ montana colunt.
(2) Scilicet Japonico; sunt & Chrysii aureæ Chersonnesi populi.

Taprobanem, Sindasque, & odoriferas (1) Moluccas:
Et captæ ſtabunt puppes, & victus (2) Achenus.
Sub pedibus pingam Furias, amnemque ſeverum
Cocyti, & dira fuſum cùm gente Tyrannum.
E niveo ſculpam ſaxo, ſpirantia ſigna,
Luſtratos reges, aſcriptaque nomina cœlo.
Intereà magnum Oceanum, fluctusque ſequamur
Intactos, tua, SABERIDE, non ultima dona.
Ergo age: rumpe moras: vocat alto à vertice pontus,
Indusque, Gangesque, & divitis æquor Erythræ:
Et vocat Heſperio ſub Sole (3) Argenteus amnis,
Virginei (4) fontes, auroque inſignis (5) Amazon:
Et vox aſſenſu marium ingeminata reſultat.
Mox ego victrices accingar dicere palmas,
Æternùmque tuum proferre in ſecula nomen.

Oceanum navigantibus; quid priùs opus ſit.

Seu quis odoriferas Eoa per æquora terras
Puppe petit, crocei ſeu quis ſub Veſperis ora
Ammerices quærit populos, hic cortice pictum
Oceanum primùm, & vaſtiſſima cærula noſcat;
Ac maris ambages varias, curſusque viarum.

Oceani cum Mediterraneo per fretum Herculeum factum commercium. Nam olim ſejunctus Libyæ iſthmo; ita antiqui apud Strabonem lib. 10.

Trans Gades magnum ſpumoſis fluctibus æquor
Panditur (Oceanum Graii dixere vocantes)
Cum quo clauſa Thetis (cecinit ſi vera vetuſtas)
Nulla olim immiſſo junxit commercia Nereo.
Iſthmus erat medius, terræ diſcrimine parvo
Qui Libyam Europæ jungebat, & utraque Tellus
Una erat: at crebrò veniens vi pontus, & undis
Paulatim exedit terras, medioque refuſus
Europam tandem è Libya dimovit, & alta
Diducta ex (6) Abyla tunc (6) Calpe, & litora, & urbes:
Ac primùm Thetis Oceano dignata marito eſt.
Tantum pontus edax, & edacia ſecula poſſunt!
Fluviorum pater Oceanus, rex magnus aquarum;

Qui-

---

(1) Inſulæ Eoi maris, ex quibus ingens aromatum copia provenit, ſuntque ſub ipſo Æquatore ſitæ.

(2) Populi Sumatræ in ora Boreali *Achen*.

(3) Ingens Americæ Meridionalis fluvius ab arenis Argenteis ſic dictus *Rio de la Plata*. (4) Qui ſunt in Virginia Septentrionalis Americæ Provincia. (5) *Rio de las Amazones* Hiſpani vocant, perhibent enim hujus fluvii ripas Amazones incolere. (6) Gemini montes, qui & Herculis columnæ dictæ, Abyla Africæ, vulgò *Almina* appellatur: etſi alii aliter autumant: Calpe Europæ *Gibraltar*.

Quique sinus centum, centum fluit æquora circùm,
Atque plagas omnes terrarum fluctibus ambit.
Quin subtus terras & præterlabitur omnes
Per cœcos aditus, perque horrida Tartara Ditis.
Ceu toto in tenues diffusus corpore venas
Insinuat se sanguis, agitque per omnia vitam.
Stagna, lacus, perhibent, hinc, & vaga flumina, fontes,
Eque cavis quicquid saxis distillat aquarum;
Oceano ex alto consurgere; namque ubi pontus
Descendit magnæ per crebra foramina terræ,
Quà via cæca patet, superas se rursus in auras
Emittit saliens; nam quantùm vertice ab alto
Descendit maris unda, salit de gurgite tantùm.
Hinc Tagus auratam volvens cum flumine arenam
Erumpit. Bætisque alba præcinctus oliva:
Et qui tot terris, tot nomina gentibus Indus
Caucasea de rupe fluens imponit, & ipse
Purpurea Ganges unda, (1) Tanaisque nivalis:
Ac gelidis venit (2) Oxus aquis, & dives Hydaspes,
Et Lycus, atque Hermus, fontesque binominis Istri:
Nilus & Ægyptum nigra qui ditat arena,
Usque cacuminibus Lunæ devexus ab altis,
Et Gis Æthiopum fama notissimus, & qui
Spumeus Alpino Vesuli de vertice currit
Eridanus, sceptrisque potens Tyberinus, & ipse
Pauper aqua, at multo dives Sebethus honore.
Orbe sub occiduo Panucus, & alta fluenta
Amnis Amazonidum, centum qui flexibus errat,
Et sata rura rigat latè felicia centum:
Cæruleisque (3) Canada vadis, flavusque Siopis,
Quique mari magno fluit ore Argenteus amnis,
Et gemmas secum, & nitidas subvectat arenas.
    Hìc freta trans Abylæ geminis se cornibus ingens,
Porrigit Oceanus: dextrà petit arduus Orbem
Ammerices, latèque omnem complectitur undis:
At læva Libyam præterluit usque remotum
Acronoton, Manesque fluens descendit ad imos.
Eoum hinc saliens latus alluit: & vagus inde
Supra Arabem, Persamque suprà circumfluit Indos.
Mox iterum ascendens gelidas iter urget ad Arctos:

Ex Oceano flumina emanare. Varis opinio.

Varia fluviorum nomina.

Oceani circuitus.

(1) *Don*. (2) *Ithun*, & *Ghion*, qui in Caspium se exonerat. (3) *Canadà* fluvius, seu potius ingens lacus Septentrionalis Americæ.

Lanigerosque lavat Seres, Chryfenque rubentem.
Hinc & regna petens Boreæ damnata fub axe,
Sarmatiam, Scythiamque rigat, rigidoque relicto
Axe iterum, niveos curfu fecat ille Britannos:
Moribus & niveam fluctu circumdat Hybernen.

Oceani quondam antiquis impervia nautis
Oceanus olim intactus. Æquora: turritæ nec fulcavere carinæ
Id pelagi, ad Solem quod fe diffundit Eoum,
Et quod in Hefperium procurrit, & omnia cingit
Ammerices nova regna: cava trabe currere fluctus
Oceani tumidos, montesque irrumpere aquarum
Non aufi, ignotumque fretum tentare magiftri.
Proxima majorum Fatis melioribus ætas
Superiori feculo tandem tentatus. Id tandem aggreffa eft: potuitque ingentibus aufis
Oceanum fuperare, rubrosque venire fub Indos.
Multa fed ante tamen cefferunt irrita vota
Rectorum, multusque labor profufus inanis.
Agmine nimborum metuendus, & ignibus Atlas
Terrebat nautarum animos, qui fæpè furentem
Tentavere finum, & cautes fuperare rigentes;
Sed primum incaffum. Arduus ipfe etiam præruptis montibus alnos
Oceanus retrò pepulit, nautasque coëgit
Vertere terga fuga, & magnis defiftere cœptis.
At non conatus animorum, audaciaque aufa
Omninò cecidere: per invia cærula Atlantis,
Perque hyemes iterum rigidas, nimbosque fonantes
Sternere iter tentarunt, magnum & fub juga pontum
Mittere: fed pulfi laceris abiere carinis
Retrò iterum: ceciditque animis fpes omnis, & altus
Non dictus (1) Mons eft, & dicta innabilis ora.
Sic intactus Atlas, multosque inarata per annos
Amphitrite eft. Cùm tandem felicibus aufis,
Mox feliciter Vafai Ducis Aufpiciis. Henrici (2) Ducis aufpicio, ducentibus & Diis,
Lyfiadæ petiere duces: non horrida nimbis
Æquora, non pelagi montes timuere tumentes.
Ac velut in tergum fi quando pulfa receffit

Mœ-

(1) Atlantis jugum, *Capo Non*. (2) Joannes I. Lufitaniæ Regis filius, qui primus in Africam iter aperuit duabus Lufitanis navibus miffis anno 1240. mox Atlantis promontorium fuperatum eft anno 1430. poftremò Vafco Duce trans ultimum Africæ promontorium in Indiam penetratum eft anno 1497.

Mœnibus ex altis acies, quæ ſcandere primùm
Auſa fuit, mixtimque abiit formidine cœca;
Spemque omnem belli deponit, & arce potiri.
Aſt ubi conſpexit ſpecula ſublimis ab alta
Contuſas acies, fuſoſque redire maniplos
Magnanimus Dux, ingentique incanduit ira,
Urget equum impatiens, tortasque relaxat habenas:
Ocyùs & vento, ut verſum pervenit in agmen,
Increpitat primùm dictis, ſiſtitque ruentes:
Addit & hinc ſtimulos animis, & laudis honores.
Extemplò commotæ acies ad mœnia vertunt
Seſe præcipites, Martemque, hoſtemque laceſſunt.
Tela per, & glandes, & Martia flumina, & ignes
Irrumpunt; muros ſcandunt, & turribus altis
Vi potiuntur: Honor ſtimulis præcordia pulſat.
Non ſecus Oceanum ſuperarunt, & vada cœca
Lyſiadæ; poſtquam ſtimulis generoſus adegit
Dux altos animos, laudiſque adjecit honores.
Non formidandi vertex ſublimis Atlantis,
Nec triſidis disjecta polo Acroceraunia flammis
Audaces fregere animos: Nec terruit ingens
Fluctibus Oceanus: ſed itum eſt in litus Eoum
Per maris abruptum. Rerum diſcrimina nulla
Altæ laudis amor formidat, & invia nulla
Semita virtuti; nam ſentibus aſpera mollit
Gloria. Neptuni præter vada fervida vexit
Idæas animoſa virùm ſolertia puppes.

Verùm age, & Oceani tumidos quo ſydere fluctus
Vertere conveniat, terras & adire repoſtas,
Accipe. Cùm pelagus candenti corpore Cygnus
Pronus adit, nitidis Arcturus & emicat aſtris,
Herculeos fines, & amicos, navita, portus,
Quà Tagus Oceano rutilis ſe miſcet arenis,
Deſere; blanda novo ſub ſydere ſcindere pontum
Tempeſtas aperit tunc ſe; veniuntque ſecundi
In velum Zephyri, verùm ſi carcere currus
Seriùs emittas, cœlo cùm lucida Tauri
Occidit, ardenteſque pedes exarmat Orion,
Haud equidem Phœbi ſedem luſtrabis Eoam
Incolumis: retrò puppes aget Auſter ab axe
Auſtrino veniens, vel ſi contendere contrà
Audebis, Libyæ infames frangeris ad oras:
Aut alium tandem venies jactatus in Orbem;
Braſiliæ ad cautes, aut barbara litora terræ
Caribanæ: Thetidi quà ſe vagus addit Amazon.

Qua tempeſtate in Orientem per Atlanticum navigandum.

At (1) portum, Arctoam quà Dorida verberat undis
Sequana, Pegaseum nitido cùm sydus Olympo
Tendit iter pennis; & jam novus incipit annus,
Deserit, & Phœbi Gallus petit arva rubentis.
Mense sed exacto solvunt de (2) Vecte Britanni
Gangaridùm in regna: at gelida vada tuta relinquunt
Texeliæ (3) dites Batavi, charosque Penates,
Cùm Tauri medium Titan secat aureus orbem.

Nullæ profectioni moræ innectendæ.

At quicumque petis trans æquora litus Eoum
Ocyùs insistas cursu, Zephyrisque secundis,
Abrumpasque moras opus est; Namque omnis in alto
Prospera Fortuna, & felix stat meta viarum
Concessis ventis, & tempestatibus uti.

Ex Europa in fortunatas insulas principio cursus intendendus.

Sed postquam cœli certo sub sydere ventos
Accepere sinus, celeres, Palinure, carinas
Dirige, Fortunæ præfert quà plurima nomen
Insula: prima tui sit & hæc data meta laboris.
At tibi quæ magno metuenda pericula ponto
Intendent, canere aggredior. Vitare memento
Naufragum Libyæ litus, penitusque sonantes
Atlantis scopulos: furit hic spumantibus undis
Arduus Oceanus, strepitatque procacibus Austris.
Stringe rati dextram: & nimbos ridebis, & undas.

Contrà maris motum ab Ortu in Occasum eniti opus est, & undè hic Oceani motus.

Ille sed in primis vasti per cærula Atlantis
Est labor exuperandus: Aquæ nam præpete cursu
Semper in Occasum, Solisque cubilia tendunt;
Seu quoniam summi vertex dum fertur Olympi
Pronus ad Occasum, retròque relinquit Eoum,
Inclusos Orbes, & sydera, & aëra, & undas
Oceani rapit, & celeri trahit omnia gyro.
Qualis ubi magna rapitur vi fervidus axis
Ingenti cum mole rotas, currusque volantes
Abripit; & summa retrò vi rapta sequuntur.

Alia ejusdem motus caussa.

Sive quia (hæc melior sententia visa magistris
Namque aliis) cœli per culmina cùm rapidus Sol
Volvitur, immensis fervoribus excoquit alti
Oceani fluctus, tenuesque resolvit in auras,
Ergo ubi jam multus mediis è fluctibus humor
Attenuatus abit, subsidunt æquora fundo:
Hinc loca vicinæ succedunt protinus undæ
In devexa; vagus quoniam se semper in orbem

Ver-

(1) *L'Haure de Grase*, Galli vocant. (2) Insula Britanniæ, *Vuight*. (3) *Texel*, insula, & portus Batavorum.

Versat, agens cùm luce diem Sol almus Olympo,
In declive fluit mare semper, & orbe rotatur.
Longior idcircò cursus, cùm Solis ad Ortum
Tendimus: objectum puppes mare tardat euntes.
At verò Occasum, brevior, cùm quæris, & oras
Ammerices; nam prona ferunt ipsa æquora puppes.
Est major tamen hìc motus, quà torrida Mundi
Zona rubet; veloci & aguntur cærula cursu.
Attenuat quoniam Sol ferventissimus undas
Oceani magis; aut quia se velociùs ipse
In medio versat cœlo vastissimus orbis.
Est pariter varius variis in partibus altæ
Cursus aquæ, & varias etiam deflectit ad oras,
Auroræ hinc docti quærunt cùm regna magistri,
Lentus ubi motus; descendunt: deinde sub Ortum
Veloces recto ducunt temone carinas.
Major ubi, veniunt, cùm longè Atlante repostos
Vespere sub nigro inquirunt per cærula portus.

Longior in Orientem cursus, brevior verò in Occidentem.

Est etiam labor ille tibi, luctare fluentis
Oceani, fluctus & declinare ruentes.
Nam vaga in Occasum cùm perfluit Amphitrite
Litora in adversa, atque in procurrentia saxa
Incursat violenta, nec ultrà excurrit inundans,
Spumea confestim refluit sed pulsa retrorsum.
Qualis ubi ripis devexior incidit amnis,
Allisus resilit, retròque reverberat undas.
At quoniam in terras objectas sæpiùs unda
Obliquè incursat, pariterque impulsa retrorsùm
Obliquè in partes alias fluit, & vaga cursat
Ingentesque unà abreptas trahit æquore puppes.
Quin etiam fluviis è magnis sæpè fluenta
Prona ruunt, multoque cient maris impete fluctus.
Sic fluit Euxinum, & mediam perlabitur Hellen
Auctum fluminibus: sic pulsum à gurgite Nili
It mare Virgineum: sic claustra sonantia præter
Oceanum currunt devexa fluenta per altum:
Quà Gis lata subit maris æquora, quàque rubentes
Indus aquas auro devolvit, & aureus ipse
Quà Ganges fluit, & Seres quà findit (1) Hoanges:
Et quà se magno ciet ore Argenteus amnis,

Vitandi item Oceani sunt obliqui aquarum fluxus. Et horum caussæ.

Ac

(1) *Hoang* maximus Serum fluvius crocei, seu lutei coloris, unde vernaculo Serum vocabulo *Hoang* dictus: illius tamen aqua nitida fit injecto alumine.

Ac secat occiduos undis felicibus Indos:
Amnis Amazonidum sed quà rapidissimus undas,
Torquet agens, celeri currunt cita cærula cursu.
Hæc igitur tibi cura, silent cùm carbasa, in altum
Anchora descendat, multo quæ pondere curvas
Firmabit pinus, pelagoque obsistet eunti.
At si ventus agit crepitanti flamine vela,

Qua arte torrentes contrà niti opus sit.

Contende in proram venientibus impiger undis,
Obnitique vado semper, Palinure, memento.
Nec te decipiat, fluctu labente, profundis
Indeprensus aquis, atque irremeabilis error.
Vicinam temone plagam, veloque require,
Quà venit æstus aquæ, & fluctus conare fluentes
Vincere, ne sensim pelagi devexa fluenta
Veloces aliò impellant per marmora puppes.
Tardior Oceanus quà se fert obvius, ipse
Flecte ratem clavo: quin & superare fluenta,
Nauta, potes, si proram omnis petat impetus: alni
Nec transversa latus feriat Thetis incita cursu:
Nam sic prora vadum rostro proscindet acuto,
Eludetque simul rapidam venientis aquæ vim.
Non secus ac cuneus diffindit scissile robur,
Et facilè in partes acie disjungit acuta.
Quin & Hiperboreæ glacies, fluxusque nivali

Motus maris à Septentrione in Austrum, & hujus caussa.

Ex axe in medium tibi sunt vitanda, sub Ursas
Dum tendis. Cùm longa dies illuxit in Orbe
Arctoo, solvitque nives Sol fervidus igne,
Et duras scindit glacies, maris unda refusis
Imbribus è Septem cursu revoluta Trione
In medium devexa diem descendit, & altas
Fert secum glacies, tepidumque revolvit in Austrum.
Latè hinc concretos Atlanticus invehit amnes
Oceanus: Libyco sensim qui Sole liquescunt.
At quà perpetuis candet densata pruinis
Zona poli, & nimio durescit frigore pontus,
Crystalli veluti montes, longo agmine duræ

Immensæ glacies, quæ in Austrum descendunt.

Volvuntur glacies, mittunt quas flumina, & ipsæ
Interdum gelida stipatæ Naiade cautes,
Cum nivibus sub nocte hyemes riguere profunda.
Per glaciale (1) fretum Scythiæ, (2) Zemiæque nivalis
In

---

(1) *Stretto di Vaigast*. (2) *Nova Zembla*, quasi nova via, sic à nautis appellata, qui per hanc in Sinas breviori cursu pervenire posse putarant. Furnerius in Geographica Orbis notitia par. 1. lib. 1. c.12.

In transversa nives dum currunt, seque ruentes
Per densata petunt latera, incursantque frequentes,
Horrendus fragor exoritur, quo littora, & omnes
Pulsati longè montes, cœlumque resultat.
Se velut ex alto cum Nilus Atlante refundit
Subjectos latè in campos, plangitque profundas
Ingenti valle sonitu, quo tota remugit
Thebais, Ægyptusque, atque æstiferi Garamantes.

At non transibo indictas caligine densa,
Quæ per Hyperboreum se fundunt aëra nubes,
Arctophylax stellata retrò cùm plaustra reducit, Poli caligines.
Atque Ariadnęæ conduntur signa coronæ.
Insuper Oceano in magno, quà semper ab igni
Incandet plaga terrarum, densissima cœlo Et Maris Atlantici.
Caligo interdum pelago, & nox incubat atra.
Non polus apparet supra, non subter & undæ:
Nec se etiam per lata vident agearia nautæ. Qua arte glacies, ac nebulæ evitandæ.
Tunc Rector, ne se incursent per mutua puppes,
Da signum procul ære cavo, sic tutius illæ
Incursus fugient venientum, & gurgite nantes
Vitabunt duros amnes: at si fragor ingens
Currenti late è glacie, occursuque ciatur,
Horrifico majora strepant tormenta boatu.

Sed quà torrentes descendant, cortice picto
Aspicies, & nostra etiam te plura docebunt
Carmina, & exacti toties per cærula cursus.
Consule & in primis arcana oracula docti
Dudlæi, quæ multa notat tibi pagina. Sed jam
Me salsa longè pulsatæ aspergine puppes,
Immensoque vocant venientia monstra fragore.

Ergo per Oceanum velis dum curris apertum,
Ignoti nova monstra maris, Cycladesque natantes
Evitanda tibi, lato quæ gurgite Proteus
Pastor agit: centum pelago vastissima Cete, Oceani monstra, & quam sint navibus formidanda.
Et centum mediis errant in fluctibus Orcæ,
Ac Phocæ turpes, & turrigeræ Balenæ.
Quin & Atlantæis in fluctibus axe sub alto
Agmina densa ruunt passim, latèque vagantur.
Sæpè cavæ magnis impingunt piscibus alni:
Densatosque globos inter, turbasque natantum
Vix sese medias aperit via tuta per undas.
Ergo tibi vasto fugienda hæc monstra profundo.
Nam sæpè, infandùm, miseræ periere carinæ
Demersæ mediis in fluctibus. Hæc vaga magno
Errant Oceano, rostroque armantur acuto.
Quæ si ferratis incursent dentibus altum

Extemplò, velut in ſcopulos alliſa fragorem
Emittet, roſtroque abies pulſata dehiſcet.
Illa ingens caput, atque horrentia lumina tollunt
Suprà undas, puppimque ſuprà, latèque revolvunt
Corpora per navim, tortoque volumine caudæ
Roſtra ſuper, proramque aſſurgunt, & mare ſubter
Vi magna ingenti cum mole invertere gaulum
Adnituntur: aquas illa, & plena æquora vaſto
Ore vomunt, fuſoque replent torrente carinas.
Nonnulla horrifico per cærula vaſta natatu
Velificant, magniſque movent plangoribus alas.

Eſt etiam Oceano in magno malus ille carinis,
Phyſeteris deſcriptio.
Phyſeter (patrio ſic Graii nomine dicunt)
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt vertice nares,
Tot patuli ex illo tolluntur in aſtra canales
Ore cavo: immensùm ſtridens quibus æquor in altum
Se jacit: & latè circùm diffunditur imber:
Cuncta in conſpectu ſimul occulit: omnia miſcet
Stridore: ingentes quot acuta cuſpide ſpinæ
Aptantur lateri, tot ſunt haſtilia ferro
Dura magis: nitidæ ſplendent quo tergore ſquamæ,
Scuta tot, horrendum quibus impenetrabile dorſum eſt.
Inſtar montis, aquas ſupra caput eminet: antrum
Os immane refert: ſubter, mirabile dictu,
Quot dentes, dextra totidem, lævaque ſecures
Horrent. Dii talem nautis avertite peſtem.

Hæc tu monſtra maris cùm videris: ocyùs omnes
Induſtriæ, quas adhibere nautæ contra maris monſtra debent.
Inclamare tubas, magnumque ciere fragorem
Æra jube, lituosque, & raucum cornua cantum:
Nam ſic confeſtim perterrita ſub murmure monſtra
Deſcendunt, ſubterque imis conduntur arenis.
Quin etiam perſæpè juvat (mihi rettulit Ægon,
Ægon Oceani vidit qui monſtra profundi)
Horrida terrificis tormenta explodere bombis,
Et capiti vibrare pilas; nam fulminis ictu
Merguntur concuſſa mari; nec cominùs unquam
Spectantur: Divosque etiam, Palinure, vocato.
Sæpè ſalutiferæ longè diſcedere ſigno
Viſa Crucis: jactu luſtralis protinus undæ
Interdum petiere ſuas ſub gurgite ſedes.

At vicina cavis cum ſe admovere carinis,
Et bifido circum plicuere volumine caudam,
Eſt præſens medicina malo, ſi cominus ipſe
Cete Caſtoris aqua fugantur.
Caſtoreum (1) è pelui diffundas deſuper amnem;

Auctu-

(1) Aquam ſcilicet cui caſtor diù immerſus ſtetit: *Furnerius.*

Auctutum fera castoreo pelletur odore.
Præterea, id non te lateat, vastissima Cete,
Ut perhibent nidore picis capiuntur adustæ.
Hinc amor ille, rates toto se corpore circum
Extendi, trabibusque suas advertere nares.
Quorumdam inventum est, piceo fucata veneno
Plurima dispersim demittere dolia ponto,
Quæ piceo perlecta petant medicamine Cete:
Alatæ intereà sulcant vada Tethyos alni.

Monstra pice oblectantur, & quomodo id cavendum, ne naves subvertant.

Sed neque te aspectus Telluris fallat inanis;
Nam sæpè in medio quæ creditur insula ponto,
Est sese undoso tollentis ab æquore monstri
Dorsum immane, leves cui substernuntur arenæ,
Ac molle assurgit sabulum, & se subjicit alga.
Non semel undivagæ puppes appellere ripæ
Gavisi nautæ, celeresque in litus inane
Delapsi, virgis subitum crepitantibus ignem
Accendunt, letisque parant convivia mensis.
Ast ubi paulatim senserunt monstra calorem,
In mare descendunt: tunc credita se pede Tellus
Subtrahit extemplò: miserique in gurgite nautæ,
Infandùm pereunt, monstris data præda nefandis,
Anchora sæpè etiam sabuloso credita dorso,
Et duris unco squamis infixa tenaci,
Cùm monstro, & fundo se proripit, & ratis unà
(Arcete ò Superi casum!) demergitur undis.
Nonnulli in Cete mittunt scopulosa rudentes
E navi: hinc illos, cùm se vastissima monstra
Subducunt, dextra arripiunt, Fatumque morantur.
Nec minus intereà funes generosa juventus,
Ex ala suspensa manet quibus anchora prora,
Haud mora præcidunt ferro, vel solvere certant.

Ingentia Cete Insula credita, & ab his cavendum qua solertia.

Sed quid monstra maris refero, mediasque per undas
Errantes Cycladas; nat parvus in æquore piscis
(Romani Remoram appellant, Echeneida Graji)
Qui (si vera fides) turritam dente tenaci
Apprendit navim è prora, sistitque volantem.
Nec valido prosunt spirantes flamina Cori;
Nequicquam & remis diverberat æquora pubes:
Turritæ veluti cautes: in fluctibus illa
Cùm vento, & velis, remisque immobilis hæret.
Vis tanta exiguis Natura est indita rebus.

Echeneis quæ.

At verò ut casum effugias, quid tunc tibi agendum est,
Accipe. Subter aquas descendat nare peritus,
Atque omnem circùm curset, visatque carinam,

Et quomodò amovenda.

Quò tandem monſtrum inveniat, dextraque prehenſum
Amoveat, victorque mari conſurgat ab alto.
Sic mihi ſe quondam dixit feciſſe Cloanthus,
Qui mare, qui terras, qui barbara litora gaulis
Luſtravit toties, quà Sol utrumque recurrens
Aſpicit Oceanum, & victor remeavit ab Indis.
Nunc age, quæ cœli ratio ſit habenda magiſtro,
Ut varias Mundi partes exploret, & oras
Quàm cœli peritus eſſe debeat Navarchus, ut locorum ſitus inquirat.
Oceano in magno, quà terræ, & litora nulla
Apparent: ſed cœlum eſt undique, & undique pontus;
Expediam, cœpti quæ pars non parva laboris.
Hæc rectoris erit ſemper ſolertia major.
Veſtigare plagam cœli, terræque, mariſque,
Quò ventus, curſuſque, gubernatorque revexit:
Sive per ignotas pelagi quà naviget undas;
Nam ſic optatos poterit contingere portus,
Quàque rigent ſcopuli, & cœcæ, deprendere, Syrtes:
Atque hinc exactos etiam deducere curſus.
Quas igitur zonas, quas vento acceſſeris oras
Contemplare: tibi curſus vaga ſydera dicent,
Et Sol clivoſi dum culmina ſcandit Olympi.
Ergo ubi jam medio librabitur æthere curru,
Quot partes Sextante nota Sol altus Olympo eſt:
Altitudo Solis, & Æquatoris primum.
Hinc Finitorem quot ſe ſuper efferat Arctos,
Explorare opus eſt: id tu quo, navita, poſſis
Veſtigare modo, paucis, adverte, docebo.
A cœli medio quot partibus aureus orbe
Sol diſtet, perquire: illas tibi pagina dicet,
Obliquos quæ Solis habet duodena rotatus
Per loca Signiferi: numerumque deinde repertum
Et hinc latitudo quomodò inveſtiganda, & Zona.
Partibus inventus radio ſuper adde, volantes
Si Sol in tepidum bigas deflexerit Auſtrum,
Cùm brevis eſt lux, & noſtrum depreſſior Orbem
Aſpicit: at Cancro propior ſi curribus ibit,
Longinquas cœlo cùm protrahit altior horas,
Subtrahe ab inventis, numerus, qui proximus exit,
Oſtendet quantum è vitreis ſe circulus undis
Æquator tollat, medium qui dividit orbem
Signorum: quantùm ſed ſe ſuper evehat Urſa,
Monſtrabunt partes, quæ pro quadrante ſuperſunt.
Hinc quæ zona poli, qui ſit locus ille, carinæ
Quò, Palinure, tuæ curſu venere ſub Auſtrum:
Et quantùm à Septem jam deſcendere Trione,
Cognoſces; pelago nam quot ſe partibus axis
Admovit propior, tantùm per cærula puppis

In

In medium ſe prona diem devexit ab Arcto.
At ſi diverſum cœlo, & majoribus aſtris
Trans Æquatorem perluſtras, navita, Mundum.
Hæc eadem peragenda tibi; ſed tollitur alter
Axe polus, rerumque exit contrarius ordo.
At levis hic labor eſt nobis, ubi fecerit horas
Nocturnas bis æqua pares Aſtræa diurnis;

In Æquinoxiis id facillimum.

Ipſe tibi medio in curſu Sol aureus, altus
Quot ſuper Æquator conſurgat partibus amnes
Oceani dicet: ſed ſi tunc fervidus igne
Vertice in extremo Titan libretur Olympi,
In cœli medium pervenit cærula puppis.
Alter & hinc tibi jam venienti panditur Orbis,
Alter & aſſurgit Mundi polus: aurea circùm
Rara & inexhauſto volvuntur ſydera motu.
Quærendum & quantùm curſu tua pinus in Ortum
A Fortunata fugiens Tellure receſſit.
Verùm hoc difficile eſt: fertur pernicibus alis
Heſperiam in partem cœlum, nec fixa ſub aſtris

Longitudo difficilis inveſtigatu, & cur?

Meta manet: curſus hinc & deducere multùm eſt.
Auri multa viro Batavi donare talenta
Promiſere, modum in mediis qui ſedulus undis
Traderet, ut certò poſſent cognoſcere quantùm
Curva ſub Eoum ſpumoſa per æquora puppis
Provecta eſt, cœlique ſimul qui circulus alti
Tunc noctesque, diesque pares partitur in horas:
Rem multi aggreſſi magno mercedis amore:
Verùm alii laudum ſtimulis poſt irrita vota,
Nullus adhuc tanto pretio donatus abivit:
Et nullus tantam meruit pro munere laudem.
Attamen, anguſtis quoniam ſolertia rebus
Summa hominum eſt, creſcitque uſu experientia longo,

Exponitur tamen modus illam perquirendi.

Acre quid ingenium, multusque invenerit uſus,
Expediam. E vitro tibi clepſydra magna paretur,
Bis ſenas quæ tota fluens ſemel indicet horas.
Cùm primùm das vela Noto, Palinure, vocanti,
Hanc tu pendentem media ſub puppe locato:
Verùm ubi jam totus ſpiramine depluit humor,
Verte illam, refluat concluſa ut molliter unda
Subjectam in partem: cautusque notare memento,
Quot tota illa vices ſpiramine decidit arcto;
Temporis exactas nam ſic cognoveris horas,
Ex quò deſerto ſolviſti ab litore funem.
Sed priùs, è portu pelagi cùm tendis in altum,
Quære quot aſcendens jam partes egerit orbis

De-

Delius, atque vagi quæ fluxerit ora diei:
Atque illam in primis memori ſub mente reconde.
Hinc cùm veſtigas quæ te plaga lucida cœli
Ambiat Oceano in medio, qui circulus ille,
Et quantùm Occaſu è primo ſe vertat Eoo,
Principiò perquire, cavo pellucidus humor
E vitro quoties defluxit; & inde peractas
Deduces horas, ex quò de litore primùm
Se dedit Oceano, ventis ſpirantibus, alnus.
Hinc & ſi ſolidos valeas ſubducere Soles,
Invenies horam, momento quæ ruit illo
Litore in adverſo; & tabula ſignare memento.
His actis, Sextante nota, radiove quot altus
Sol partes fuerit: mox quæ ſublapſa diei
Hora ſit, hinc certis poteris deprendere ſignis.
Horarum & numerum è ſignato ſubtrahe primo.
Hinc tibi qui reliquus tandem quæſita locorum
Intervalla dabit, ſeſe quibus alter in Ortum
Submovet: horarum numerum ſi ritè reſolves
In partes, quarum ter quinas continet hora,
Sic quantùm medii tunc cœli circulus abſit
Ex alio, aut primo poteris prædiſcere (1) Circo.
Sed puros quoniam ſervari tempore longo
Difficile eſt amnes, partem ſubtiles arenæ
Includunt vitris alii, & vaga tempora ſignant.
At multi ſtannum accipiunt, plumbumque liquatum,
Exactæ Clepſydræ conſtructio.
Et vivum admiſcent argentum, atque igne ſubactam
Materiem in cinerem ſolvunt, tunduntque minutim:
Secernuntque illam cribro: decuſſaque vitro
Pars ſubtilis, aqua pro molli clauditur: inde
Non interruptus currit ſpiramine pulvis.
Sunt qui cæruleam Tethyn pro Naïade dulci
Immittunt; concluſa cavo Thetis humida vitro
In multum ſincera manet ſalſugine tempus.
Aſt aliis viſum eſt, varia experimenta ſecutis,
Ut vivum ſenſim argentum deſcenderet alta
Ampulla; multo quoniam non deficit uſu
Attritum, & longo nunquam corrumpitur ævo.
Hoc ſed præcipio cura majore notandum,
Mobilis ex alto depictæ clepſydra puppis
Pendeat, in partes ut cùm ſe verterit ambas

Na-

(1) A primo nimirum Meridiano, qui per Inſulam Palmam, quæ fortaſſe eſt Ptol: Caſperia, tranſit.

Navigium, aut vento, aut ſpumoſis fluctibus actum,
Hæc ſeſe medio libret: ſic leniter humor
Non intermiſſus ſpiramine defluit arcto.
At ſi nocte locum perquiris, pulſa ſecundis
Quò tua pervenit ventis per cærula pinus,
Aſtra tibi dicent tranſacti temporis horas,
Scilicet aut Cepheus, vel proxima Caſſiopea,
Aut Cynoſura, polo quæ ſe nocturna revolvens
Tarda diem integra peragit vertigine totum.
Hæc cùm nota tibi fuerint, ſpectare licebit
Qui locus ille, tuæ quem jam tenuere carinæ;
Et quà continues velis iter, ut tua portus
Optatos tandem ſubeat trans Tethya puppis.
His etiam emenſos facilè eſt comprendere curſus,
Et quantùm navis ſpatium promota cucurrit,
Si tibi luſtrati multa experientia cœli,
Et metiri etiam numerum, & ſubducere calles.
Nauta vias Solis, numeroſque, & ſydera diſce.
Eſt etiam modus alter, aquas ſulcante carina,
Quo valeas pelago exactos cognoſcere curſus.
Aſſere quadruplici capſam compinge quadratam,
Cui geminus circùm ex ulmo verſatilis axis
Inſit, uterque ſuprà longo ſe corpore capſam
Efferat: inſtructam pennis impone recurvis
Mox uni, Palinure, rotam: ſuper illa quadratam
Aſſurgat capſam, & capulo verſatilis axis
Inſiſtat: pennas albi tibi bractea ferri
Secta dabit; partemque omnes vertantur in unam,
Ut rota continua poſſit vertigine volvi,
Impulſa à vento, in pennas cùm ſpirat ab alto.
Ceu puer intentus ludo, cùm fixit acerno,
Subtilique crucem ligno, niveaque papyro
Inde cruci inſeruit pennas, ventoque ruenti
Objectat currens: vento propulſa papyrus
Se cita verſat agens, & mobilis orbe rotatur.
At tu, nauta, rotam capulo ſubnecte quadrato,
Ut cùm decurrit vento rota concita, & unà
In gyrum ſeſe axis agat: mox fila revolve
Alterius medio longiſſima, quæ tibi fila
Semper erunt gemino lini de ſtamine torta.
Alter & accipiat fili caput, orbe revolvi
Circa illum ut longo valeat, cùm plurima verſat
Aura rotam. Hinc ſumma capſam ſub puppe locato,
Ut rota devolvi ſemper vento incita poſſit.
His actis, Palinure locum, portumve notato,

Modus, quo metiri curſus exactos poſſimus ex rota mobili.

Illius èque tuo pariter diſtantia portu
Sit tibi nota: ratem mox tu cùm litore ſolvis
Felicem in Zephyrum, incipiet rota flamine verti;
Inque alium ſenſim filum devolvier axem.
Hinc cùm te notam ventus devexit in oram,
Quæ ſe multiplici vertere volumine, fila
Extende, atque pares in tot mox divide partes,
Millenos quot nota tenet diſtantia paſſus,
Atque pares alias poteris ſuper addere primis,
Ut longo valeat devolvi tempore filum:
Singulæ & accipiant poſitis diſcrimina nodis.
Sic certam ſemper menſuram, rector, habebis,
Qua curſum pelago exactum, ambagesque viarum,
Quærere non multum eſt. Auris de puppe ſecundis
Cùm rota ſe circùm verſat, verſatque rotundum
Unà axem in gyrum, quot fili conſpice partes
Intereà currant, alioque plicentur in axe;
Quippè ratis totidem freta per ſpumantia paſſus
Mille, in vela Noto ſemper ſpirante, cucurrit.
At ſi jam totus fuerit revolutus in axem
Alternum funis, vacuo, Palinure volantem
Tunc impone rotam: certos cognoſcere curſus
Sic dabitur ſemper: nam cùm vehementior Eurus
Incidit in velum, & cita diſſecat æquora pinus,
Tunc etiam celeri fertur rota percita motu.
Verùm ſi leni canentia carbaſa flatu
Intendant Zephyri, pariter rota molliter axem
Circumagit, & lentè filum ſe verſat in orbem.
Utcunque his tandem ſpatiis digreſſus iniquis;
Jam tibi quàm varius ſit per vada cærula magni
Oceani curſus, non multo carmine dicam.
Primus, (1) cùm picta ſectamur pyxide Rhombum
Auſtrinum, & medii ſub cœli circulo eodem
Currimus: hìc certus, nec (ſi vigil ipſe magiſter
Lora regat) transverſa ratem feret: (2) alter, Eoum
Cùm ſequimur, magno cœli ſub tramite, Rhombum
Aut alium quemvis medium percurrimus orbem:
Certus & hic: verùm ſupereſt qui (3) tertius, ille eſt,
Obli-

Quotuplex ſit navigatio.

Recta, qua navis per rectum circulum velificat.

(1) Prima navigatio recta in Auſtrum per eundem Meridianum, quam Orthodromicam vocant. (2) Secunda item recta in Ortum, vel Occaſum per eundem parallelum.

(3) Tertia obliqua, quæ & Loxodromica appellatur, eſt autem cùm alios Rhombos petimus.

Obliquus, reliquosque petit per Nerea Rhombos:
Ut cùm puppe plagam Vulturni quærimus, aut cùm
Leuconoti in ſedem contendimus. Hic vagus error
Navis erit: non illa maris dum marmora ſulcat,
Deſcribet rectum ſpumanti in gurgite circum:
Sed vento fugiens ſpirali tramite curret.
Ergo inclinatum cùm quærimus æquore Rhombum,
Haud equidem, Palinure, plagam veniemus ad illam,
Quam prima egreſſi ſtatione petivimus: at ſi
Arctoas celeri curſu contendimus oras
Seu Mundi adverſum nobis properamus ad axem,
Curva polis propior ſuccedet puppis: at illis
Acta per obliquos felici flamine curſus
Perveniet numquam: & circùm verſabitur Urſas,
Aſt ab utroque polo dedimus ſi carbaſa ventis,
Inque Æquatorem deſcendimus, ire ſub illum,
Optatosque rati portus penetrare negatur.

Obliqua, quæ ſpirali ductu navis currit.

His animadverſis, docti ſolertia nautæ
Illa erit, obliquos ut cùm per cærula Rhombos
Percurrit, proram ſemper deflectat ad illum,
Qui propior ſitus, atque à primo longiùs ibit;
Sic quem non curvo quærit temone, videbit
Litore in optato portum. Sed flectere partes
Quot clavum ſolers dextra, lævaque magiſter
Debeat, in geminos ſeu navim dirigat axes,
Sive Æquatorem gemino perquirat ab axe,
Veſtiget numeris Geometres. Me vada magni
Oceani jam læta vocant, & plauſibus horti
Heſperidum acclamant, viridique è vertice montis
Vocibus aſſultat feſtis (1) Arſinaris altus:
Incœptique petunt felici flamine curſus.

Quid cùm per obliquos Rhombos navigatur.

Ergo ut præteriit retrò celſiſſimus Atlas,
Ardentem medii Zonam ſpectabis Olympi,
Æſtifer Æthiopas torret quà circulus alti
Solſtitii, Solemque ſinu bibit alta (2) Syene:
Cœli ubi tres ſpatium patet, & non amplius, ulnas.
Mox celeri Heſperidum terras, nemora aurea, curſu
Contendas petere, & portus intrare repoſtos,
Quà læva Libyæ reſpondit barbara Tellus;
Lætus ubi, atque ingens ſeptena per oſtia fertur

In Heſperidas curſus.

(1) *Capo verde*, Ptol. Arſinarium.

(2) *Aſna* urbs Ægypti in confiniis Æthiopiæ, olim Romani Imperii terminus

In mare Gis, Libyamque nigra fœcundat arena:
Unde hinc & nomen fluvio imposuere coloni;
Et Nigrum fluvium, & se appellavere Nigritas.
Has circùm terras rapido sub sydere Cancri
Perpetuò placidè solet aspirare Supernas,
Vela vocans; celerem sed cursum tendere in Ortum
Adverso torrente negat Thetis incita puppes.
Hic sed mira tibi rerum spectacula dicam:
Ex Inda Tellure redux cùm puppibus aureos
Hesperidum relegis lucos, circumque pererras
Viginti à magno distantem partibus orbe,
Florentes pelagi fluctus, atque herbida passim
Cærula prospicies, apioque intecta marino.
Maria florentia veluti prata, Lusitanis dicta *Sargasse*. Ceu cùm vere novo se mollibus integit herbis,
Luxuriatque tener viridi sub gramine campus:
Non liquidum sulcare vadum; verùm inter amœnos
Hortorum textus credas errare carinas:
Sic etiam Ammerices oras, & litora circùm,
Qua crebris angusta sonant freta consita saxis:
Et (1) Chilen quà flava Thetis circumfluit, & quà
Auroque, argentoque rigat ditissima regna.
Quin & ubi Tellus è florenti Florida ponto
Dicitur, herbosis passim tecta æquora campis.
Verùm, solstitii candet quà circulus alti,
Herbida spectantur latè florescere aperto
Prata mari, & virides motare cacumina plantæ;
Quæ spissos hederæ textus imitantur, & inter
Intectas variis serpunt anfractibus undas.
Hæc per læta maris plantis florentibus arva
Non ipsi possunt turriti irrumpere gauli,
Ni valido è puppi descendant murmure Cori.
Nullæ radices illis, frondesque palustri
Persimiles rutæ nascuntur, & humida corna
Juniperi baccam referunt, sed livet in ipsa
Fronde color, veluti fœnum, quod trivit agrestis:
Usque adeò fœcunda parens Natura marinis
Arbusta in campis gignit, scenamque virentem.
Seu quoniam multa pinguent uligine fluctus,
Plurimaque erumpunt genitalia semina fundo,
E quibus æquoreas radiis Sol educat herbas:
Cur in Oceano nascuntur herbę. Aut quia torpentes putrescunt gurgitis undæ
Titanis nimia sub luce: hinc indè tenellæ

Li-

(1) Americæ regnum, *Chile*.

Limoso surgunt de semine protinus herbæ.
Non secus ac stagnis nascuntur, & uda secundùm
Flumina, quæ rauco vix pulsant murmure ripas,
Forsitan in medio plantavit Juppiter hortos
Oceano, & viridi contexit germine campos,
Ut fessos nautarum animos per tædia longa
Prospectu herbarum vario, miroque levaret.
Ergo ubi prospicies apio vada tecta virenti,
Ne timeas rostro depicta coloribus arva
Scindere: florentes pandet se tuta per agros
Semita, & insuetæ fugient per rura carinæ.
Hinc ubi digressus propiùs descendis in Austrum,
Horrendum fuge, nauta, signum: fuge litus (1) Equarum:
Aëre non sano, & nimbosis Juppiter auris
Sævit, & Oceano trucibus fremit unda procellis.
Dum cœlo, ut perhibent, descendit pestifer imber,
Excitat, infandùm, putres in corpore bullas:
Attactuque vadi membris diffunditur humor
Lethifer, & venis bacchatur morbida tabes.
Non secus, ac oleæ si quando fervida membris
Gutta cadit: subitæ malesano in corpore bullæ
Erumpunt, dirusque dolor per membra recurrit.
Ergo rati tectum cerata imponere tela
Præcipio tibi, ne cœlo dum pestifer imber
Decidit, immisso serpat per membra veneno.
Sic Solis radios etiam vitabis, & æstum,
Plurimum in medio Mundi qui perfurit axe.

Naves in torrida zona cerata tela cooperiuntur. *Furnerius Hydr. lib 9. c. 28.*

Prætereà infames cœco sub gurgite Syrtes,
Ingentesque latent: dextra tibi marmora pinus
Proscindat: longos & circumflectere cursus
Convenit Ammericen versùs: sed litus (2) Olindæ
Tu cave ne specula cernas sublimis ab alta;
Nam si te ventus semotam advexit in oram
Ammerices, sceleratаque litora Brasiliorum,
Flectere iter velis opus est, portusque relictos
Quærere; nimbosis nam tunc maria invia ventis.
At si Fortunam audebis tentare sequendo,
Et certum tibi naufragium, immanemque ruinam
Prædico: infami jactatus in æquore (3) Cafrùm

(1) *Mar delle Cavalle* ab undis sic dictum.
(2) Brasiliæ urbs propè promontorium D. Augustini.
(3) Ultimi Africæ populi, qui litoralia colunt moribus super reliquos longè inhumanis, ac barbaris.

Præceps consilium, infelix, damnabis, & ausa.
At postquam Oceani rorantem aspergine multa
Parrhasiam secuit Finitor circulus Ursam,
In medio jam puppis erit, terræque, polique,
Rectus ubi surgens Æquator circulus orbem
Signorum secat, & summo rapit omnia cœlo,
Dividuum & paribus cœlum secat intervallis.
Quomodò cognoscitur navim ad medium terræ, cœlique pervenisse.
Indicio Æquatoris erit placidissima ponti
Temperies: nulli hìc contristant cærula venti,
Præterea durata Ceres, siccique juvenci,
Naïdis & dulcis pariter corrumpitur humor.
Hìc tibi cum Jove non sano, pelagoque silenti
Certandum, Palinure: calet sub cardine Titan,
Et furit assensu radiorum fortior æstus.
Sol ipse attenuans undam trahit igne vapores
Non sanos, circùmque leves latè inficit auras:
Torridæ zonæ intemperies.
Immotique gravem exhalat maris unda Mephitim.
Corpora & ipse etiam cœli spirabilis æther
Inficit insinuans sese: nocet artubus ægris,
Qui mare, qui terras, Sol ferventissimus urit:
Atque aër gravis, immotique malacia ponti.
Sævior Æthiopum per litora, perque calentis
Mitior in Oceano, & Aprili mense.
Infames Guineæ terras: sed mitior æstus
Oceano in medio, mitissimus insuper alto
Cum cœlo rutilis splendent palearia setis
Stellati minio Tauri, Phœboque propinquo,
Aurati rutilant Oculi, & majoribus astris.
Nam tunc aspirant auris felicibus Euri,
Ac læti veniunt ruptis de nubibus imbres.
Hoc igitur cœli sub sydere, nauta, secato
Oceani fluctus; facilis via gurgite vasto
Tunc tibi; nec medium rapidus Sol excoquit æquor.
Postquam servatus puppi devexus in Austrum
Veneris, alteriusque Orbis conspexeris axem,
Conare in lævos cursum deflectere fluctus,
Quà sacra consurgit Triadi medio (1) insula ponto.
At cava semotis remeat dum pinus ab Indis
Sepostos (2) Helenæ colles, portusque subintret:
Quà virides circùm sylvæ venatibus aptæ
Assurgunt, vitreosque vagantur Naïades amne.
Hìc fractas cursu vires, animumque juventus

In-

---

(1) *Isola della Trinità*. (2) *Isola di S. Helena* in medio Oceani sita, quam raro redeuntes galli vident.

Instauret: magno pressus ceu fasce viator
Æstivo sub Sole, cavo cùm venit ad antrum,
Et gelidos circà fontes prostratus in umbra
Quæsitam captat summis fervoribus auram;
Solaturque alta recubans sub rupe laborem.
Jure sibi optatam poscunt membra ægra quietem,
Atque operæ pretium est animum revocare parumper
A curis, incœptum hinc possit ut acrior ille
Continuare opus, inque datam pertingere metam.

Sublevandus interdum quiete animus.

Hinc geminos pelagi dimenso gurgite (1) Picos.
Cùm cernes, fluctusque avibus resonare marinis,
Arduus Ægoceri venientem circulus alnum
Accipiet: fessos recreabit & altera cœli
Temperies. Palinure, sinum obliquare memento,
Transversumque Notum (namque est Notus arbiter oræ)
Accipe, & obliquos nimbosa per æquora cursus
Dirige, pinguis ubi, & nemorosa assurgit (2) Acuña,
Insula ab Ægoceri quæ distat partibus orbe
Bissenis læva, Solisque cubilia præter,
Viginti Auroram tendit. Sed maximus hìc jam
Insequitur labor, horrendis superare procellis
Extremum Libyæ latus invium, & æquora summo
Fluctibus alternis sese tollentia cœlo.

Ægoceri fines ultrà se fundit ad Austrum
Africa, & adversum cuneata erumpit in altum.
Hesperius venit hinc: illinc descendit Eous
Oceanus: geminique adversa fronte ruentes
Concursant, liquidoque exercent prælia campo.
Præcipiti impulsi cursu, venientibus undis
In transversa citis, ventis & agentibus ipsis.
Despumant rabie, & duplici torrente refuso,
Ingeminantur aquæ, & magno se vertice tollunt;
Allisæque fremunt magnis clangoribus undæ.
Auditur longè strepitus: cavo litora longè
Responsant, fractos sonitus imitata tubarum.
Non secus, ac geminæ cùm Martis in æquore sese
Implicuere acies: premit hæc, premit illa: sub astra
Et galeæ, & magno diffracta hastilia nisu
Agglomerata volant, magnusque it clamor ad auras;
Horrendoque cavæ responsant murmure valles.
Quin & uterque ruens prærupto à vertice pontus

Promontorii Bonæspei descriptio.

Flu-

(1) Geminæ Insulæ *Los dos Picos*, Hispani vocant.
(2) *Isola di Tristan d' Acuña*.

Fluctibus adversis, & magna concitus ira,
Ad latus extremum cumulos humentis arenæ
Egerit ingentes, limumque, algasque fluentes,
Et fluctus, fundique ejectamenta marini.
Arabiæ deserta velut, Libyæ & loca circùm,
Cùm gemini adverso spirarunt flamine venti:
Hinc Notus abreptas magna vi voluit arenas,
Inde levem Boreas nubem ciet horridus: ingens
In medio cumulus sustollitur; atque ubi quondam
Campus erat, magnus congesti pulveris extat
Confestim mons, & miseros premit altus euntes.

Quod cum transmittunt Navarchi, se contra tempestates instruere debent.

Ergo pererrato venies cùm denique ponto,
Acronoton, tu magna alacrem ad certamina pubem
Instrue; luctandum vento, & cum fluctibus atris.
Qualis ubi in mediam durus luctator arenam
Ire parat, magnis luctæ se viribus aptat,
Atque animos revocat priscos, solitumque vigorem:
Intendit nervos, & fortia brachia, & omne
Denudat corpus: mox grandia crura, lacertosque,
Et latos humeros pingui perfundit olivo,
Ut tandem è dubio veniat certamine victor.
Spiramenta ratis, cunctasque occlude fenestras:
Atque imis tormenta locis, tabulataque subter
Ænea descendant, pariterque ignobile vulgus.
Nudati tabulata super stent corpora nautæ;
Præsentique animo cuncti luctare parati
Oceano, & ventis, validasque expromere vires:
Quin etiam forti ad malos cum fune ligentur;
Ut cùm prærupti veniunt à gurgite fluctus,
Absorbentque ratem (namque hic turgentia subter
Æquora descendunt, cumuloque teguntur aquarum
Ipsi etiam magno præstantes corpore gauli)
Obluctentur aquis medio torrente, nec ingens
Transversùm abreptos pelagi ferat unda ministros;
Austrinum latus, & longo maria alta petantur
Circuitu; lævum Libyæ fuge litus, & arces.
Non tibi rarescant dubio sub lumine montes
Solorum Æthiopum, sceleratàque litora terræ;
Nam ruet in brevia, & cumulos premet alnus arenæ;
Prædaque relliquiæ Cafris immanibus ibunt.
Indicio Telluris erunt per salsa volantes

Et quæ illius sint signa, non longè à promontorio navigandum.

Aligeræ volucres niveo cum pectore: quales
Mæandri circùm volitant per flumina cygni,
Pyxidis ipsa etiam tornatæ ferrea cuspis
Signa dabit; namque, ut perhibent, acus acta veneno

Recta

Recta polum, sydusque ferit, cùm venit ad altum
Acronoton, Libyæque ratis legit ultima regna.
Mox ubi transmissus fuerit retrò arduus alnis
Acronotos: Tellusque simul scelerata refugit,
Flecte viam velis, cursusque intende sub Ursas.
Inter & Eoum, sedesque Aquilonis iniqui,
Quò te pyxis agit, cœli quò sydera ducunt,
Carpe fugam, & pictum membrana consule mundum.
Nunc age, quæ tibi non cura leviore cavenda,
Expediam (non finis adhuc, requiesque labori est)
Proxima (1) Nathalis venit ora, Eoaque Cafrùm
Litora, naufragiis, scelerataque litora Cafris.
Hìc centum mersi perierunt gurgite gauli
Naufragio infando, & totidem periere magistri,
Et clari virtute duces, quos fluctibus hausit
Oceanus, vel quos ad barbara litora volvit;
Concessitque feris prædam, Cafrisque nefandis.
Nobilis ante alios, & avito à sanguine regum
Naufragio ejectus sceleratæ ad litora terræ,
Cum socia, & natis crudeli funere Sosa
Interiit, pariterque viri interiere trecenti.
Quassatum & totidem ventis immitibus æquor
Spumosa absorbsit sub gurgite. Per freta vasti
Dum miser Oceani nigris devectus ab Indis
Lysiadùm peteret fines, sua regna, Penatum,
Hìc prope terribilem ventis, & fluctibus oram
Lucidus extemplo densatis nubibus aër
Texitur, & toto nigrescit gurgite pontus.
Nec mora, ab Occasu ruit atra, sonantibus alis,
Tempestas, ventis comitata, & fulmine, & imbri.
Tolluntur ventis undæ, tonitruque tremiscunt
Sylvosi montes, & campi, & maximus æther.
Velorum fragor insequitur, clamorque virorum
Extemplo, & pavido miscentur cuncta tumultu:
Terror ubique viris, & plurima mortis imago
Obiicitur; certamque intentant omnia mortem.
Ipse gubernator puppi proclamat ab alta:
Ponite corde metum, ò socii, quid pectora pulsat
Vestra pavor? redeat solita in præcordia virtus.
O mihi forte dati, vasti quibus æquor Atlantis
Ter jam velivolis sulcavi puppibus, & ter
Formidanda maris superavi cærula Eoi.

Nathalis ora procellis, naufragiisque infamis.

Miserabile Sosæ cum suis naufragiū *Maffeus lib.16.*

Gubernatoris oratio.

Eja

(1) *La Costa di Natale*, Naufragiis memoranda.

Eja animos revocate; trucique occurrite nimbo
Unà alacres cuncti, & meliùs confidite rebus.
O passi graviora, (aderit modò Numen amicum)
Fortunam, & casus etiam superabimus istos.
Hæc ille. At sævi diverso à litore venti
Ingeminant stridore: furens ruit Eurus Eoo,
Antennæque immugit, & horridus intonat alis
Africus imbriferis: fluctusque ad sydera jactant.
Protinus ingentes cœlo tolluntur aquarum,
Et super horrendo pendent curvamine montes:
Hinc & deducto subsidunt gurgite valles,
Non fortes nautarum animi, non ipsa magistri
In dubiis sæpè explorata industria rebus,
Horrendæ tempestatis descriptio.
Nec quicquam valet ars: superant artemque, animumque
In diversa vago venti clangore ruentes;
Et fracti horrendo ventorum verbere fluctus.
Ecce ruens Boreas à finibus usque nivosis
Incidit obliquus; malumque à vertice summo
Dejicit; & frustrà pelago obluctante magistro,
Ipsa gubernaclum veniens rapit unda; revulsumque
Abripit Oceanus, longèque ad litora volvit.
Tunc spes incisæ: prærepta puppis habena
Oceano jactata ruit, quà turbine venti
Abripiunt: rupto veluti temone quadriga
Fertur in abruptum præceps, perque invia, quà illam
Quadrupedes agitant, cursu properante, feroces.
Ad litus allisi quatiunt cava mœnia fluctus:
Concussæque trabes fluctu, tabulæque fatiscunt;
Armamenta rapit turbo, rapit omnia præceps
Æthiopum de rupe cadens stridore procella.
At Sosa intereà casu turbatus acerbo
Sosæ ærumnæ, & magnanimitas.
Uritur, & magno perculsus corda dolore,
Infelicem animam vix ægro in corpore versat;
Non sua perterrent Heroa pericula; nec se,
Nec vitæ quicquam curat mortalis honorem:
Verùm aliena timet; scinditque potentiùs altum
Pectus amor natorum, & charæ conjugis ardor.
Ille & crudeli toties occumbere morti
Se spectat, quoties miserans, sua pignora, natos
Exhorrere metu, & sua conjugis aspicit ora.
Ante oculos, ante ora patris cum conjuge natos
Fluctibus oppetere, & crudeli funere mergi
Tristius est morte, & tormento duriùs omni est;
Attamen ingentes condens sub corde dolores,
Dissimulat, pellitque metum, & spem fronte serenat;

Atque

Atque his ingreditur dictis: Non omnis, amici, *Et efficax ad suos oratio.*
Spes nobis prærepta: manet via certa salutis,
Si soliti vobis animi, & fiducia cordi
Restat adhuc. Tantùm quemquam sperare licebit
Casibus adversis, quantùm fidentior ibit.
Transversi quoniam ferimur per litora Cafrùm;
Nec datur adversùm vento luctare potestas,
Cedamus: geminæque cadant latus inter utrumque
Anchoræ Oceanum in magnum: quæ dente tenaci
(Spero equidem) vasto fundabunt gurgite puppim.
Intereà cuncti lembo scelerata petamus
Litora; nam Cafros & vim pulsabimus armis.
Verùm (præsenti avertant Dii numine casum)
Si victi ferro non æquo in Marte cadamus;
Non moriemur aquis: terris periisse juvabit.
Dixerat: & dictis paret manus omnis: & ingens
Extemplò è puppi demittitur anchora in undas,
Altera & è prora jacitur: ratis ilicet alto
Sistitur in pelago librata, Notoque resistit.
Efferus ut quondam sonipes, cui fræna magister
Vi multa injecit, fregitque tumentia colla,
Constitit eluctans, injectaque lora momordit.
Haud mora, conscendunt lembum, scinduntque sonantem
Remigio pontum, & diram vertuntur ad oram. *Lembo terram petit.*
Attamen, heu miseros! tercentum fluctibus hausit
Oceanus: cuncti monstris data præda marinis.
Verùm non reliquos melior Fortuna secuta est:
Æthiopum manibus crudelia funera passi *Miserè inter æthiopes perit.*
Infandùm periere. Viis urgemur iniquis
Mortales: semperque hominum lacrymabile fatum est.
Tu, Sosæ casus si te docuere sinistri,
Cautus in infido moderaberis æquore puppim:
Ne cœlo credas, aut fluctibus. Ergo ubi longè
Barbara Cafrorum curvantem litora pontum
Aspicies, celerem dextris da fluctibus alnum:
Canaque soliciti circumstent vela ministri.
At tu cuncta mari, & cœlo, Palinure, notato,
Et suspecta tibi læva de rupe procella
Semper erit: diro venientem turbine nimbum
Sic facilè effugies. Meliùs prævisa feremus,
Quæ nostris veniunt adversa pericula votis.
Casibus his tandem servatus, & æquore iniquo *Quando continuandus in Indiam cursus per Oceanum ultra Cernem Insulam.*
Dilapsus, Diis vota piis, tu navita, primùm
Solve genu supplex: tibi mox, quid restat agendum,
Quærere opus; præsensque petit quà tempus eundum est.

Ergo ubi velivolis ſuperaſti navibus altum
Acronoton, nitido lumen cùm ſpargit Olympo
Erigone, fluctusque ſubit cum Matre Cupido,
Altum puppe ſeca, & Libyci fuge litoris oram.
Illum depicta ſectare in pyxide Rhombum,
Eurum inter medius qui ſtat, Septemque Triones:
Ut tandem advertas Colchorum ad litora puppim,
Namque hæc meta viæ: non tempeſtate repoſtas
Illa conceſſum (1) Barigaſæ appellere ad oras;
Seriùs Acronoton nam cùm tranſmiſimus, auræ
Adverſæ ſpirant, rapiuntque fluenta ſub Auſtrum.
At formidandi retrò ſi ceſſerit altus
Acronoti vertex, cùm Bacchi à gurgite vector
Surgit, & obſcurum Titan (2) Præſepe ſubintrat,
Litus ama, & Libyæ ſtringat tibi litora puppis,
Æthiopas, Cernenque inter, quà ſemita ducit
In (3) Praſſum; at pelago, ſyrtes vitare latentes,
Atque æſtus tibi cura; ruit violentibus undis
In Libycum, & vario ſerpit Thetys incita curſu.
Si Praſſum, extremis cedit dum menſibus annus,
Veneris, & Cancro propior Sol aureus ibit,
Sydera cùm nimbis, cùm ſunt maria aſpera ventis,
Imbriferas durare hyemes, curſusque morando
Differre incœptos opus eſt, cùm ventus in altum
Vela vocat rediens, & jam vagus incipit annus
Tempeſtate nova: verùm ſi cærula ponti
E cœlo immiſſis non dum fremuere procellis,
Inſtaurare licet curſus, atque aurea tandem
Auroræ regna, & portus penetrare repoſtos.
Ergo ſub Auguſtum vento da vela vocanti,
Proxima (4) Barbariæ radat tibi litora puppis.
Hinc altas cautes, & ſaxa ſonantia (5) Rhapti
Longiùs ære ſeca, & diras fuge, navita, ſyrtes.
Inde ſinus lege (6) Barbaricos, & mœnia parvæ
Melindæ, & curvam Lami lege puppibus urbem.
Cùm procul Oceano colles ſpectabis apricos.

Quando verò in Praſſum eundum, & hinc in Indiam.

Auguſto menſe inſtauranda è Praſſo in Eoum navigatio per Africæ, & Perſidis oras.

Bar-

(1) Inſula, & urbs Indiæ, Luſitanorum Colonia, *Goa*.
(2) Stella nebuloſa propè Aſellos. (3) Promontorium, inſula, & urbs Africæ in ora Orientali, Luſitanorum Colonia, *Mozambique*. (4) Regio Africæ in Æthiopia ſub Ægypto, *Regno di Quiloa*, aliis *Zanguebar*. (5) Rhapta urbs, *Quiloa*, Rhaptum promontorium, *Capo del Gado*.
(6) *Mare di Zanguebar*.

Barbara ubi Tellus roſeo prorumpit Eoo,
Partibus & denis Finitor circulus Urſam
Elatam ſpectat, proram, Palinure, ſub Ortum
Dirige ad Eoos (1) Erythræa per æquora portus.
Quò facilis curſus cùm jam ſua tempora donat
Lancibus æquatis cœli mitiſſima Virgo;
Namque ubi poſtremis decedit Solibus æſtas,
Immenſos cœlo demittit Juppiter imbres,
Et crebrò alata turbant maria alta procellæ.

At ſi Rubra Thetis, Nabathæaque regna petenda,
Ad lævam torquebis iter, quà vertice ſummo — In Arabicum ſinum
Ardua odoriferis tolluntur (2) Aromata ſylvis.
Hinc &, Erythræas fauces provectus, iniquum
Adverſo torrente fretum tentabis, acutis
Cautus & armatum ſcopulis mare puppe ſecabis.

At luſtranda tibi ſi ſint felicia regna
Perſidos, & rutilis paſſim freta turgida gemmis,
Lævà (3) Dioſcoridis tranſmittitur inſula, & inde
Sunt juga ſylvoſi curſu luſtranda (4) Syagri. — Et in Perſicum navigatio.
Hinc quà ſe (5) Melani ſuſtollit in æthera vertex,
Intrabis rutilis felicia cærula gemmis.
Mox læva duris fugiat (6) Tylos aſpera ſaxis:
Inde (7) Tharos, (8) ſacrique ſinus; retroque relictis
Scenitis (9), magni ſubeat ratis oſtia Tigris.
Sed dextra ante aditum falcato in litore tutos
Ipſa tibi pandet venienti (10) Armuſia portus,
Inſula dives opum variarum, dives & auri,
Opportuna ſitu facili, & ſtatione reducta.

At nos immenſum Oceani tranavimus æquor:
Tempus & in tuto puppes conſidere portu.

(1) Non ſolum Arabicus ſinus Erithræum, & Rubrum mare appellatus eſt, ſed etiam tota illa Indici Oceani pars, quæ inter Arabiam, & Indiam interjacet. (2) *Capo del Guardafuy*. (3) Inſula contra Aromata, ad fauces ſinus Arabici, *Zacotorà*. (4) *Capo Sachalat*, alii *Fartach*.

(5) Sinai pars, *Gebel Tor* Arabibus. (6) Inſula ſinus Perſici, fortaſſe *Baharen*. (7) Altera ſinus Perſici Inſula.

(8) Pars ſinus Perſici circa Arabiam.

(9) Populi Arabiæ à ſcenis, in quibus habitabant, dicti.

(10) Inſula in faucis Perſici ſinus, qui nunc dicitur *Golfo di Balſerà*, Emporio celebris, *Ormuz*.



NAUTICORUM

LIBER OCTAVUS.

PROTINUS Auroræ cursum surgentis ad oras
Prosequar: Eoi jam se felicia pandunt
Litora, & umbroso (1) Bepyrri à vertice Nymphæ
Agarides, (2) rutilęque vocant (3) Chryseides auro,
Omnes Aurora genitæ, Titanides omnes.
Quin & Nereides, præsentia Numina nautis,
Jamque præire cavis certant per marmora cursu
Puppibus, & placidis intendere carbasa Coris.
Ergo ubi stellati liquit palearia Tauri,
Et pulchros Ledæ pueros invisit Apollo,
Mitte ratem pelago, & tepidum descende sub Austrum;
Nauta, vel Eois ditissima litora gemmis,
Taprobanes, (4) Ophyresque petas uberrima regna:
Aut Seres longè cupias penetrare repostos:
Sive Asiam, notique suprà confinia Mundi
Divisos toto perquiris Japonas Orbe.
At si Gangaridæ lustrandi, & proxima (5) Gange,
Tende sub Aprilem velis iter, aurea cœlo
Tunc se lux aperit, veniuntque è puppe secundi
Carbasa tendentes festivo murmure Cauri,
Sæpè sub Aprilem poteris tentare sonantes
Agarici fluctus pelagi, si Gangis ad ora

Quo tempore in extremos Orientis populos navigandum.

Ten-

(1) Mons Indiæ extrà Gangem. (2) Ab Agarico sinu, qui Gangetici pars est. (3) A sinu Magno, qui & Chryse dicitur. (4) Aurea Chersonesus, vel, ut aliis placet, *Sumatra*. (5) Urbs Indiæ ad Gangem sita, *Bengala*.

Tendis, ubi ripa ſurgit viridante (1) Palura,
Aut (2) Tindum petis, & flavas (3) Adamantis Arenas.
Rumpe moras, Palinure; die ſi ſerius uno
Solveris, adverſa jam tempeſtate ſonante,
Non tua Gangaridùm continget litora puppis.
Flectere iter velis opus eſt, pelagoque relicto,
Imbriferas durare hyemes (4) Meliaporis urbe.
Verùm age, quæ, vento in velum ſpirante, pericla
Declines (nec pauca tibi, & leviora ſuperſunt)
Exequar. Aërio ſurgunt quà vertice cœlo
Apocopi (5) montes, & (6) Vindius inſerit aſtris
Nimbiferum caput, & vento quaſſatur, & imbri,
Deſcendens longo tractu procurrit in æquor
Eoum Tellus, quam litore cingit utroque
Oceanus, ſenſimque caput tenuatur in unum,
Calligiis extenſa jugis (ſic nomine priſci
Dixere, ut perhibent, quæ nunc Comorina minores
Appellant.) præcelſa mari jacet inſula contrà
Agarico, parvo Nereus quam dividit æſtu.
Humanæ in ſpeciem linguæ ſe terra ſub Auſtrum
Porrigit, (7) Adiſathrus mediam diffindit opacus.
Antiquam velut Heſperiam pater Apenninus
Dividit, Alpe vagus dum currit ab uſque nivoſa.
Ad latus Heſperium, Zephyroque objecta ſalubri
Inſula parva jacet; Barygaſam nomine Graii,
Sed patrio ſermone Goam vocat Indus uterque.
Hanc longè Europa, per Atlantis cærula vecti,
Et magnis animorum auſis, & milite multo,
Lyſiadæ (8) cepere duces, pulſiſque tyrannis,
Æternam hìc regni ſedem poſuere, quod ultrà
Cathygaren, atque Auroræ Titanidis ultrà
Extendere ſinus, latèque per æquora magni
Oceani vexere Patris ſacra ſigna Latini:
Inſignes bello populos, regeſque potentes
Edomuere armis victricibus, atque ſuperbos
Egerunt toties victo ex Oriente triumphos.
At latere adverſo, quà primo aſpergit Eoo

Indicæ peninſulæ deſcriptio.

Goa à Luſitanis capta, & illorum elogium.

De-

(1) Urbs Indiæ intra Gangem. (2) (3) Indiæ fluvii: Adamas fortaſſe erit, qui nunc *Guenga* ab indigenis appellatur. (4) *Meliapor*, vel *S. Tomaſo.*

(5) (6) Caucaſi pars, quæ longo jugo latè per Indiam excurrit. (7) *Gate*. (8) Luſitani, à Lyſio Bacchi comite ſic dicti.

Delius Adiſathrum, ſtat campo impoſta (1) Miliſpar,
Quæ ſacra ſervat adhuc, & Relligionis avitæ
Relliquias, quas nulla unquam delere vetuſtas,
Perdere & immanes numquam potuere tyranni.
Hìc olim ſaxum (namque eſt certiſſima fama)
D. Thomæ vaticium. Ad mare conſtiterat, nimio quà feſſus ab æſtu
Inſedit quondam Didymus ſub ſydere Cancri:
Tunc Vatem divino afflatum numine mentem,
Hæc niveo ſcripſiſſe ferunt, oracula ſaxo:
Ut Thetis hoc ſaxum circumfluet, alba ſub Ortum
Gens veniet, quæ ſacra Dei, ritusque Latinos
Inſtauret, cœloque errantes dirigat Indos:
Aurea tum largis decurrent ſecula rivis.
Certa fides. Nerei trans turgida vectus Eoi
D. Savetii adventu jam adimpletum, cujus geſta ſe canere optat, ſponditque poeta. Regna, coronatis ut puppibus appulit Indis
Saberides, vitreas feſtivo murmure læta
Jam Thetis ad ſaxum undas egerat. O mihi tanti
Facta viri liceat celebrare, & carmine digno
Egregiam palmam, & clari monimenta triumphi
Pieria ad virides umbras ſubtexere lauro.
Spero equidem pelago ſervatam ad litore puppim
Vertere, lætus ubi deſcendit in æquora molli
Pauſilypus clivo, & ſub tegmine rupis opaco
Stant Vatis ſedes, & cognita rura Camœnis.
Hìc ego, dum tremuli vicino ab litore ponti
Aſpirant lenes Zephyri, & vaga murmuris aura
Aoniam motat ſylvam, ſacro incitus œſtro
Alta trophæa viri, atque illuſtria facta ſub Ortu;
Et victos dicam populos, regesque ſubactos.
Quin etiam, ſi Parca mihi non invidet annos;
Firmaque proveniet ſpatiis vivacibus ætas,
Et Bellica contexturum. Difficiles artes, & duri munera belli
Expediam, magnoque accendam prælia cantu.
Sin, has ne valeam Muſarum accedere ſedes,
Infirmæ obſtiterint maleſano in corpore vires,
Antra mihi, & vitrei placeant in litore fontes;
Æquora amem, ſcopulosque inglorius: ò ubi Neſis,
Si tamen infirmæ vires obſtiterint ad Pauſilypum otiari cupit. Pauſilypusque, & Olympiacis luſtrata puellis
Mergelline! ò, qui gelidæ me rupis in antro
Siſtat, & optata Zephyrorum recreet aura?
Felix qui potuit famam protendere factis,
Æternùmque virùm victor volitare per ora:

Et

(1) Eadem, ac Meliapor.

Amœnæ, felicisque ad Pausilypum vitæ descriptio.

Et potuit rores Musarum haurire beatos.
Fortunatus & ille, maris qui Numina novit,
Nerea, Neptunumque senem, Divasque sorores:
Quique peroptata scopuli pendentis in umbra
Ducere felicem tranquilla per otia vitam,
Insanosque Urbis valuit vitare tumultus.
Ille, coloratis dum vecta Aurora quadrigis
Oceano redit ex alto, felicia lustrat
Rura per apricos colles, aut divitis horti
Delicias consuetus adit, fontesque revisit.
Hìc per pulvinos, & per segmenta viarum,
Quà lætæ areolæ multo se flore coronant,
Multo & odore fragrant, it creber, & aurea lustrat
Dona Deùm: nunc buxus ubi variata figuris
Assurgit media, aut murum prætexit, & arcus,
Assidet, & dulces volucrum bibit aure susurrus.
Hinc ubi jam saturas implevit cantibus aures
Garrula turba avium, surgit festivus, & umbram
Pinguis ubi gestit ramis felicibus arbos,
Arbuteas inter sylvas, & amœna vireta
Perquirit, cursatque cito pomaria gressu.
Exploratque, suum si duxerit uva colorem,
Si livent ficus, si multo persica Sole
Mala rubent, curventque graves pomaria ramos:
Et juvat interdum felici ex arbore poma
Carpere, mellitos hinc & libare sapores.
Cùm verò tenui rupere silentia flabro
Jam Zephyri, & leni crispantur verbere fluctus;
Litus adit, scopulosque, & saxa virentia musco.
Hìc celeres spectat cymbas cursare per undas,
Et pueros inter delphinas ludere cursu:
Nec non & pelagi Divas, tenerasque puellas
Concelebrare choros per litora, perque beatam
Pausilypi sedem, & passim indulcere choreis.
Audit & umbroso stratum Corydona sub antro
Litoreum gracili carmen deducere avena,
Et simul ingratæ meditari Phyllidis ignes:
Interdum picto sulcat tranquilla phaselo
Cærula, & Euplæam cursu, viridemque revisit
Nesida, & longè Bajas, collesque Dicarchi,
Et te de navi aspectans, Misene, salutat.
At nunc quà placidè sonat aura, & plurimus halat
Muscus odoratis è cautis, & vaga rorem
Ad scopulos veniens aspergit Doris amarum,
Cærulea insidit super alga, aut vertice in udo:

Hìc piſcatores ſolventes retia in undas
Aſpicit, & captas properare ad litora prædas:
Cernit & incluſos reſilire indagine piſces,
Ac nitido ſquamas argento, auroque nitere,
Atque oſtro, minioque, coruſcantique ſmaragdo;
Hanc olim veteres vitam coluiſſe putarim,
Qui validi centum ſpatiis felicibus annos
A morbis procul expertes, curiſque trahebant.
At nunc (ò læti colles, ſcopulique valete)
Quò me Fata vocant per Eoi cærula, curſus
Incœptos, quantum tenuis fert aura, ſequamur.
Mons ubi Calligius vitreas deſcendit in undas,
Ac bifidos findit tractus (1) Comorinus aquarum,
Alternas Natura vices ſortitur, & uno
Admiranda loco rerum ſpectacula præbet,
Nec terris ſpectata aliis; nam tempore eodem
Hinc lævà, vitreos quà Sol petit aureus amnes
Oceani, rigidis contriſtat Dorida nimbis
Juppiter, & nigra perturbat ſydera nube.
Arva rigent crebris Aquilonibus alta pruinis
Piniferùm incandent juga montium, & horrida paſſim
Omnia frigoribus denſis concreta rigeſcunt.
At dextrà intereà montis diſcrimine parvo,
Purpurei fulgent Soles, cœlumque ſerena
Luce micat, Zephyrique maris læta æquora perflant.
Verſicolor pratis ver purpurat: aurea rident
Culta, novæque nitent viridi de palmite gemmæ.
At cùm dextra hyems pelago, & nox incubat atra,
Tunc læva Zephyris ridet ſpirantibus æſtas.
Qualis in Ammericæ ſylvis felicibus arbos,
Quæ ſimul, ut fama eſt, & trunco, & menſibus iiſdem,
Informem præfert hyemem, foliiſque comantem
Æſtatem, ſentitque vices, mirabile dictu,
Adverſas: hinc læta comis frondentibus umbram
Subtexit viridem, teneroque è cortice gemmas
Fundit odoratas, ſuavemque exhalat odorem:
Parte alia ramos foliis nudata rigentes
Horret, & amiſſo ſqualleſcit honore comarum.
Ergo ubi trans (2) Colchos molles te ventus in Auſtrum
Vexit, & horrendæ Comorini admoverit oræ,

Mirabiles Naturæ vices circà Comorini promontorium.

Admirandæ arboris, quæ & æſtatem, & hyemem refert deſcriptio.

Ne

(1) Ultimum Indicæ peninſulæ intrà Gangem promontorium, *Capo di Comorin*.

(2) Celebre Indiæ citerioris emporium, *Cochin*.

Ne te decipiat blandi pellacia ponti,
Atque leves Zephyri venientes murmure læto; Comorini hyemes præcavendæ.
Instrue solertem magna ad certamina pubem
Solicitus: vix puppe latus transmiseris, ecce
Horrida tempestas cœlo ruet, & freta cœca
Subverti rapido spectabis turbine venti.
Arte truces supera nimbos, Palinure: latentes
Et Syrtes etiam, & scopulos vitabis acutos.
Hinc si regalem Gangen petis, atque Peluram,
Flecte viam velis, tardamque ascende sub Arcton.
Hinc & Taprobranen linquens, (1) Corynque jacentem,
Gemmiferum juxta litus vada spumea sulca.
At si purpureis passim baccata lapillis
Sit Chryseque, Ophyreque vagis lustranda carinis,
Tunc lævà velis transmittitur insula, quà se
Arboribus tollunt densis nemora avia centum,
Quæ calidum piper, & felicia cinnama fundunt.
Hìc tibi prærupto venienti à vertice pontus
Ingens ante oculos aperitur, & insonat; illum
Angaricum dixere sinum, cui nomina Ganges
Ipse etiam rutilo prolapsus flumine fecit.
Hìc furit immanis violento turbine Typhon, Typhon qui.
Barbarus Oceani regnator, & arbiter undæ
Eoæ, centum puppes qui fluctibus hausit;
Et totidem per saxa tulit, totidemque sub auras
Abripuit, summoque iterum de vertice misit
In scopulos, in saxa, aut vortice mersit aquarum;
Et miseros nautas quoque funere mersit acerbo.
Vis Typhon violenta, procacibus horrida nimbis,
Et latè horriferis stridens animata procellis: Et ejus descriptio.
Improvisa ruit nigro de Vespere, nube
Discissa, & longè fugiens assibilat auris.
It citus orbe vago, cursatque per aëra circùm
Cum sonitu, cœlumque ingenti murmure miscet:
Conclusum nubis gremio ceu fulmen apertum
Cùm molitur iter, medium per nubila rauco
Excursat fremitu, & cœli loca concava lustrat,
Si qua via in terras pateat: summaque repentè
Scindit vi nubem objectam, lapsumque per auras
It præceps, circumque vago secat aëra cursu:
Incandetque ardens flammis, & murmurat alto

(1) Insula inter Taprobranen, & Indicam peninsulam, *Mandr*, Margaritarum piscatu celebris.

Cum ſonitu, latèque poli convexa reſultant.
Principiò lenes inſternit in æquore fluctus
Cæruleus Typhon: mox imo turgida fundo
Alta ciet, frangitque, auris ſtridentibus, undas.
Non altæ in ſummis tutantur montibus ornos
Radices: forti vellit de ceſpite truncos,
Ac penitus diro populatur turbine ſylvas.
Non & litoribus defendunt mœnia turres:
Tecta, domosque trahit, vaſtasque à culmine turres.
Sævior Oceani in medio furit æthere Typhon,
Horrendùm ſtridens, magnasque à gurgite puppes
Abripit, & longè in ſcopulos, in ſaxa repentè
Dejicit, & mille in partes cava frangitur alnus,
Nunc gaulos circùm ingentes immurmurat, & ſe
Per gyros flectit varios, atque orbibus orbes
Implicat, & celeri ſecum rapit aëra motu.
Ceu rota, nitrato quæ pulvere fulminis inſtar
Armatur, feſtisque ſolet flagrare diebus.
Utque ignem in ſicca ſervatum reſte miniſter
Admovet; extemplò correpto è fomite velox
Ignea circumſepta ruit vis; & cita fertur
Igne rota, & ſparſas jaculatur vertice flammas:
Ingeminatque vagos, intus vi pulſa, rotatus
Cum ſtrepitu, & rapido circùm rapit aëra gyro.
Dat motus vento vires: tollitque ſub auras
Vis ingens puppes: medio ſtant pendula cœlo
Navigia (horrendùm dictu, & mirabile viſu)
Hinc, aura fugiente, cadunt, demerſaque ponto
Infandùm pereunt. Dii talem avertite caſum
Puppibus, & toto rapidos Typhonas Eoo,
Oceano & toto pariter removete benigni.
Æquator cœli medium quà deſuper orbem
Subligat, & medio præterluit Amphitrite
Ammerices oras inter, Lybiæque præuſtæ
Non vada diſſimili tempeſtas turbine miſcet.
Tempeſtates horrendę torridæ Zonæ, & earum deſcriptio.
Dum ventis tranquilla ſilet Thetis, ilicet ingens,
Atque inopina tonans magno clangore procella
Decidit, & dicto citiùs tumida æquora tollit:
Agglomeratque ſimul nubes, atque aëra plangit,
Horrendo reboans ſtrepitu, latèque remugit;
Ut moto credas diſſolvi cardine mundum.
Et faceret; cita deficeret ni dira procella;
Nam tenuis vapor, eductus vi Solis in ignem
Vertitur extemplò, ſubitaque reſolvitur aura.
Turbinis ut magnus cecidit fragor, alta repentè

Cæ-

Cærula ſubſidunt, iterumque malacia ridet
Blanda mari; ut numquam gremio tumuiſſe furenti,
Et numquam cœlum tenebras texiſſe putares.
Rectores Galli, qui jam felicibus auſis
(Id quondam è Gallo memini accepiſſe magiſtro,
Dum me multa ſuper ventis, pelagoque doceret)
Latè omnem magnis perluſtrant claſſibus Orbem,
Ut propiùs Mundi rectum venere ſub axem,
Adverſumque polum aſpiciunt, demiſſa reponunt
Æra rotis, navi in media, pubemque ferocem
Invigilare jubent velis: utque æthere (1) nubem
Exiguam ſpectant rareſcere (turbinis illa
Et fœcunda parens ſimul, & prænuntia ſurgit)
Omnia confeſtim ex alto demittere vela
Præcipiunt: secùs invertet citus impete turbo
Navigium, ſubito veniens plangore per auras.
Nec dubium, quin dirus aquas ad ſydera turbo
Attollet, circùm Lunam ſi fulſerit orbis
Subniger, aut ſubluſtris, Halo cognomine dictus:
Aut curto Solem gyro præcinxerit Iris.

Et has contra qua ſe ſolertia Galli inſtruant.

Illarum ſigna.

Eſt etiam ille malus per Eoi cærula turbo,
(Quem Graii Preſtera vocant) immanis, & atrox.
Ventus ab Æolia quo non violentior alter
Poſt Typhona venit, nimbiſque, & fulmine ſeptus.
Horrendùm reboans diſrupta è nube ſupernè
In terras ruit impacatus, & igne coruſcat.
Ac velut horrifico erumpit globus ære ſub auras,
Pulvis ut exarſit, dira flammante favilla,
Fertur vi magna, atque ignito turbine fervens
Aëraque, nubesque, atque altas verberat urbes
Cum ſonitu, tonitruque, & mœnia disjicit ictu.
Non ſecus accenſo incandeſcens fulgure Preſter,
Et violentus aquis deſcendit, & omnia flammis
Involuit, miſeraſque rates ſub Tartara mittit;
Terrifico & longè complet maria alta tumultu.

Preſter qui, & ejus deſcriptio.

Sunt genere ex hoc, quos noſtri cognomine Nautæ
Aëris immanes appellavere Dracones:
Horrendique ferique, cavis qui deſuper alnis
Protinus effundant ſi ſe, ratis ilicet omnis
Scindetur, mediaſque ibit diſperſa per undas.
Cum longè infames curſu adventare Dracones
Aſpicis, & trepidas perſtringit ſibilus aures,

Qui ſint Dracones.

(1) Nubecula iſthæc alba appellatur à Nautis Bovis oculus.

Præcipio è roſtris, aut quà ſe turbidus infert
Et quomodò fugandi. Horrendo clamore Draco, te protinus æra,
Ferratosque ſimul vectes, atque enſibus enſes
Percutere adversùm, & belli ſimulacra ciere:
Sic procul è puppi tranſibit territus ille.
Non ſecus, ac denſis obductus nibibus Æther
Cum tonat, & latè reboans micat igne triſulco,
In terris trepidæ gentes campana flagellant
Aſſiduè æra, ſono totus quo percitus aër
E nubis gremio prohibet ſe mittere fulmen.
Cùm ſpectas torpente mari, cœloque ſereno,
Preſteris ſigna. Exiguam ſummo diſpergier æthere nubem,
Immanem ex alto Ecnephiam properare videbis.
Hoc etiam Preſtera vocant cognomine Graii.
Principiò, tumidos pelagi ne findere fluctus
Incipias, operitur ager dum fronde caduca,
Autumno ſqualente, vel igneus ardet Olympo
Sol rapidis invectus equis ſub ſydere Cancri;
Quæ ſit contra Typhones ſolertia. Lunaque fraternas cùm jam petit æmula bigas;
Nam tunc Eoo crebeſcit in æquore Typhon,
Et reddit fluctus, & non tractabile cœlum.
At ſi te medio (vitare pericula cuncta
Non opis eſt noſtræ) comprendit gurgite Typhon,
Armatos longè ſcopulos & ſaxa caveto,
Navigium nè fortè feroci turbine Typhon
Abreptum ad cautes allidat; & æquore mergat.
Eſt cava prætereà trans litora, gurgite vaſto
Mitior ira: rates nec ſæpius obruit altas.
Illa ſed in primis animo tibi cura recurſet
Sydera adire prece, & bona Numina poſcere cœlo.
Ergo ubi terribilem deſcendere nubibus atris
Typhonem aſpicies, geminas ad ſydera palmas
Tende genu ſupplex, Divosque in vota vocato:
Incipe tu: ſociique iterent tua verba precantes.
Principiò clamore Pater, Genitusque vocetur
Publicæ ſupplicationes pro Typhonibus, ac tempeſtatibus omnibus arcendis. Æqualis Patri, & qui pectore ſpirat utroque
Igne ſacro, Deus ipſe, & amoris amabile pignus.
Et te, Virgo, vocent, quæ afflatu numinis aucta,
Servatorem hominum peperiſti, & gaudia Mundo.
Hinc &, ſyderios orbes qui præpete gyro
Devolvunt, ſummique ferunt mandata Tonantis:
Quique Deum noſtræ contectum carnis amictu
Jordanem ad fontem luſtralibus abluit undis,
Et magni Patres, & qui cecinere futura
Fatidici multo repleti numine Vates.

Mox

Mox regni decus ætherii, columenque vocetur
Grandævus senior, supero & qui raptus Olympo est,
Atque alii, divina Dei qui dicta per omnem
Missi Orbem in populos, in barbara regna tulere,
Atque illi qui ignominias, & tristia passi
Servitia, æternam meruerunt laude coronam,
Et cœlo regnare; suo & qui sanguine fuso
Firmavere fidem dictis, animamque volentes
Pro re divina, pro Relligione dedere.
Inde pio magni pariter clamore Magistri,
Qui sacra nos docuere Dei, ritusque, vocentur;
Quique altum tenuere nemus, quique auspice cœlo,
Virginios primi cœtus coluere Parentes.
Teque vocent summo dilecta, Ancilla, Tonanti,
Quæ vitam in melius referens, luxusque profani,
Et Veneris pertæsa, Deum, & meliora sequuta es.
Ac Divæ palma insignes, castæque puellæ,
Desponsata Deo felicia pectora: & illæ
Quæ tot magnanimæ tormenta, & barbara jussa,
Et gentem immanem, & reges sprevere superbos,
Proque pudicitia, & pro cæsi Numinis igne.
Ac demum Oceani præsentia Numina magni
SABERIDÆ, Palinure, voca: premit ille potenti
Dextra Typhones, animosque, & pectora mulcet.
Mille rates, pulsis Typhonibus, æquore vasto
Servavit, totidemque alias sub Tartara missas
Restituit, nigroque potens avexit ab Orco
Magnus SABERIDES, Deus ætheris, Oceanique
Regnator: centum delubra per aurea Divi
Dependent passim tabulæ, cælataque in auro
Dona virûm, mediis quos mersos traxit ab undis,
Syrtibus & quos, & scopulis eduxit acutis.
Sunt tibi prætereà fugiendæ in gurgite Eoo
Maniolæ (1), duri montes Magnete rigescunt
Latè ubi, qui pelago puppes vel tardat euntes,
Vel rapiat arcana sensim virtute, propinquæ
Si vada dum sulcant, animatis rupibus ibunt.
Quippè silex ferrum trahit æmula; fertur & ipse
Spontè sua chalybis furor insitus, atque rigentes
Amplexus petit, & nexu sociantur eodem,
Ac velut amissam longo post tempore matrem
Ut puer aspexit venientem, se ocyùs Euro

Maniola Insula, ubi Adamantini montes longè transmittenda.

Vi-

(1) *Isole di Pracel.*

Vibrat in amplexus, illum quò ducit amoris
Insita vis: citus ut tenuit, stringitque, fovetque,
Nec charo è gremio patitur divellier ardor,
Non secus arcana raptæ virtute carinæ,
Incassum contrà remis, & agentibus Austris,
Spontè ruunt in saxa, illisque tenacius hærent.
Quippè calent etiam durissima viscera, & intùs
Præduras lapidis, chalybisque est flamma medullas.
Sic sæpè Oceani proscindere segniùs undas
Lysiadæ puppes mirati: & flantibus auris,
Nequicquam validis impleri lintea flabris.
Sæpè rates etiam (multi cecinere magistri)
Abreptæ in scopulos, in saxa ruere repentè,
Creber ubi cœlo, sustollitur Herculeus mons.
Hinc nativa legunt qui litora puppibus, alnos
Fagineis nectunt radiis, truncove cavato
Nota secant patrii maris æquora: nec secus Arcto
Sub gelida faciunt nautæ, qui pellibus undas
Sæpè etiam sulcant; nam fundo plurimus imo
Occulitur Nerei Magnes, ferrumque, trabesque
Vi rapit: abreptæ subeunt freta cærula puppes,
Et miseri pariter merguntur in æquore nautæ.
Quin etiam ((1) si vera fides, nec vana locuti)
Magna jacet medio rupes, surgitque sub ipso
Alta polo: circùm nimbique atræque procellæ
Perpetuis ardent flammis, & cærula ventis
Acta fremunt, totumque tegunt aspergine montem.
Mons ipse è rigido totus Magnete nigrescit.
Postquam servata tandem cum puppe Malacam
Veneris, in placida pinus statione reconde.
Hìc nota instauret vires per litora pubes:
Quassatasque etiam præstat sarcire carinas,
Et commissuras, rimasque opplere patentes;
Perfusaque pice, & molli simul ungere cera.
Chrysorum (2) extrema sedet in Tellure reposta
Urbs, Indi patrio appellant sermone Malacam.
Hæc placidas nautis sedes, & commoda præbet.
Seu sint extremo lustrandi in litore Seres,

Naves connexa Fagineis clavis.

Aurea Chersonesus.

Ul-

(1) Ferunt enim visam ab Oxoniensi quodam rupem sub polo leucarum 33. Magnetis, quam quatuor Euripi interfluebant, perpetuò undarum fremitu. *Kircherius Artis magneticæ lib. 2. p. 5. c. 5.* (2) Chrysii, populi sunt Aureæ Chersonesi.

Ultima vel Chryſe roſea ſub ſede petenda:
Sive tot Oceano paſſim perquirere regna
Sparſa vago, ignotumque velint penetrare ſub Orbem.
Contrà elata mari, & medio ſub vertice cœli
Maxima (1) Sindarum jacet æquore perlita Eoo
Inſula, odoriferis ſylvarum ditior umbris,
Et nigro fœcunda ebeno, niveoque Elephanto.

Hinc interruptos roſeum, Palinure, ſub Ortum
Inſtaurare tibi liceat quo ſydere curſus,
Expediam. Gemini vario pro tempore Soles
Dant faciles vento curſus, ſi dives Eoo
Cathygare quærenda ſinu, ditesque (2) Cyambes
Sylvæ ebeno, & multo felices munere ſylvæ.
Tethyos ex amne ardenti cùm Syrius aſtro
Surgit, & adversùm cedens Jovis armiger ales
Occidit, & roſtro tumidas premit arduus undas,
Carpe fugam: tibi nulla datis mora curſibus obſtet:
Altera tempeſtas ſulcandis fluctibus apta eſt,
Cùm Sol Ægoceri luſtrat jam proximus orbem,
Oleniæque cadit ſydus glaciale capellæ.
Chryſæo ut primùm ſolviſti à litore funem,
Oceano cùm Luna novo venit aurea cornu,
Auſtrinum pete puppe latus, cautusque (3) Palandæ
Naufragio infames ſcopulos, ſyrtesque doloſas
Vitabis: geminas inter freta concita terras
Horrendis paſſim ſcopulis, & ſyrtibus horrent.

Qu̧ tempeſtate intermiſſa navigatio in ultimum Orientem inſtauranda.

Sed poſtquam retrò ſaxis vada dura Palandæ
Liquiſti velis: remisque, & protinus Arctos
Incipit apparere, viam tù flecte, relictoque
Ichorio (4), dextrà violet tibi Dorida pinus,
Mitis ubi Oceani, & ſuperabilis unda recurſat.
Nam quà cæruleos diffundit ab aëre nimbos
Africus improviſus, & æquora turbine vertit,
Ingens æſtus aquæ, & veloci flumina curſu
Transversùm recto rapiunt de tramite puppes:
Aurea ut Eoi legiſti & litora longo
Circuitu, Seres, tandem, gentemque togatam,
Atque oras Aſiæ extremas ſervatus adibis.

Et quà continuanda ſit.

At ſuperatà maris poſt cærula, quæ tibi in ipſo
Sint nunc externo fugienda pericula portu,

Ex-

(1) *Sumatra*. (2) Sinarum Provincia Ptol. fortaſſe erit, *Ciambà*. (3) Urbs Aureæ Cherſoneſi, quæ eſt Pari ut Caſtaldo placet. (4) *Ichos*.

Seres qui, & illorum Imperii descriptio.

Exſequar, & paucis rem totam ab origine dicam.
Imperium Seres magnum, atque uberrima regna
Oceano Eoo, & magno circumdata muro
Soli habitant, vaſtasque colunt cum mœnibus urbes.
Jura, magiſtratusque tenent, & ſacra Deorum
Antiquo cultu, alta & relligione parentum,
Officiis gens tota vacat, cultuque decoro;
Acris & ingenio, inveniendis artibus acris.
Attamen externos nimium ſprevere ſuperbi,
Seu potius gentes armis timuere potentes
Externas, nimia preſſi formidine regni:
Vincere ne quis eos, neu quis ſubmittere poſſit.
Namque animæ imbelles, pictis ſplendere ſub armis,
Nec celeres arcu gaudent vibrare ſagittas:
Non acri exercentur equo, nec Martia curant.
Barbaricas hinc gens indixit barbara leges:
Auſus inacceſſis ſi Serum appellere terris
Advena quis fuerit, tanto pro crimine pœnas
Supplicio luet, atque infami morte piabit.
Crimen & intactas Serum eſt contingere terras.
Auſa nefas tantùm ſervandi regna cupido eſt
Commerci tandem cauſſa, poſt ſecula ſera,
Auſi Lyſiadæ gentes penetrare repoſtas.
Sed tamen Oceano primùm conſiſtere juſſi
In medio; ſuper alta habita & commercia navi.
Inſulam & hinc pretio mercati, ut litore tuto
Imbriferas durare hyemes, & frigora poſſent.
(Tandem regna aurum irrupit, legesque refixit)
Hìc furtim jactis fundarunt mœnibus urbem;
Atque etiam turres, & propugnacula muro
Impoſuere: Jovisque imitantia ahena fulmen
Æra tenent altæ turres, urbemque tuentur.
Ergo ubi Sinarum ventus te vexit ad oras,
Portus tutus adi ſocios, urbemque (1) Macai.
At ſi te portus, urbemque intrare negabit
E prora aſſurgens ventus, dabit inſula portus
Plurima, quam circùm mitis Natura locavit,
Nec tibi vicina Seres de ſede timendi;
Nam rara Oceani percurrunt abiete campos:
Magna coronatis ſed flumina navigat alnis
Gens illa, & toto jungit commercia regno.

Mille

(1) Inſula, & urbs cum celebri portu, Luſitanorum emporium, & arx.

Mille rates fluviis visuntur: & ordine longo
Ire aliæ adverso, atque aliæ descendere prono
Torrente, & magnas per flumina ducere merces.
Undique tecti amnes sunt puppibus, undique remis:
Ut vastas urbes vectari flumine credas.
Namque domus ratibus fabricata, & mœnia parva;
Et res imperio unius rectoris aguntur.
Oram solvendi cunctis hic tempora dicit,
Quæque fugam primæ capiant, quæ deinde sequantur:
Quæ dextram teneant ripam, quæ litora propter
Læva secent fluvios: ubi Vespere figere castra
Conveniat, pluviosque imbres sufferre morando;
Ac fluvio interdum, atque adverso cedere vento.
Legibus hinc omnes certis per maxima currunt
Flumina: nec primæ venientes ordine tardant;
Nec segnes istæ primas velociùs urgent:
Nec magnas inter naves, numeroque frequentes,
Exiguo, & spatio fluviorum cernitur unquam,
Aut levis incursus venientum, aut inter euntes
Fit fragor, & parvo gliscit discordia motu.
Quid non lex, hominumque potest prudentia major!

Ingens Sinarum navium per flumina multitudo, miro ordine navigantium.

Præterea (miranda tibi spectacula dicam)
Per latos regni campos, perque æquora circùm
Curribus alatis fugiunt, ventosque lacessunt.
Ingentes ratibus similes de robore currus
Ædificant, geminasque rotas utrinque reponunt.
Attolluntque altum medio de corpore malum:
Antennam, & malo sociant, ac linea pandunt
Vela Notis; lætoque inflantur carbasa vento.
Et ceu puppis aquas, sic findunt aëra currus,
Ut ventum accepere sinus: atque æquora tranant.
Vis tantum valet ingenii, atque ars æmula tantum.
Tales velivolos spectarunt æquora currus
Campana, & summo miratus colle (1) Tifata,
Cùm nuper Serum mores imitatus, & artes.
Alata fugi per rura virentia puppi.
Et Batavi tales agitant per litora currus:
Et ventum sæpè increpitant clamore morantem.

Currus velivoli per campestria apud Seres.

Et apud Batavos, quos & auctor in campania exhibuit.

Sed tandem populos jam tempus adire repostos
Oceani fines ultrà, quà terminus Orbis
Eoi. Titanis ubi sub sede rubentis

Japonia, ejus descriptio, & gentium mores.

(1) Mons Campaniæ propè Capuam, ubi Annibal castra posuit.

Purpureas Aurora domos, croceumque cubile
Tithoni tenet, & radiis micat aurea primis:
Oceano sita cæruleo jacet ultima Chryse,
Insula dives opum, & tot regibus inclyta, & armis,
Eoo semota mari, divulsaque Mundi
Litore ab extremo tot seclis abdita quondam
Terrarum latuit dominos, gentemque togatam;
Nec Latios vidit fasces, timuitve secures.
Barbara gens habitu est, & diris barbara sacris:
Alta tamen mens olli, atque altum spirat honorem:
Fortunæ perferre vices, casusque sinistros
Impatiens, vitamque petit pro laude paciscí.
E cœlo traxisse genus, Divisque beatis
Jactat, & innumeræ series numerantur avorum,
Progenitos quos ante putat primordia Mundi,
Et rerum coluisse chaos: per secula mille
Mentitur genus antiquum, deliria centum
Barbara gens fingit; quæ numquam fabula Grajûm,
Numquam indulgentes genio finxere poëtæ.
Mortales adeò vanus tumor, altaque mentis
Ambitio insanos fecit: commercia quondam
Nulla mari nobis habuere: sed impia leges
Illas gens posuit: pereat quicumque per altum
Jactatus ventis, & fluctibus appulit oris,
Quas miseris Natura dedit, statuitque benigna
Perfugium, rabidi fugientibus æquora ponti.
O genus invisum mortalibus, & fera corda
Nescia crudeli miserorum funere flecti!
Sic immanis, atrox, & moribus effera gens est,
Quæ nequit hospitiis, & fœdere jungere dextras.
Heu! fuge crudeles populos, fuge litus iniquum
Te nudi accipiant scopuli; periisse juvabit
Desertas inter cautes, quàm funere acerbo
Exaturare avidas miserorum in sanguine gentes.
Nunc age, quo cœli sub sydere puppibus æquor
Sulcandum Eoi, & ferus inquirendus Japon,
(Nam tali patrio se gens cognomine dicit)
Accipe. Ut ardentem stellis fulgentibus ensem
Exerit Oceano surgens armatus Orion,
Mitte ratem pelago; Divisque in vota vocatis,
Carbasa da Zephyris felicibus: æquora verrunt
Eoi lenes Zephyri, dum candida cœlo
Lux nitet, & radiis lustrat Sol aureus orbem;
At pelago immersus cùm noctem induxit, & umbram,
Auster agit fluctus, strepitatque sonantibus auris.

Quo tempore in Japoniam navigandum.

Sæpè

Sæpè etiam Boreas felici carbasa flatu
Noctes, atque dies intendit, proximus Ursam
Cùm petis, & longè incipiunt crebrescere terræ.
Solvere sæpè oram fas est, dum contrahit orbem
Fervidus exactum cancer, decrescere cùm jam
Incipiunt luces, sensimque extendier umbræ,
Ocyùs è noto verùm si litore funem
Ruperis, & flantes cursu præveneris auras,
Vitabis, Palinure, trucem Typhona procellis,
Et tandem Auroræ venies servatus ad axem.
Hìc ego ni fractus curis sub fine laborum,
Jam spumantis equi festinem solvere colla,
Forsitan arctoas irem cum puppe sub oras
Primus, & ærato gelidi per inhospita Mundi
Sulcarem rostro glacialis marmora ponti;
Unde iter Eoum, cursusque brevissimus undis.
Necnon & Manes alios, atque abdita regna
Adversa sub sede poli, quò navita nullus
Ivit adhuc, & nullæ unquàm venere carinæ,
Lustrarem impavidus; non me concreta pruinis
Terrerent vada, non glacies, noctesque profundæ.
Nunc quoniam me Fata vetant petere abdita Mundi
Litora, & algentes cœli penetrare sub axes,
Fessus ad Hesperium flectam mea carbasa litus;
Ammericæque novas quæram sub Vespere terras:
Puppibus illa aliis post me lustranda relinquo.
At mihi, vos clarum pelagi decus, ite per undas
Ite duces, Nymphæ Oceanitides: ite Camœnæ:
Vos unà comites; quoniam sine munere vestro
Incassum sulcamus aquas, nec vertice Pindi
Vocales Vati aspirant Zephyritides auræ.
Vos mihi quisnam hominum confidentissimus ille,
Sive aliquis fuerit satus alto à sanguine Divùm,
(Namque ita censendum, mortalis enim haud homo tantum
Ausus opus tentare) canenti pandite, Musæ:
Pandite quandoquidem, Divæ spectastis & illum,
Et meministis adhuc, vasti qui cærula Atlantis
Remigio audaci, & Fatis ducentibus ipsis,
Sulcavit primus, domuitque incognita Nerei
Æquora, & alterius petiit felicia Mundi
Regna, novos populos, vastissima flumina & urbes;
Atque novo imposuit leges, & nomine Mundo.
Ingentes animi, generosum pectus, & ingens
Olli robur erat, mentisque interrita virtus:
Acre erat ingenium; Superisque simillimus ille.

Quo duce, terrarum non ampliùs ultima Thule :
Non intactus Atlas tumidus manet ampliùs undis.
Plus ultrà Oceanum licet ire ; tumentia quando
Pervia sunt maria, atque alter jam pervius Orbis.
 Vir fuit Ausonia in magna de sanguine Divùm
Progenitus, magnisque animis, & corpore pulchro.
Illum Italæ gentes appellavere Columbum
Nomine, Diva parens cui formosissima Nympha
Uranie fuit, astrigeri quam sydera cœli
Divino attollunt plausu, dum currit Olympi
Stellati metam, atque orbes metitur, & ignes.
Hæc puerum teneris annis nemora avia circùm
Nutriit: & fotum gremio Dea sæpè sub altos
Ætheris immensi tractus, & concava cœli
Sustulit, & dulces animo inspiravit amores
Magnarum laudum, stimulosque incendit honoris.
Nam juvat à teneris annis uti gloria pectus
Spe dulci lactet, foveatque cupidine laudis;
Ut magnos animos, & spem capiamus adulti;
Et clara in decora, atque illustria facta gerenda
Instimulet nos laudis amor, plaususque cupido.
Major ubi lustro crevit puer, aurea mater
Syderiis illum studiis, & Palladis arte
Erudiit, cœlique vias, & sydera dixit.
Cur medio librata loco vastissima Tellus
Stet firma, & trepidum numquam latus incita mutet:
Et vastis conclusa fluant maria alta cavernis
Fluctibus alternis: cur latè mobilis aër
Per mare, per terras circùm diffunditur omnes;
Scilicet ut dulces vitæ mortalibus auras
Præbeat insinuans sese per corpora ubique:
Unde & tot variis versentur motibus orbes
Ætherii: sed certa vagis data meta viarum
Syderibus: spatiis & per sua tempora certis
Quodque ruat, loca & inter tot perplexa vagetur:
At cœli convexa super cur segniùs astra
Fixa orbi incedant, una & sub lege ciantur.
Prætereà tantùm cur sese tingere ponto
Hyberni properent Soles, vel quæ mora tantùm
Æstivos tardet; cœli quia cardine summo
Scilicet obliquus Signorum volvitur orbis.
Et quid se in varios Virgo Latonia vultus
Induat, & rutilos alternet frontis honores:
Vel cur interdum media sub nocte repentè
Occulat amissis totum splendoribus orbem;

Novi Orbis inventi fabula.

Columbus cœlestium rerum studio eruditus.

Ni-

Nimirum quia luce ſua non illa coruſcat:
Sed nitet accepto fraterna è luce nitore:
Ut reliqui radiant ignes: nam luminis unus
Sol pater, & Solis ſunt omnia lumine plena.
Dixit &, obductis fulgoribus, unde laboret
Sol ipſe; ante oculos quia ſcilicet invida noſtros
Seſe Luna tulit; ceu cùm velamen apertam
Scenam in conſpectu ſubitò occu'it interjectum.

Inſuper his, nigro quà ſe ſub Veſpere condit
Sol ultrà Oceanum, alterius felicia Mundi
Regna etiam abſcondi, genteſque, & flumina, & urbes,
Edocuit: pronis quæ jam volventibus annis,
Ipſe per immenſum velis audacibus æquor
Attinget primus, populoſque in fœdera noſtra,
In leges, in ſacra Deùm, moreſque vocabit:
Nominaque imponet Mundo: ſeque æthere ab alto
Ignotis monſtrare viam promiſit in undis.

Et de novi Orbis detegendi notitia inſtructus.

Ille in ſpem tantam primis nutritus ab annis,
Utque ætate nova pubeſcere cœpit adultus,
Cùm vigor accreſcit membris, & vivida virtus
Irritat laudis ſtimulos, vireſque miniſtrat
Ingentes animo, & mens altum affectat honorem,
Hoc opus, hoc imis verſabat ſenſibus: ingens
Et laudis ſtudium, & luſtrandi gloria Mundi
Inceſſit pectus, ſtimuliſque accenſa cupido
Urgebat damnare moras, per ſomnia lætus,
Aut videt, aut vidiſſe putat nova litora terræ:
Nam quæ ſæpè diu meditamur ſenſibus imis,
Ac penitus menti inſidunt, cupimuſque futura,
Illa eadem ſomni ſub imagine ſæpè videmus.
Ardua non illum magnarum exordia rerum,
Non varii terrent caſus, curſumque retardat
Dulcis amor patriæ, ſtudiumque ignobilis oti.
Sufficit ipſa animis ingentes gloria vires.
Ergo moras ultrà differre, ruentibus annis,
Impatiens, jam carpit iter, quà terminus olim
Herculeæ noti Orbis erant, rerumque columnæ.

Ingens illius ardor novum Orbem perquirendi.

Hic quondam Libyam juxtà, quà maximus Atlas
Alto cœlum humero, & flammantia ſydera torquet,
Inſula magna fuit medio ſita gurgite, priſci
Dicta eſt, ut perhibent, Atlantia nomine regis;
Quæ magno terræ motu concuſſa repentè
Corruit abſorpta Oceano: ſententia multis
Hæc alia eſt; primo ſubmerſam ſcilicet illam
Diluvio periiſſe: ſed alta cacumina montium

Atlantia inſula ſubmerſa: unde & Fortunatæ inſulæ.

Emer-

Emerſere mari, Fortunatæque vocantur
Inſulæ Oceano in vaſto, quas luſtrat Apollo
Dum caput immergit pelago defeſſus Ibero.
Ultimus hic Phœbi labor eſt, & meta diei;
Et Libyæ præter fines olim ultima rerum
Meta fuit: circùm mare fluctuat Atlanteum.
Primus & hàc cœli percurrit circulus alti
Quique diem, noctemque ſecans, duo tempora ſignat,
Quo Sol in medio micat axe altiſſimus, & quo
Sub pedibus Manes luſtrat, Ditemque profundum.
At Fortunatas inter celeberrima Tellus,
Quæ Superum ſacra Reginæ, cognomina jactat
Junonis magnæ, centum cui templa ſacrarunt
Æthiopes paſſim per litora. Tollitur hic mons
Æmulus Atlanti, cœlumque cacumine pulſat
Extremo: ſentitque vices, mirabile dictu,
Adverſas: centum dorſo nemora avia denſis
Arboribus ſurgunt, latèque virentia centum
Prata coloratis cum floribus undique ſpirant:
Fluctibus & vitreis medius fluit irriguus fons,
Murmura blanda ciens: ſed candida colla pruinis
Incandent, nivibusque riget ſenis horrida barba.
Ardeſcit flamma vertex; nam proximus urget
Ætheriam flammam, atque Elementi ſimplicis ignem.
Hùc ubi Tarteſſi præter vada fervida venit,
Immenſum molitur opus, crebræque recurſant
Curæ animo: monſtrante Dea, quò Tethya poſſit
Tutus adire, novumque Orbem luſtrare latentem:
Et matrem expectat cœlo, incuſatque morantem.
Altas Oceano puppes, jam certus eundi
Mittit ovans: dat vela Notis: ſed vertere retrò
Cogitur inde iter, & magnis abſiſtere cœptis.
Nam dubius neſcit quo ſydere naviget æquor,
Quasve plagas curſu primùm petat, & freta primùm:
Quæ turbet, qua parte poli ruat incita claſſis:
An Boream, an lævà tepidum deſcendat in Auſtrum
Quas & inaceſſas tandem ſe vertat in oras.
His animum preſſus curis ſubit ardua montis
Culmina; ſi matrem forſan juga celſa colentem
Uraniam inveniat miſer, & promiſſa repoſcat.
Verticibus feſſus ſummis jam proximus ibat,
Cùm videt ingentem molli deſcendere clivo
Planitiem, & circùm gemmantia floribus arva;
Amnis ubi placidus, nitidisque argenteus undis
Pumice muſcoſo manabat, & aurea propter

Junonis inſula, *Teneriffa*, ubi ingens mons Picus appellatus.

Columbi ſollicitudo, curæque de novo Orbe detegendo.

Cul-

Culta canorus aquis, & molliter ibat in herbas,
Hìc ſedet, & triſti diffundit ab ore querelas.

Quid juvat, ò Mater, præclaro à ſanguine Divùm
Ætherium traxiſſe genus, ſi pulcher Apollo,
Ut mihi narrabas, pater eſt, & montibus altum
Agreſtes inter Divas, & Oreadas inter:
Et me natum in laudem, & facta illuſtria natum;
Si te nunc noſtræ ceperunt tædia laudis.
Non ſervas promiſſa memor: non æthere ſummo
Pandis iter, trepidamque ratem per cærula ducis,
I, perge, & totam nigris tege nubibus æthram,
Irrita ventos: fluctusque ad ſydera tolle,
Quin age, & ipſa manu noſtris jace claſſibus ignem,
Sic pereant naves, & ſpes ſimul excidat omnis.

Et ad Matrem Uranien querelæ.

Non procul auratis quà floribus arva rubebant,
Argutum nemus, & crebris loca conſita ſylvis
Gratam præbebant mediis fervoribus umbram,
Deliciæ Superùm, & ſtatio placidiſſima Divùm,
Hùc fortè Uranie cœtu ſtipata Dearum
Venerat ex alto nimio defeſſa labore:
Ac nemora inter ſacra Jovis, ſedesque beatas
Felicem Zephyrum, & frigus captabat opacum.
Quam circùm Divæ centum, teneræque puellæ
Suavi ludebant cantu, placidisque choreis.
Purpureis formoſa comis, & candida mammas
Andromede, & roſeis Helice ſuccincta cothurnis,
Nectebant primæ choreas: Cynoſura ſororem
Ponè ſequebatur, dulci placidiſſima viſu,
Cæſariemque effuſa levem per candida colla.
Ægleque, & ſoror Amphichryſis, Olympides ambæ,
Ambæ auro, & ſtellis redimitæ ardentibus ambæ,
Parte alia celeres jungebant orbibus orbes;
Erigoneque, & flava Pelorias (altera virgo,
Altera tum primùm thalamo dotata jugali)
Et Berenice, Ephyreque, atque aurea Caſſiopeja;
Ac demum niveas Erato nudata papillas.
Illæ dum choreas ducebant, candida Clio
Pulchros Belidæ cantabat Agenoris hortos,
Dulcia purpureis ſubreptaque pignora ab hortis,
Dum choreas inter ludit chorus omnis, & almi
Furta Jovis, toto & mutatas corpore formas,
Ac pavidam Europam Tauro ſuper æquora nantem.
Quo blando Nymphæ mulcebant carmine mentem.
Divarum luctus tum flebilis impulit aures,
Ac ſimul audiri gemitus cœpere Columbi.

Cœleſtium divarum, & Uraniæ luſus. Qui Columbi queſtubus intercidi-tur.

Ex-

Extemplò Nymphæ choreis, cantuque relicto,
Obstupuere: sed ante alias Cynosura sorores
Egreditur nemore, & nitidum caput extulit umbris:
Et procul: ò soror Uranie, tua cura, Columbus
Tristis ad irriguas muscosi marginis undas
Stat lacrymans, altisque replet nemus omne querelis,
Te crebrò vocat, & crudelem nomine dicit.
Hìc iterum perculsa parens formidine mentem:
Duc, ait, ò Cynosura soror, duc alta Columbum
In nemora, & sacros liceat penetrare recessus.
Tunc illum solata, jubet Cynosura sub umbras
Sacrati nemoris succedere: protinus ille
Exequitur data jussa Deæ, graditurque per arva.
Utque nemus subiere, viro venit obvius omnis
Nympharum chorus: ante alias procedit ovanti
Uranie gnato, & sacra in penetralia ducit.
Postquam est in nemus argutum, saltusque beatos
Perventum, & nati questus audivit inanes
Uranie, manibus dant vitrea flumina Nymphæ,
Canaque detonsis tendunt mantilia villis.
Mox dulces mensis epulas, & pocula ponunt,
Pocula felici spumantia nectare Divùm.
Accubuere Deæ mensis, seditque Columbus
Uranien inter genitricem, Opimque sororem.
Hinc epulis postquam expleti, mensæque remotæ,
Uranie affari natum jubet: incipit ille:
Uranie mater, cœli pulcherrima Nympha,
Unum oro (quando Superùm mihi munere Divùm
Ingentes aperire datur mortalibus Orbes)
Ire novum in Mundum trans longè Atlanta repostum
Contingat: doceas iter: & maria invia pandas.
Cui contrà roseo mater sic ore locuta est:
Nulla tui me unquam cepere oblivia, nate:
Obstabant sed Fata: suis nec vellera fusis,
Solicitæ quanquam, explerant felicia Parcæ.
Et nobis nihil invitis fas quærere Divis.
Nunc promissa, sinunt dum Fata, & Juppiter æquus,
Implebo. Superi jam te per concava cœli
Supra undas, montesque supra, & vaga nubila ducam;
Cernere quò terras omnes, maria omnia possis,
Et novus, intactis præter freta cærula Atlantis
Orbis ubi nigro sese sub Vespere condit;
Et carpenda tibi quà sit via tuta per undas,
Expediam. Mora nulla, velut vada flava Caystri,
Aut cùm Mæandri, vel Minci flumina linquunt

Columbus in nemus introducitur, mensæque assidet.

Matrem orat.

Matris Uraniæ ad Columbum sermo.

Can-

Candentes cygni, celerique per aëra lapsu
Sydera summa petunt; niveum volat agmen in auras: — Aërem petunt.
Arripuere fugam Divæ, & pernicibus alis
Alta secant, cœlumque petunt: præit agmina prima
Uranie, & gnatum secum Dea tollit in altum
Purpureæ innixum nubi: volat ille per auras
Lætus, & ætherios gaudet contingere honores.
Jam super aërias sedes, camposque liquentes
Divarum pennata cohors conscenderat: & jam
Incipiunt sensim sonitus audire beatos, — Astrorum concentus.
Et tractim resonare: novo modulamine captus
Constitit extemplò Divà satus, & bibit aure
Concentum, pascitque avidos dulcedine sensus
Insueta: longùmque oculis mirantibus hæsit.
Mox charam alloquitur genitricem, & talia dicit:
Quisne hic concentus, genitrix, dulcisque susurrus,
Qui nunc exoritur, sensimque accrescit eundo?
An est hæc Superùm sedes, ubi sydera cantu
Mota sonant, placidisque ruunt concentibus orbes?
Sic gnatus: sic orsa refert contrà aurea mater;
Non longè hinc radiat stellati regia cœli,
Mota ubi concentu Superis vaga sydera plaudunt. — Illius caussa, & descriptio.
Mens sua syderibus, vastos quæ perciet orbes,
Et paribus numeris, paribus rotat intervallis.
Intus agit molem: concepto machina motu
Labitur, & motis concursant orbibus orbes,
Fit sonus, & certis modulantur pulsibus astra.
Percurrit numeros mens illa, & lege sequuntur
Disparibus, paribusque modis vocalibus orbes.
Subsultat, modulante polo, concentibus æther:
Et vario cœlum replet modulamine cantus.
Jamque propinquabat venientibus aurea Phœbe,
Et major gemino splendebat lucida cornu.
Inde jugis quondam cupressiferæ Cyllenes — Septem errantia sydera describuntur.
Patre Jove, & Maja genitus, summusque Deorum
Nuncius, ardenti mortalibus igne videri
Difficilis: quem ponè Venus fulgentibus astris,
Orbis amor, placidique parens gratissima risus,
Insequitur, blandoque oblectat lumine Divos:
Proximus & Titan fulvo circundatus auro
Divarum ante oculos magnum dabat igneus orbem;
Grandior apparet Mavors, latèque coruscat,
Cui lateri gemma intertextum baltheus ensem
Sustinet, & capiti cristis micat aurea cassis.
Juppiter hinc sociis radians argenteus astris,

Puraque diffundens sua lumina: proximus ibat
Huic genitor, longo sed proximus intervallo.
Attonitus stetit Uranie satus, aurea cœli
Sydera dum spectat rutilis ardentia flammis.
Miratur molem ingentem, celeresque rotatus
Astrorum, & magnis se volvere cursibus orbes.
Miraturque vagi suspendier ætheris ignes,
Luminaque ardentes radiis imitata pyropos.
Hìc stetit Uranie, & cœtus stetit omnis ovantùm
Nympharum, & niveis librat se pendulus alis,
Ipsa fugam veluti cùm cepit ab arce columba,
Et super aërias sedes se sustulit alis,
Figit iter liquidum, & simul aëre tuta quieto,
Pennarum justo libratur pondere, nec se,
Nec circùm nutans candentes commovet alas.
Ipsa sed intereà Tellus minor æthere ab alto,
Sub pedibusque Deæ, roseaque è nube videtur:
Et simul antè oculos sensim curvata patescit,
Apparent demissus Atlas, demissa Pyrene;
Multùm piniferis nec se cum montibus Alpes
Attollunt; humiles quantùm consurgere clivi
Cernuntur, tantùm se tollere cernitur Atlas,
Et (1) Jura, atque Alpes, & montibus alta Pyrene.
Contractus fertur spatiis Gis fertilis alveo,
Et Tagus aurifera longè rarescit arena:
Contrahit Oceanus sua cornua, contrahit undas:
Et placidè fluitant contracto cærula limbo.
Qualis ubi picto spectatur scena theatro,
In breve collecti spatium, montesque, lacusque,
Ac fluvii, sylvæque, arcesque videntur, & urbes.
Magna sub Occasum Oceani trans æquora vasti
Terrarum moles dubia sub luce patescit:
Ceu cùm prima aperit ferrugine lutea cœlum
Aurora, & Solem terris prænuncia pandit,
Eminùs apparent lustrati lumine montes
Cærulei, & fusca cœli ferrugine tincti.
Has longè in terras sua lumina flectere natum,
Protinus Uranie Dea jussit: & ore profari
Incipit: ille Deæ pendet dicentis ab ore,
Terra, procul vasto quam cernis Atlante repostam,
Et longè à nostris via dividit invia terris,

Est

(1) Galliæ mons Sequanos ab Helvetiis discludens, *Monte di S. Claud*, *&* *Jurat*.

Est novus Orbis, aquis latè circumfluus udis.
(Ammericen dicent) quem noscere Fata negarunt
Antiquis: intactus adhuc manet abditus ultrà
Oceani fines: sed nunc post secula sera
Jam visum est Superis aperire, & jungere tandem
Noto Orbi, gentesque alias in fædere nostra,
In leges, & sacra Deùm, moresque vocari.
Teque opus in tantum felicia Fata reposcunt
Auctoremque, ducemque: inventi gloria Mundi.
Et uni concessa tibi: tu fædera junges:
Tu leges, & sacra dabis: tu nomina nostra
Gentibus impones. Sed jam tibi singula paucis
Expediam, nate; & quæ sint ventura, docebo.

Terra potens regnis, & gentibus inclyta mille, Americes descriptio.
In geminos Orbes se dividit: alter in Austrum,
Alter in Arctoas latè se porrigit oras.
Quos geminos Orbes hinc inde interlitus Isthmus
Adnectit, maria alta secans discrimine parvo.
Sed circùm tota Oceano vastissima Tellus
Cingitur. Æquator medius quam dividit orbis.
E læva secat Ægoceros, quà strictior Austro
Irrumpit: contrà præter freta consita saxis
Insula (1) respondet flagrantibus horrida flammis.
At dextra Cancer rutilantibus igneus astris
Percurrit mediam; longèque extensa sub Ursas
Clauditur Arctoo gyro, glacieque rigescit.
Dives opum, dives gemmarum, dives & auri:
Et cultu parens, & fertilis ubere glebæ.
Flava Ceres campis: nascuntur collibus uvæ;
Et nemora alta tegunt montes, vallesque per imas
Irrriguis centum labuntur fluctibus amnes,
Ac loca læta rigant. Venientibus Insula magno
Quæ prima Oceano occurrit (cognomine (2) Haytim
Gens vocat) æratas tuta in statione carinas
Accipiet, concessa tibi quæ prima laboris
Meta est: purpureis, illam, cùm fulserit astris
Candida Taygete, vectorque Athamantidos Helles
Jam caput extulerit stellato in vellere fulgens:
Aut longos cùm Libra dies æquaverit umbris; Quo tẽpore adeunda à matre docetur Columbus.
(Nam fortunatos faciunt duo tempora cursus)
Nate, petes; auris nam tunc felicibus Euri

(1) *Terra del Fuoco* ab ignivomis montibus dicta.
(2) Hispaniola.

Aſpirant, præbetque viam quoque prævius Atlas,
Tende iter in Noton, & quà circulus imminet alti
Solſtitii, quò cùm perveneris, agmen opacum
Dirige in Occaſum, quà ſe currentibus undis
Pronus agit pelagus; nam ſic, ducentibus ipſis
Fluctibus, Oceanum celeri cum puppe ſecabis.
Antè ſed Oceanus placandus, & humida Doris,
Nate, tibi; facilisque ſimul Dea divitis Orbis
Ammerice: per vaſta dabunt tibi cærula curſus
Felices illi; hæc felicia litora pandet.
Monſtra maris magni vitulos in litore ſeptem
Oceano mactabis, & æquoris inſuper Orcam
Cæde ante aras; Oceanoque hæc munera mittes.
Dorida ſed geminis ovibus venerabere cæſis
Inde Deam: dicesque: Tibi, pulcherrima Dori,
Has geminas mactamus oves; tu gurgite puppes
Læta præi, & vitreas mecum, Dea, curre per undas.
At Divam, cui cura remoti contingit Orbis,
Ammericen, fuſo vitulæ venerare cruore,
Effundesque preces, Numenque vocabis amicum.
Hæc dedit Uranie: & ſubitò pernicibus alis
In terras delapſa volat, natumque reducit:
Et circùm comites Nymphæque, Deæque ſequuntur.
Ut ſacrum venere nemus, ſedesque beatas;
Natum iterum Uranie affatur, Dea ſyderis alti.
Te, nunc qui caſus varii, durique labores,
Nate, manent, ſalvis venias quàm puppibus antè
Litus in ignotum, & dulci potiaris arena;
(Quippe ferunt ſecum magnarum exordia rerum
Difficiles caſus, exudandosque labores)
Expediam. Indomiti per inhoſpita cærula venti,
Et tempeſtates duræ, nimbique ferendi,
Et maris intoleranda quies, crudelior ipſa
Ventorum rabie; magnarum & longa viarum
Tædia, & ardentes Cancri ſub ſydere Soles.
Sæpius ambeſas coget conſumere quadras
Dira fames: ſæpè & veſtras diſcordia puppes
Invadet, Stygiisque furet ſtipata maniplis:
Exacuetque iras, ſocios & in arma vocabit.
His ne cede malis, nec retrò vertere curſum
Inceptum tentes, ſuperisque obſiſtere Fatis.
Cuncta feres animosè, & durando omnia vinces.
Finis erit: finem tandem properaſſe malorum
Indicio tibi erunt volucres: tibi mittet & illas
Conciliata tuis precibus, vitulaque litata

Am-

Dii primum libamine placandi.

Et labores exantlandi.

Ammerice: festo volucres clamore saluta,
Et socii festo volucres clamore salutent:
Quippè novo optatos ostendent litore portus.
Perge modo: & quà te magnum via ducit in Orbem
I, sequere: & tandem felicibus utere Fatis:
Dux adero ipsa tibi, & præsenti Numine ducam.
Hæc ubi confestim rosea cervice refulsit
Avertens vultum; & cœtu comitata sororum
Se dedit in nubem: natumque reliquit. At ille,
Matre Dea monstrante vias, init æquore cursum,
Atque novi gentes, urbesque, & litora Mundi
Lætus adit, jungitque aliis commercia terris.
Hoc nobis auctore novum (1) monstrata sub Orbem
Solis ad Occasum, intactique per æquora Atlantis
Est via, difficilis primùm, & vallata periclis:
Quam tandem crebri errores, ac tempora longa,
Et facilem solers hominum experientia fecit.
Sed quamquam vicina ratem jam litora poscant:
Ipse & amem merita puppim redimire corolla,
Quam mihi (2) materna subtexit Olympia myrto:
Et formosa sinu venienti Nesis, & omnis
Cętus Olympiadum plausu gratetur ovanti:
Et nassas, & retia rara: novumque (3 laborem,
Et nova serta paret viridi florentia musco.
Quamvis Heroam prætendant & mihi laurum
Pierides, fremituque sonans Europa secundo
Fortunata in bella vocet, quibus aurea laudum
Proh quanta assurget Vati seges. Hinc furor, iræque,
Indomitique animi, & superata ferocia Thracum,
Et tandem AUSTRIACO devicta (4) Sicambria MARTE,
Et Spes Regnorum ingentes: hinc celsa (5) Methone,
Et Pylus Ausoniis cessit quæ capta triumphis,
Deditaque Odrysiùm bis fractis (6) Nauplia signis;
Hinc & Sarmaticis concussa bipennibus horrens
Taurica, (7) Cimmeriumque nemus, Tanaisque subactus,
Jam veniunt majore tuba celebranda per omnes

Æta-

(1) Anno 1491. quo Kal. Aug. in novum Orbem solvit Columbus. (2) Natus enim poeta est ex matre Olympica.
(3) Halieutica scilicet, quæ nunc parantur. (4) *Buda* Hungarici Regni caput, capta ab Austriacis Lotharingio, & Bavaro Ducibus anno 1686. IV. Non. Septemb.
(5) *Modone* Peloponnesi, *Morea* quæ nunc dicitur, Urbs.
(6) *Napoli di Romania*. (7) Barbaris *Krim*, & *Krimea*.

Ætates, merita in terris quò fama perennet
Magnanimùm Heroum, primi qui fortibus ausis
Res (1) Othomanidùm conati evertere fundo,
Infamisque (2) Arabi ritus abolere profanos,
(Quæ laus, ò LEOPOLDE, tua est : est & tua, Magne
CAROLE (3), Threjicio nomen fatale Tyranno,
At Latio semper felix, & amabile Regno;
Est tua &, (4) Emmanuel, primis qui magnus ab annis
Magna paras rerum molimina, te quoque possis
Victor ut æternis Divorum ascribere fastis :
Est tua Sarmaticæ (5), Rex invictissime, gentis,
Cui jam pronus aquis se subjicit omnibus Ister:
Et vestra, ò Veneti Proceres, qui Numine dextro
Jam Byzantinis infertis turribus arma,
Turpejosque iterum fasces) ipsique nepotes
Egregiis discant majorum insistere cœptis.

Ex Europæ Americã navigatio, quomodo, & quo tempore instituenda.

Non tamen Atlante, in magno, quæ cura magistro,
Cum petit externas fusco sub Vespere gentes,
Dicere prætercam. Bætis trans ostia gaulos,
Aut Gaditano mittes de litore in altum,
Non propria sub veste nitens dum Juppiter Ammon,
Aut geminæ surgunt æquato lumine Chelæ:
Et Tartessiaci præter vada fervida ponti,
In Fortunatas cursu contende citato.
Hinc fugiens mediæ propter confinia Zonæ,
In virides pleno laberis mense (6) Caribas.
Tunc & Lysiadæ aurato de flumine solvant,
Brasiliæ si regna petant, vel divitis oræ
Litora, quà nitidis subtermicat amnis arenis.
At novus occiduo si fors quærendus in Orbe
Sit tibi Iber, seno cùm cœtu (7) Eudora sororum
Exilit Oceano, & rorantibus emicat astris,
Oram solve citus; nam si tardabis iniqui
In proram venient commixta grandine nimbi.
At verò Austrinos terra in (8) Chryseide portus
Si quæras, da vela, madent cùm præla Falerno,

Aut

(1) Turcæ ab Othomanno primo Imperii duce sic dicti.
(2) Mahometes nefariæ Sectæ teterrimus Parens.
(3) V. hoc nomine Lotharingiæ Dux, Austriaci exercitus Summus Imperator. (4) Maximilianus Emmanuel Dux Bavariæ. (5) JOANNES III. Rex Poloniæ. (6) Insulæ Americæ, quæ primæ occurrunt. (7) Una ex Hyadibus.
(8) *Castiglia dell'oro*, Provincia meridionalis Americæ.

Aut gravis ira Canis dùm faucibus ardet hiulcis;
Nam tunc Eoi ſtato flant tempore venti,
Occiduam leni criſpantes Tethya flabro.
Verùm (1) Rupellæ è portu, portuque (2) Dieppes
Rectores Galli ſolvant, (3) Aravana petenda
Si fuerint nova regna, mari cùm protinus Io
Aſſurgit dilecta Jovi, ſtellisque coruſcat.
At ſi ſemotæ luſtrent Arctoa (4) Canadæ
Regna, coronatis committant puppibus Euros,
Cùm nitidæ pronum ſe ſubtrahit Iſidis aſtrum,
Et face Tyndaridæ luſtrantur Solis amici.
Nunc age, quæ reditu via ſit, quo ſydere cœli,
Dicamus. Medio properat quæ claſſis ab (5) Iſthmo,
Et Mexicano veniunt qui litore gauli,
Quique ingens aurum terra è Chryſeide vectant,
Havanæ (6) in portum contendant: hinc ubi cœlo
Emicat Alcidæ inviſus Junonius ignis,
Dent placidos claſſi Zephyros, & ſine relicto
Ardentis Zonæ, dulcem mortalibus ægris
Temperiem quærant, ſulcantes cœca (7) Bahamæ
Cærula, & egelidas certent properare ſub Urſas,
Arctous Mundi tandem quò partibus altus
Jam quadragenis conſurgat ab æquore vertex:
Nam ſic occidui ſurgentia flamina Cauri
Intendent vela, & venti vitantur Eoi.
Mox iter arripiant, quà matutina reducit
Aſſurgens primum nobis Aurora laborem;
Namque ſub exactum cernent de gurgite ſignum
Azoridas (8) tolli, & tutos rareſcere portus;
Unde iter Europam ter quino abſolvitur orbe.
At Galli redeant, cùm Pampineus Autumnus
Dat pingues nobis uvas, & mitia poma.
At dextro quicumque novi de litore Mundi
Parthenias (9) quæris terras, ſparſasque (10) Baruſſas
Per (11) mare pacis amans, venientes Solis ab ortu

Et ex America in Europam,

Et tandem ex America in Philippinas.

Ac-

(1) *Roccella*. (2) *Dieppe*. (3) *Aravari* in America, inter Pariam amnem, & Amazonum. (4) Provincia Americæ Septentrionalis à fluvio dicta *Canadà*, quæ & nova Francia. (5) *Panamà*. (6) Urbs Inſulæ Cubæ. (7) Inſula contra Floridam. (8) Inſulæ *Azores*, *ò Tercere*, vulgò dictæ. (9) Inſulæ Marianæ, Hiſpanis *de los Ladrones*.
(10) Eædem, ac Philippinæ. (11) Mare Pacificum, vulgò *del Sur*.

Accipies quocumque libet ſub ſydere ventos:
Et prono curres pelago, quà ſemper ab igni
Cingulus incandet medius. Sed cùm micat aſtrum
Ledæum, aut nimio ferveſcit Carcinus æſtu,
Eoos tunc linque ſinus, Zephyroque ſecundo
Crede graves ebeno, & felici merce carinas.
Eque Noto fugiens, æſtus vitabis, & Euros:
Hinc fines ultrà Cancri provectus adibis
Magdalios (1) portus, vel (2) Apollinis alta nivoſi
Culmina: velivolis quæ cùm tranſmiſeris alnis,
Ditis (3) Acapulci venies ſervatus ad oras.
Puppibus hæc ſuper, & Velis, Ventisque canebam,
Et ſuper Oceano, CÆSAR dum magnus ad Iſtrum
Fulminat Odryſios bello, victorque Tyrannum
Auroræ pulſat, populosque avertit iniquos:
Atque illum ſubmiſſi Avares, Hunnique rebelles,
Depoſitisque vagi venerantur Iazyges armis.
Illo Parthenium me tempore patria Siren
Pauſilypi ad colles, & Olympia dulcis alebat,
Uraniæ ſtudiis florentem, & Palladis arte;
Alter qui patria luſi piſcator in acta:
Tityre, te vitreas cecini Crateris ad undas.

FINIS.



PAR.

(1) *Porto della Madalena* in Inſula California.
(2) *Capo di S. Apollinare*, in eadem Inſula.
(3) Urbs, & portus Americæ in Mexicano Regno.

PARTHENII
HALIEUTICA.

EDITIO TERTIA.



HALIEUTICORUM
LIBER PRIMUS.

QUr curſent vada ſquamiferi, quæ læta frequentent
Paſcua, qui mores gentis, quæ prælia, & ignes;
Necnon & variæ quot ſint piſcantibus artes,
Sive hamos verſent, ſeù retia: ſive tridente
Monſtra petant; vel fixa cavis conchylia ſaxis,
Aut duro ramoſa legant corallia trunco,
Hinc canere: & cæptis aderit ſi Muſa, ſub Ortum
Gemmiferas Indo quæſitum gurgite conchas
Ibo alacer. Zephyris, vos ò, mulcete ſerenis
Æquora, Nereides; veſtro ſub numine quando
Innumeri ſpumoſa natant per cærula piſces,
Et fortunato concreſcunt oſtrea ſucco.
Nec minus ò Cœli Decus, & ſpes unica Mundi,
Virgo, fave, Vatique tuo da nobile carmen,
Auſpiciis qui, Diva, tuis, jam rara tumenti
Credit lina mari, prædamque affectat opimam;
Nam tu materni Dea litoris; aſpice, ut omnis
Hic te ubi barbarico ſurgunt de marmore templa,
Supplicibus votis veneratur Olympica pubes:
Atque tuo ex undis ſervati numine nautæ,
Et promiſſa ferunt tibi munera, votaque ſolvunt,
Huc tibi primitias Tyrrhena è Doride conchas,
Vulſaque de duris virgulta rubentia ſaxis
Ipſe & agam, magniſque onerabo altaria donis.
Ergo age, ſquamiferas piſcoſa in retia prædas
Immitte, & nubes diſclude, & marmora placa.
Tu verò, ò noſtræ Decus immortale carinæ,

Et nova, CARDENIDE, piſcantis gloria Muſæ,
Huc adſis: frondoſa vocat te Neſis, & alti
Miſeni rupes, & aprici ſaxa Dicarchi,
Quò Vatem tu Phœbus agis, quò pulcher & ipſe
Ire comes Vati non dedignatur Apollo,
Et verſare hamos, & arundine fallere piſces.
I pelagi Deus alter, & altera eat Dea Phyllis.
Non tenues calamos, non retia deſpice; namque his
Fors erit, ut magnum referas in ſecula nomen:
Magnus & Euboica ſemper celebreris in acta,
Lina ſub umbroſo dum texet Olympicus antro.
Quin &, ſi faciles venient ad cœpta Camœnæ,
Te puer Heſperius, & te cantabit Eous:
Ille Tago, patrioque redit cùm dives Ibero,
Hic nitidas unda cùm fert Chryſeide gemmas.
At mihi, ſi quondam victrici Nerea puppi
Auſpiciis luſtraſſe tuis, quà roſcida ſurgit
Aurora, & quà ſe fuſcus vehit æquore Veſper,
Poſſe datum, & merita proram redimire corolla:
Nunc liceat reduci materno in litore prædas
Venari, & conchis per ſaxa vacare legendis,
Dum me Pauſilypus, dum proxima Mergilline,
Atque in blanda vocant felices otia Muſæ.
Mox ego, ſi plures addet mihi Juppiter annos,
Arma gravi numero, & Bellantum prælia dicam.
Quare age, ſi tua, quæ canimus, non mollia juſſa,
Patria piſcantem per cærula dirige cymbam,
Actias in velum dum ſibilat aura canenti.
Principio piſcoſa priùs, quam retia in æquor
Solvimus, aut dextrà ferrum torquemus acutum,
Quæ nitidi ſpumoſa greges loca, quæque frequentent
Paſcua læta maris, quæ ſaxa virentia, vel quæ
Flumina ament, rivoſque libentius, & genus omne,
Et ſtudia, & mores, & quæ ſua nomina cuique
Eſt, piſcator, opus prædiſcere: quique doloſi
Sint aſtus, rixæque, & vafræ prælia gentis;
Nam quo ſe poſſint tutari, piſcibus acre
Ingenium Natura dedit, vireſque, doloſque.
Quare agite, & proprias cunctorum diſcite formas,
Nominaque, & mores. Primi cervice rubentes
Qui piſces litora incolant. Litora curva ſecant (1) Cuculi, atque humiles per arenas
Cæru-

(1) Noſtris, & Siculis *Cocco*, Romanis *Capone*, Galli à Mullis non diſtinguentes *Rouget* vocant, Provinciales verò *Gallire*, Santones *Perloa*.

Cæruleos carpunt frutices: quos inter in alga
Squamigeri paſcuntur (1) Equi, flavique (2) Erythini,
Vocaleſque (3) Lyræ, volucriſque per æquor (4) Hirundo,
Flaventeſque auro, & ſaturi violâ (5) Melanuri.
Ipſi etiam curſant criſtati ſpumea (6) Pagri
Litora, quæque auri referunt nomenque, decuſque
Auratæ (7), & roſeo (8) Mullus qui fulget ab oſtro.
His (9) Smarin, his (10) Sargos, & verſicoloribus adde
Ardentes ſquamis, rutiloque (11) Synagridas auro:
Et litus (12) Synodontes amant, ſerratus & (13) Orphus,
Quique diù in ſicca diſſectus vivit arenâ.
Salpa (14) ſupercilio virides imitata ſmaragdos,
Et virgis variata, & lacti concolor: & (15) qui
Attalico clarus textu natat æquore Rubro,
Campaniſque pererrat aquis, & noxius ictu
Scorpius (16), & vivax (17) Scorpæna, & (18) Blennus, & omnes
Imbelles (19) Aphyarum acies, (20) Hepſetus, & udus.

En-

---

(1) Noſtris *Caval Marino*, Gallis *Cheval*, Hiſpanis *Caulinho marino*, Draconem etiam Veneti dicunt. (2) Noſtris *Luvaro*, Romanis *Fragolino*, Siculis *Caroſano*, Hiſpanis, & Gallis *Pagel*, Venetis *Arboro*, plerumque cum Pagro confunditur. (3) Cum Cuculo paſſim confundunt, appellatur item *Organo* à ſono, à Gallis *Groau* à grunnitu, inſuper *peſce Malearmato*. (4) *Rondine di mare*, Gallis *Arondelle de mer*, Hiſpanis *Valador*. (5) Italis paſſim *Occhiata*, Gallis *Oblada*, & *Nigr'oil*. (6) *Pagro* paſſim audit apud Italos, Gallis verò *Pagre*, Hiſpanis *Bezogo* indigetatur. (7) Noſtris *Orata*, Hiſp. & Gallis *Dorade*. (8) *Triglia*, & *Treglia* à noſtris, Gall. verò *Rouget*: *Barbeau* vocitant etiam Maſſilienſes, & Ligures *Triga*, Hiſp. *Barvo de la mar*. (9) Noſtri *Cerre*, Romani *Spigaro*, Veneti *Giroli*, Narbonenſes, & Hiſp. *Pigarel*, at Maſſilienſes *Gerres*. (10) Ferè omnibus *Sargo*. (11) Neap. *Ricciola*, alibi paſſim pro Dentice accipitur ob ſimilitud. (12) à Noſtris *Dentice* appellatur & *Dentale*, Gall. *Dentè*. (13) Noſtratibus dicitur *Cernia*. (14) Ital. Hiſp. Gall. *Salpa*, Maſſiliæ verò *Sopi*. (15) Callichthys, & Stromateus dictus *Fiatola*, Hiſpanis *Pampano*. (16) Noſtris, & Romanis *Scorſano*, paſſim verò *Scorpio*. (17) *Scorſanello*, & paſſim etiam *Scorpio*. (18) Noſtris *Cepolla*, Romanis *Meſſore*, Hiſpanis *Cacador*, Gall. *Lebre de mer*, muſcoſus piſcis: propter quod, & Blennus dictus eſt.

(19) Neapolitanis *Cicinielli*, Liguribus *Nonnati*, Roman. *Peſci novi*. (20) Gall. *Ivoil*. Nobis inter piſculos ponitur, quos dicimus *Fragaglie*, Gall. *Petit Poiſons*.

Engraules (1), (2) Atherina, (3) Thrichisq; & canus (4) Acarnas,
Quæque Hyeme incanæ, nigrescunt tempore (5) Mænæ
Æstivo, resonoque (6) Boops, qui gutture mugit.
Sed qui (7) Psittacei, freta quæ felicia cursent,
Planorum catalogus. Dicamus: Dulci (8) Soleæ pinguedine succi
Occurrunt primæ cantanti, quas mihi malim
Apponi, quoties Divorum Sacra præimus
Supplicibus votis, vel tempora quattuor anni
Primitiis frugum oblatis, precibusque sacramus.
Concolor & Soleæ (9) Passer, (10) Rhombique trilibres,
Et (11) Citharus algas amat, (12) Ammodytesq; Britannus,
Et (13) Coraces cervice nigri, viridesque (14) Lacerti,
Auratique oculis (15) Sauri, (16) Milvique rapaces,
Quique venenato piscantes sæpè fefellit
Ore (17) Draco, & (18) pulcher speculator syderis alti,
Trachurumque (19) greges nitidi, maculosus & alas
Mor-

---

(1) Nostris *Alice*, Hisp. Gall. *Anchoy*. (2) *Laterina* nostris, Gallis verò *Melet*. (3) *Sarde*, & *Sardelle*, Gall. *Celerins*. (4) Inter Erythinos accensetur *Fragolino*.

(5) Italis passim *Menola*, Adriaci verò incolis *Menola Sclava*, Gall. *Mendole*, & *Cagarel*: Nobis haud dubio sunt *Rotundi*. (6) *Boga*, & *Rotondetto*, Gall. & Hisp. *Bogue*, Nostratibus, ut vox ipsa ostendit *Vope* appellantur.

(7) Sic à Græcis cum Arist. nuncupantur, qui non in ventrem, aut dorsum, sed in latera compressi, inque tenuem extremitatem desinentes procreantur. Plinius planos vocat, horum autem duo sunt genera, spinosum unum, cartilagineum alterum, quia nimirum pro spina cartilaginem habent. (8) Neapolitanis *Palaja*, Ital. *Linguata*, Gall. *Sole*, Hispan. *Linguado*. (9) Ital. *Passaro*, Gall. *Plye*.

(10) *Rombo*. Gall. *Roub*, & *Turbot*, Hisp. *Rodovallo*.

(11) Rhombi species Romæ *Foglio*. (12) Anglice *Sandil*. (13) Romæ *Gallina*, Gall. *Cabote*. (14) Ital. *Lacerto* dicitur, Gallis verò *Suvereau*. (15) *Sauro*, similis est cum superiore genere, Gallis *Aiguile* indigetatur.

(16) Multi cum Hirundine confundunt, cum Corace alii, aliique cum Cuculo: Italis *Nebio*. (17) Nostri, Siculi, Liguresque *Tragina* appellant, Veneti verò *Pesce Ragno*, Galli *Vive*, Massilienses verò *Areigue*.

(18) *Pesce Prete*, *Bocca in capo*, Romæ *Messoro*, dicitur etiam *Lucerna*, Gall. *Tapecon*, & *Rascasce bianche*.

(19) Generale nomen *Lacerto*.

Mormylus (1), atq; teres qui diſſecat ęquora (2) Scombrus.
At ruber aprici ſectator litoris oram
Carcinus (3), alget Hyems dum frigida; cumque perurit
Æſtate in mediâ Sol litora, tunc & aperti
Gurgitis alta petit, frigusque inquirit opacum
Æquoreas inter ſylvas, & aquoſa vireta.

Cancer hyeme litus, æſtate alii frequentat.

At nigro fæcunda luto, qui cærula piſces
Degere ament, ſeſeque imis in ſordibus abdant,
Accipe: (4) Torpedo primum diverſa figuris,
Altera nam lævis, crebrisque interlita punctis,
Hæc maculoſa oculos, hæc lucida fulgurat aſtris:
Et magni cænoſa (5) Boves tenuere frequentes,
Et (6) Pholis mucoſa, capique per æquora ſemper
Difficiles (7) Paſtinacæ, atrum quæ ore venenum
Effundunt rabidæ, radioque armantur acuto.
Et quæ viroſa diffindunt Nerea cauda
Veloces (8) Aquilæ, (9) Squatinæque, & nomina lato
Qui (10) meruit gibbo, & viſu turpiſſima (11) Rana,
Nigraque (12) Loligo, & ſtellatæ tergora (13) Rajæ:
In-

Qui cænoſis in locis verſentur.

---

(1) *Mormillo*, *Marmoro*: Liguribus, & Provincialibus *Mormo*, Hiſp. *Marmo*, Neapoli frequentiſſimus.

(2) Noſtris *Scombro* nuncupatur, Romanis *Macarello*, Gallis, & Liguribus *Auriol*, *Oreol* ab Aprili menſe, quo capitur, vel ab aureis oculis. (3) Ital. *Grancio*, Gall. *Cancre*.

(4) Italis *Occhiatella*, Venetis verò *Tremolo*, Gall. *Torpille*, Hiſp. *Tremielgo*. (5) E Rajarum genere ſic dicti à magnitudine, Liguribus *Vacca*, Romanis *Raja Buboſa*, Venetis *Stramazo*, noſtris verò *Raja groſſa*, Gallis *Flaſſade*, Hiſp. *Hugo*. (6) Italis, & Gall. *Bavoſa*. (7) Romæ *Bruccho*, Venetis *Peſce Palombo*, Siciliæ *Baſtonaga* nuncupatur: Nobis verò, Liguribus, & Maſſilienſibus *Ferraſſa*: Lutetiæ cum Ranis venditur. (8) Noſtri, & Romani *Aquila*, paſſim *Peſce Roſpo*, Galli *Tare Franke*, & *Falcone*.

(9) *Peſce Squatro*, ſed Veneti *Squaja*: Galli *Angèle*, & *Prange*: At Aquitani *Creac de buch*, Hiſpani *Lira*, at Luſitani *Lamio*. (10) In Oceano Balthico reperitur, Anglis *Lump* appellatur. (11) Noſtris *La Peſcatrice*, Romanis *Peſce Peſcadore*, Galli Provinciales *Bodroy*, Aquitani *Peſcheteau*, Hiſp. *Xarocho*, Epidaurii (Raguſini) *Diavolo Marino*. (12) Cum major eſt noſtris *Calamaro*, Hiſp. & Gall. *Calamar*, Romani, & Veneti, nec non & Provinciales *Totena*, cum Minor eſt Sepiola latinè: Noſtris *Calamarelli*. (13) Italis, & Hiſpanis *Raja*, Gallis *Raye*.

Intectas quibus adde levi lanugine (1) Squillas,
Flaventemque oculos, & ſucco (2) Cantharon acri.
Muſcoſos inter ſcopulos, atque herbida propter
Incolit Oceani gens plurima: tecta virenti
Quæ muſco exhalant cava ſaxa, & plurima ab imo
Aſſurgens tegit alga mari, tenuere coruſcæ
Phycides (3), & (4) Percæ molles, & (5) Julides, & quæ
Pinguis odoratum detondet (6) Hiatula muſcum,
Et grati ſemper, regalia munera, (7) Turdi.
Aſt humiles, ſcabræque ſonant, quæ gurgite petræ,
Has (8) Baſiliſcus habet, (9) Milvusq; & flavus (10) Adonis,
Qui ſæpè, ut perhibent, è fluctibus inſilit actam,
Et placidos carpit muſcoſo in litore ſomnos,
Dum tranquilla Thetis premit æquora: ſed Notus alis
Cum tonat imbriferis, refluuntque ad litora fluctus,
In ponti ſecreta fugit. Certamina dura
Cum Mergis olli ſemper, Fulicisque parantur:
Hos è longinquo ut vidit properare feroces,
Saltanti ſimilis ſeſe devoluit in undas,
Tuta petens, fundique imis caput abdit arenis.
Verum ſparſa ſuper cautes quas cærula veſtit
Herba, colit punctis (11) Sargusque inſignis, & alis,
Et (12) Pſorus, & celeri fugiens quæ Dorida curſu
Umbra (13) ſecat, rutilatque auro, & nitido argento.
Hæc,

Qui ſaxatiles.

Qui litoreos inter ſcopulos.

---

(1) Ital. & Gall. *Schille*, & *Squille*, & *Cambari*.

(2) Ital. *Cantara*; alii *Tanada* à colore pullo: Hiſp. & Provinciales *Cantheno*, Lutetiæ *Bremma*. (3) Noſtris *Lepre*, Rom. *Fico* & *Perchia*, Gall. *Mole*, Hiſp. *Molere*.

(4) *Perchia*, quæ paſſim cum Phycide venditur, cui ſimillima eſt: Hiſp. *Percha*, Gall. *Perche de mer*.

(5) Veneti & Provinciales *Donſelle*: Noſtri, & Romani haud decenti vocabolo *Menchia di Re* vocant, Rhegini *Viola*.

(6) Romæ *Sopracielo*, Nobis *Orcanna*, & *Ajata*: Liguribus, & Hiſp. *Serran*, quo nomine, & Galli indigetant: Veneti verò, & Græci noſtri temporis *Channo*: ab antiquo vocabulo Channe, ab hiando dicta eſt. (7) Omnibus *Turdo*.

(8) Quæ & Alauda criſtata, *Pavone*, Gall. *Percepierre*.

(9) *Milvo*, *Nibio*, *Peſce Rondine*, Gall. *Arondelle*, & *Falcon*. (10) Cum Turdis venditur, eodemque nomine indigetatur. (11) Omnibus *Sargo* dicitur, Noſtris tamen *Saraco*. (12) Athenæo Melanderinus à nigredine, ignobilis eſt: Nobis, ut parvi Coraces, appellatur *Quarracino*.

(13) Itali, & Maſſilienſes *Umbrina*, & *Ombrina* dicunt: Veneti *Nembrella*, Pariſinis *Maigre*.

Hæc, dum se circum freta per chrystallina voluit,
Irim picta refert, non uno errore colorum
Pulchra micans oculis, niger & (1) Coracinus ab ipsa,
Qua rutilat nitida piscis nigredine dictus.
Hæc quoque saxa rosas imitati corpore (2) Mulli,
Ac nitido insignes villo frondosa recurrunt.
Et (3) Scarus ambrosiâ Divorum dulcior ipsa, — Unde scarus ad nos devectus.
Quem procul Ægæo quondam de gurgite vectum,
Tyrrhenis donavit aquis Optatus, & Urbe:
Namque olim rari nabant, quos horrida nimbis
Carpathiis egisset Hyems è fluctibus, aut quos
Conclusos magni vivaria Regis alebant.
Solus & hic visus, mendax ni fama, loquaci — Est vocalis, & ruminat.
Ore greges inter mutos, cantare per undas,
Pallentesque sonans, veluti bos, ruminat herbas.
Hepatus (4) accedit rubicundus, & ore voraces,
Nigrantesque ruunt (5) Fabri, fuscique (6) Cinædi,
Gobius (7) herbosis in cautibus, albus, & ater
Enatat: & vario meruit, qui nomina flore
Anthias (8) hos sequitur: squamis argenteus (9) unus,
Purpureisque oculis sublucet: grandior (10) alter
Psittaceum attollit dorsum, sed circulus Irim

(1) *Pesce Corvo*, Gall. *Corbeau*. (2) Nostris *Treglia*, & *Triglia*, Liguribus *Triga*, Hisp. *Salmoneto*, Gall. *Rouget*, & *Barbeau*, qui lutarii insipidi, ac molles, *Saponara*.

(3) Nostris non planè Notus, aliqui *Pesce Saffiro* vocari putant, cum Auratis, & Sargis confunditur, qui Fortunatas Insulas incolunt *Brenchos* appellant: Græci veteri nomenclatura *Scaron* dicunt. (4) Innominatus est, aliqui malè *Figo*, ò *Fegato*, Venetiæ est fortè *Sacheto*.

(5) Romæ *Citola*, & *Pesce di San Pietro*; ajunt enim hunc piscem fuisse, quem jubente Domino, accepit, ut in ejus ore numisma pro tributo reperiret. Hinc & Græci nostri temporis *Petrosparo* nominant: Ligures *Rotulo*, Gall. Narbonenses, & Hisp. *Gal*, & Provinciales *Trueie* à voracitate: nostris *Gallo*. (6) A Provincialibus *Sanut*, nostris innominatus. (7) Venetis *Gò*, Liguribus *Zolero*, Gall. *Govion*, Nostris *Mazzone*: Maximus flavescens *Paganello*.

(8) Quo nomine apud nostrates appelletur non liquido constat: multi cum Auratis confundunt.

(9) Primi generis Anthias, Gallis *Barbier*.

(10) Secundi generis pelagius est ad Asellorum genus accedens: Gall. *Capelan*.

Aureus incingit, totus cervice nigranti:
Tertius (1) è viola subtermicat: Iris & (2) illi
Sanguineis ardet maculis, nitidoque Amethisto,
Lumina pulcher, & ora, supercilioque superbus.

Qui scabras inter petras inhabitent.

Littoreos inter scopulos, scabrosaque molles
Saxa latent (3) Polypi, & candenti (4) Sepia lacti
Concolor, octipedesque frequentant saxa (5) Paguri,
Atque (6) Leo, atque (7) Elephas, Palatinæq; (8) Locustæ,
Et (9) Merulæ scopulos, & qui formosior omnes
Squamigeros (10) Pavo superat, coluere: neque illos
Deserit ardenti flavens (11) Sphyræna colore:
Cui similes glomerantur (12) Aci, qui lata frequentes
Densatis suevere globis errare per alta.
Postremas acies geminæ comitantur (13) Alaudæ,
Altera, quæ sparsim punctis micat, altera cristis;
Troglodytæque (14) ruunt medii, qui gutture pando
Mænorum per saxa cavas petiere latebras:

Echeneis.

At non tu nostram felici murmure puppim
Perflatam sistes, (15) Echenei, tumentia quando
Pie-

(1) Anthias tertii generis Turdo similis, cum quo venditur. (2) Anthias quarti generis Græcis Evopus, & Aulopus propter superciliorum speciem dictus: erit fortasse, qui nostratibus *Aulopena* nuncupatur. (3) Nostris *Polpo*, Venetis *Folpo*, Hisp. *Pulpo*, Gall. *Pulpe*, & *Purpe*.

(4) *Seccia*, & *Sepia*, Venet. *Seppa*, Hisp. *Xibia*, Gallis *Sechè*, at Ligures *Sopi*, ut & Massilienses.

(5) *Granchio*, qui in scopulis versatur fusci coloris, Gall. *Chabre*, & *Crape*, Hisp. *Aranha*. (6) E Locustarum genere, sic dictus à flavo colore. (7) Item è Locustis, est viridantis coloris à mole appellatus circa Capreas, & Pausylipum plurimi capiuntur. (8) Nostris *Ragosta*, & *Alagosta*, Hisp. *Logusta*, Gall. *Languste*. (9) *Merula*, *Merlo*, & *Tenca di mare*, Hisp. etiam *Merula*, Gall. *Merle*, plurimi à Turdis non distingunt. (10) *Pavone*, Romæ *Pappagallo*, Hisp. *Bodina*, & *Buyo*. (11) Itali, & Hispani passim *Spetto*, idest veru à figura, Galli *Spet*: Romæ *Lucio Marino*; hanc verò puto esse quam nostrates vocant *Aguglia Imperiale*. (12) Primi generis, ac nobiliores nostris *Aguglie*, Romæ *Acocella*, Hisp. *Aguilla*, & *Aguia pescado*, Gall. *Orphies*: Ignobiles verò nostri vocant *Castaudelli*.

(13) (14) Omnes uno nomine *Perciapietra*.

(15) *Remora* nulli non nota, quam Lampetram plurimi esse volunt.

Pieridum vada ſulcamus melioribus auris.
At te ne fallat ſpecies, piſcator, aperta
Signa dabo. Cubito piſcis non longior uno
Sit licet, alatis, mirùm, mora turribus ingens.
Argentum lateri, medioque ſmaragdina dorſo — Ejus deſcriptio.
Linea, cæruleus caudæ color ardet acutæ:
At violæ in reliquis ſublucet purpura membris.
Exiguos, veluti Polypus, cervice ſupina
Fert calyces, roſtrumque canis, ſeſeque per undas
Sex agitat pinnis, & corpore tortilis ille eſt.
Cum cirris hæret, multoque tenacia ſuctu
(Ceù defixa cutem ſi quando apprendit hirudo)
Saxa tenet: quibus ipſe cavis hærere carinis — Qua vi naves ſiſtat.
Crediderim, celereſque fugas inhibere tenaci
Confeſtim ſuctu Remoram. (Sic dicta Latinis
Nomine, quæ Graiis Echeneis) Aquoſa per alta
Remigio juvenum valido, veloque volantes
Piſcis ut apprendit puppes, mora nulla, repentè
Immotæ ſteterunt ſpumoſo in marmore: ceu cum
In brevia, & ſyrtes occurſavere latentes;
Sive anguſta inter ſpumoſi clauſtra Pelori
In rapidos venere, Notis ſpirantibus, æſtus.
Et quamvis toto in velum ruat Æolus antro
Euroſque, Zephyroſque ferens, magnoque rudentes
Extenti ſtridore fremant, & lina ſecundis
Pulſa Notis, omnem comprendant cornibus auram;
Jam ſcindenda: rates impellat & ipſe morantes
E puppi prono deſcendens flumine Nereus:
Ipſi & remigio quamvis, hortante Magiſtro
Inſiſtant alacres Nautæ, & clamore ſecundo
Obnixi remis feriant mare: ſtant tamen alni,
Ut patriis ſteterant defixæ in montibus olim.
Uſque adeò in parvis magna eſt Natura: ſub alta
Rupe velut celeri fugiens agitata Moloſſo
Cerva volat, ſaltuſque fuga prætervolat omnes:
Ocyor & ſeſe, atque alatis ocyor Euris,
Conſpicienda ſolo ſua vix veſtigia linquit:
At ſi forte canis comprênderit, & tenet aurês,
Stat tunc fixa, pedes fruſtra eluctata fugaces,
Sic & veloces conſiſtunt Doride puppes,
Ut curvas Echeneis habet cervice carinas;
Quamvis Rector adeſt, ventuſque adſibilat idem,
Vela tument, Nautæ inſurgunt, patet æquor apertum.
At nos, nulla tenet quoniam mora, per mare curſus
Incœptos, Euro in vêlum ſpirante, ſequamur:

Quique altum tenuere greges, dicamus: (1) Aselli
Qui Pisces Pelagii. Quanquam ventre pigri cœnoso è gurgite primi
Ilicet attolluntur, ubi latuere reposti
Sexaginta dies, freta dum Canis arida multo
Componit latratu, & circum litora torret.
Hos (2) Claria insignis lacte, (3) Arecidesque sequuntur,
Ac similes Baccho (4) Tincæ, (5) Liparisque, ferique
Armati setis, & duris dentibus (6) Apri,
Et (7) Scolopax serrà metuendus, quique profundo
Sole sub æstivo conduntur marmore (8) Glauci,
Cyaneo ardentes fuco, radiisque rigentes;
Hyppurusque (9) fugax, & gurgite clarus Ibero,
Et qui (10) Monoceros cornu mare dividit Indum:
Pelagii non squamosi. Sunt alii, nullis intecti tergora squamis,
Qui salis alta secant: tales (11) Cordyla, (12) Cybiæ,
Pelamydes (13), (14) Thynniq; leves, (15) Orcynus & ingens,
Et qui sæpè gerunt cum piscibus horrida bella.

Pu-

(1) Quorum variæ species, Nostris, & Romanis *Merluzo*, quasi Lucius Marinus: Gall. *Merle*, Hisp. *Merluza*, dicitur etiam *Pesce Asino*, & *Nasello*. Asellorum ingens copia in Oceano Septentrionali, unde ad nos exiccati devehuntur, & vulgato nomine *Baccalà* appellantur.

(2) Nobilior inter Asellos, nobis *Fico*, Romæ *Tenca marina*, & *Pesce Fico*, Gall. *Mole*, & *Molere*, ob carnis teneritudinem. (3) *Harenga*, Germana voce, unde ad nos exiccati asportantur. (4) *Tenca*, Hisp. *Tinca*, Gall. *Tenche*.

(5) A pinguedine dicta, cum enim in craticula assatur pinguedo, velut oleum stillat, fortasse erit, qui nostratibus dicitur *Boccagrassolla*, ad Herculanum capitur in loco, qui vulgò dicitur *Granatiello*. (6) Italis, Gallis, & Siculis, *Pesce Porco*, Romæ tamen *Pesce Balestra*, quod in dorso aculei robustissimi, membranisque junctis, si recondantur statim eriguntur. (7) Nobis *Pesce Vallone*, & *Pesce Serra*.

(8) Nobis *Ricciola*, nam Synagris est *Prajo* (irrepsit error inter cudendum) Romæ *Lecbia*, minor verò vulgò *Pesce Stella*, Gallis *Derbio*, & *Bicbe*. (9) Hisp. *Lampugo*.

(10) *Monocerote*. (11) Thynni recenter nati à capitis magnitudine dicti, *Tunnacchi*. (12) Thynni majores.

(13) Veteri vocabulo *Palamida*. (14) Nostris *Tonno*, Hisp. *Atun*, Gall. *Ton*, & *Athon*, Thynnum membratim, & in assulas dissectum *Tonnine* vocamus, pinguiores verò circa ventrem partes *Tarantello*. (15) Thynnus cum in magnam corporis molem excrevit.

Pugnaces (1) Ziphiæ (2), Congrique (3) Amiæque feroces,
Squameus his (4) Coluber succedit, & hispidus (5) Hydrus,
Hydrus, qui Libycis, gelidæque in fluctibus Ursæ
Immenso in sese revolutus colligit orbe:
Tuque ò versicolor mensis celebranda Deorum,
Muræna, (6) & mollis falcato (7) Tænia ductu,
Et (8) Myrus unicolor, piceæque simillimus. At te
Carminibus nostris numquam, (9) Pompile, tacebo, Pompili Metamorphosis.
Qui quondam Piscator eras, sed pulcher Apollo
Ocyrhoës magno correptus amore puellæ,
Cum te Mileto fugientem virgine vidit,
In piscem iratus vertit, saxumque carinam.
Ah miser! evictus precibus, lacrymisque decoris,
Illam ferre sua pro virginitate parabas,
Sed frustra fugimus: vanus labor omnis, ubi obstant
Ferrea fata Deûm, legesque adamante rigescunt.
Hinc amor ille tibi celeri sociare natatu Ut naves societ serenitatemque præsagiat.
Alatas vastum sulcantes Nerea pinus:
Incœptumque ostendis iter, nec deseris unquam,
Ni jam vicinæ præsentis litora terræ:
Quam fugis infelix, pelagusque recurris in altum;
Quin & felices auras, & læta serena
Indicio nautis certo prædicis: & illi
Te comitem venientem, & te venerantur euntem.
Sed procul irrumpens in litora gurgite ab alto
Carcharias (10) fremit ore, ducem quem mille sequuntur
Hor-

(1) *Pesce Spada*, Genuensibus, & Narbonensibus *Imperatore*; Aquitanis *Grand Espadas*, Armoricis *Heron de mer*.
(2) Ferè omnes gentes antiquo vocabulo *Grongo*: Provinciales verò *Filat*, quia instar retis pisces involuit, & implicat. (3) Gall. & Hisp. *Byza*. Nostris à feracia appellatur *Ferone*, aliis *Lamia*. (4) (5) *Serpe Marina*.
(6) Ubique gentium *Murena*, & *Morena*, Lusitani tamen *Moreia*. (7) Nostris *Cepolla Rossa*, Gall. *Flambo*, quia tota rubet, & instar flammæ inter natandum serpit, & rutilat. (8) Murænam marem multi putant, negant alii, cum Murænis exponitur; à Gall. serpens dicitur. (9) Ab Homero Sacer piscis dictus, plerumque cum Thynnis confunditur, à Gall. *Pampale* appellatur. Græci penultimam corripiunt, nos iterum cum Ovidio produximus, nostri hunc vocant, *Pesce Letterato*, quod veluti literis sit tessellatus.
(10) Sic dictus, quod acutos, asperos, validosque dentes habeat: in Italia passim *Lamia*: etsi vera Amia non sit Carcharias, Nostris *Canesca*.

Canes marini, eorumque species.

Horrendæ (1) Galeorum acies, & dira (2) Canum vis
O Piscatores, arcete è retibus illos;
Nam secus ereptis discerpent retia prædis.
At non se nostro subducet carmine (3) Vulpes:
Non & (4) Centrines radio, non asper (5) Acanthias,
Et (6) Sus in caput accrescens, qui litora grunnit
Dum captivus adit, visuque horrenda (7) Zygæna,
Cui serræ veluti, dentes armantur acuti,
Frons falcata jugo similis, sed lumina subter
Prona micant, minio rubet os, rictuque supinum est.
His animadversis, qui sint, qui mutua ponto,

Qui mare, & flumina colant.

Fluminibusque vagi faciant commercia pisces;
Protinus expediam: Glaciali è litore primus
Occurrit (8) Salmo, qui cum annis nomina mutat:
Parvulus est Salar: est Fario cum grandior ævo
Venit: & hinc Salmo jam plenus dicitur annis.
Niliacusque (9) Latus præstans candore, (10) Lupusque,
E (11) Caper, & (12) Capito, & convivia plebis (13) Alose:
Quique peregrinis (14) Acipenser fertur ab undis

Ad

---

(1) Galei vocantur longi omnes, & cartilaginei, qui ab habitu corporis Musteli etiam nuncupantur, nostri uno omnes nomine *Pesci Cani*, Gall. *Chien de mer*. (2) *Pesci Cani*, quorum plurimæ species sunt, & sic à mordendo dicti. (3) Ex canum genere *Volpe*, Gall. *Barnart*. (4) *Porco Marino*, Gall. *Benard*, Provinc. *Porc*. (5) Ital. *Pesce Palombo*, Hisp. *Musole*, Gall. *Aguillat*: & passim omnes *Pesce Cane*. (6) A Lacedæmoniis Orthragoriscus appellatur. Rotam Plinii nonnulli putant. Mola etiam dicitur. Nostris *Botta*, *Mola*, & Lubrensibus *Trepestillo*, Gall. etiam *Mola*, Hisp. *Bout*. (7) Ital. *Pesce Martello*, *Cambetta*, & *Pesce Balestra*, Lubrensibus, & Neap. *Magnosa* à jugo, cuidam muliebri capitis ornamento persimili, quod nostri ità appellant, Hisp. *Limada*, & *Toilandolo*, Gall. *Jouziou*, & *Cagnole* à dentium sævitie. (8) *Salmone*, Gall. *Saulmon*, parvos Salmones, Aquitani *Tacons* indigetant, marem à rostro *Beccard*, fœminam à ferendis ovis *Bortier*. (9) Nostri maris non est. (10) Venetis *Varolo*, Rom. *Spigola*, Neap. *Spinola*, Hisp. *Lobo Robalo*, Gall. *Lupazzon*, & *Lubin*.

(11) *Porco*, aliis est *Pesce Balestra*, plerisque innominatus, vel Nili Porcus. (12) Nostris *Capidone*, & *Squaglio*, Hisp. *Cavedo*, Gall. *Munier*, & *Vilain*. (13) Eædemque Alausæ, & Thrissæ *Alosa*, & *Chiepa*, Hisp. *Saboga*, Gall. *Alose*. (14) Italis majores *Sturioni*, minores *Porcellette*, Gall. *Esturgeon*, & *Creac*, Hisp. *Sullo*, & *Sollo*.

Ad Palatinas prima interfercida menſas.
Hos Rhodius ſequitur (1) Galeus, & Ponticus (2) Huſo,
Pinguis ab argilla qui venit: & oris hiatu
Ingenti (3) Viola, & fragranti candida ſucco.
Non te præteream, (4) Lampetra, virentia propter
Quæ ſaxa, & pictas florenti gramine ripas,
Læta fugis, non uno oculis errore colorum
Aſpicienda, notisque inſignis, & Iride fuſca:
Lubricaque è manibus ſublaberis, & petis undas.
At pingues verò (5) Cephali, ſquamisque nitentes,
Tethyos undivagæ juſtum genus, & Chromis ardens
Ora per, & ripas fluviorum, & ſtagna, ubi dulces
Decurrunt lymphæ, & rorantibus aucta fluentis
Doris amara ſuum perdit commiſta ſaporem,
Degere amant. Numquam ſed amicos (6) Lucius amnes
Deſerit: aſſiduò circum fugit ora natatu.
Interdum pelago mediis è fluminibus ſeſe
Inſinuant agiles (7) Anguillæ, & per loca limo
Obſita, cæruleis lætæ paſcuntur in herbis.
Quod ſupereſt, ſinuoſa ſecant hi flumina piſces,
Seque mari numquam committunt: Incola magni
Attilus (8) Eridani tollit ſe clarus ab alveo,
Cui capiti vis tota; Boryſtheniusque coruſcis
Antaceus (9) ſtellis rutilans, & corpore molli
Icthyocolla (10), cutem ſublutea, (11) Glanis & ingens,
Purpureisque notis ardens, & lucidus auro
Phoxinus (12), & feſtiva inter convivia (13) Truttæ,
Quæ nitidas ſectantur aquas, rivosque ſonantes:
Adde

Qui circa fluviorum oſtia verſentur

Qui fluviatiles.

(1) *Copſo* quem pro Acipenſere Rhodani, et Padi accolæ exponunt. (2) Gall. *Barbote.* (3) Gall. *Eperlan.*

(4) Ital. *Lampreda*, Hiſp. *Lamprea*, Gall. *Lamproye*, et *Lamprezze*. (5) Latinis Mugil, nobis Græca voce *Ceſalo*, Gall. *Mulet*, et *Gabrot.* (6) Ital. *Luzzo.* Hiſp. *Sollo*, Gall. *Luez*, et *Brochet.* (7) *Anguille* veteri apud omnes vocabulo. (8) *Adello*, et *Adeno*. (9) Germanis *Tick*, Iſtrianis *Tock*. (10) Etiam hic *Barbotta*, quia è ſuperiore maxilla, quatuor carnoſæ appendices, veluti barba, dependent.

(11) A Pannonibus *Harcha*, German. *Schaden*, Illyric. *Sum*, Græcis *Clagnon*, qui in Strymone Glanidem capiunt, qui hodie *Glanon* appellatur. (12) Romæ *Morello*, Florentiæ *Pardello*, Mediolani *Esbrevon*, Gall. *Veron*.

(13) *Trotta*, et *Trutta*, Gall. *Troutte*, et *Truitte*.

Adde his (1) Leuciscos, & (2) Squalos, adde (3) Thymallos;
Ac dites gemmis, & amantes uda (4) Cyprinos:
Alburni (5) hos inter nivei (6), Tincæque feruntur,
Et Rhætis, quæ Tinca foret, ni tergora fuscus
Inficeret color, & dulcis pinguedine (7) Farra.

Qui stagna teneant.

Insuper his, undis currit stagnantibus (8) Umbla
Dorsa rosas imitata, latusque argentea candens.
Et fluctus, Thrasymene, tuos, qui circuit (9) Albus,
Albulaq; (10), & (11) Sarachus, (12) Pigusq; & (13) Simus, & (14) A-(sper,
Et tu, qui quondam fueras Benacidos undæ

Carpionis metamorphosis:

Portitor, ò (15) Carpo, sed piscem fecit avarum
Auri sacra fames; quia naulum scilicet à Diis
Quæsieras, sociisque tuis vim inferre parabas
Saturno, regique hominum, patrique Deorum:
Tantum mortales agit insatiata cupido:
Numina ut immemores Divùm intemerata lacessant:
Qui mare, qui terram nobis, dulcemque benigni
Auram largiti, & quorum de munere vita est.
Auso quo summus pater indignatus iniquo,
Extemplò in piscem mutari jussit avarum:
Quo duro semper stimulo torquere: neque unquam
Infelix voto, aut auro potiere fugaci.

Qui pisces gregatim vagantur.

Nunc age, non id te lateat; per cærula multi
In turmas, aciesque ruunt, socioque natatu
Spumantes findunt campos, ceu (16) Mugil, & auri
Chrysophrys (17) imitata decus, Mullusque rosetis
Æmu-

(1) Primi generis Romæ, *Rovillano*, Insubribus *Oladiga*, et *Orada* ab aureo capitis splendore, Gall. *Gardon*, secundi generis Ital. *Streja*, et *Strigio*, Gall. *Vandoise*, et *Dard*. (2) Ital. *Stretta*. (3) Ital. *Temolo*, Gall. *Umbra*.

(4) *Burbaro*, et *Carpano*, Hisp. *Carpa*, Gall. *Carpe*.

(5) *Albette*, *Alborino*, et *Pasquarel*, Gall. *Ballere*, German. *Alblen*. (6) *Tenca*. (7) *Farra*, *Ferra*, et *Pala*.

(8) *Umble*, et *Rubetto*, Salmo Lemani lacus (*Lago di Garda*) cum Salmoni simillimus sit. (9) *Albo* frequens in Thrasymeno (*Lago di Perugia*). (10) *Albele*.

(11) Ita Græcis, nostrisque, Insubribus *Acone*, et *Aquone*, quia aquis pascitur. (12) *Pic*, et *Pigo* in Verbano (*Lago Maggiore*), larioque lacu (*Lago di Como*) capitur.

(13) *Naso* à naso nimis crasso. Heluetiis *Naszen*. (14) A maxillarum asperitate dictus, Gall. *Apron*. (15) *Carpione*. Olim ferunt dictum *Pione*, sed cum quidam, qui illum carius emerat, dixisset se emisse *Car Pione*, dictus deinde piscis est *Carpione*. (16) Cephalus. (17) Aurata.

Æmulus, & nitidi Synodontes: & agmen in unum
Agglomerantur Aci, atque Aphyæ, metuendus & ictu
Scorpius, & Scorpena, Amiæque, & floribus ardens
Anthias, & nigri Coraces, Thynnique fugaces:
Atque Lyræ, atque (1) Sudes, & flaventes Erythini.
Ipsæ etiam timidæ jungunt socia agmina Salpæ,
Trachurique leves, & picti tergora Turdi.
Tu quoque turmatim cursas, Melanure, per undas,
Et mollem sequeris Percam, Scombrique (2), Chromisque
Et vos Pelamydes densatis Nerea turmis.

Qui solitarii.

Verum alii socios odere, & marmora soli
Cana secant: tales nant fluctibus Iride pulchra
Picti Pavones, Citharique, Fabrique voraces,
Atque Cuculus edax, & Julides, atque (3) Scyæna,
Rajæque, Squatinæque; & Ranæ, & cæruleus Bos.
Solus & æquoreas per cautes flavus Adonis
Fusus humi carpit placidissima munera, somnos:
Rhombique, Sargusque, & viscere pauper Asellus,
Atque Draco, atque Canes, & picto Mormylos ore.

Uranoscopi indoles.

Solivagus quoque salsa secat ferus (4) Hemerocœtus,
Cui ventris furit atra fames: nec finis edendi,
Pinguia ni saturo rumpantur viscera, & ipsam
Cum pastu vitam revomat: hinc discite quò vos
Ingluvies vesana feret, quoscumque per omnem
Ire juvat luxum, & ventri indulgere voraci.

Milui, & Hirundinis.

At vero (5) Accipiter, volucrique simillima Hirundo
Soli habitant litus, sed cùm pernicibus alis
Corripiunt maria alta, globum densantur in unum;
Inque ruunt hostes glomeratis orbe catervis.
Quos ubi prospectant imo de gurgite in altum
Adventare, super fluctus se protinus omnes
Emittunt, celeresque volant per inania branchis,
At verò è pelago se stridula tollit Hirundo
Altius: ast humilis primam radit maris undam
Accipiter, nanti similis, similisque volanti.
Sed quot diversæ species, formæque natantum,
Nominaque, & mores quot sint, comprendere versu
Si quis fortè velit, magni velit ætheris idem
Dicere, quot tremulo scintillent Sydera nictu;

(1) Sphyræna, quæ & *Aluzzo Imperiale*.
(2) Ital. & Gal. *Castagnola* à colore dicta.
(3) Græcè, latinè verò Umbra. (4) Uranoscopus, sic etiam appellatus, quia interdiù dormit. (5) Idem qui Milvus.

Aut ubi flaventem collegerit area messem,
Quærere quot vento paleæ jactentur inanes.
Nec verò gignunt omnes maria omnia pisces.
Angustum longo Ziphiæ mucrone Pelorum
Armati tenuere: Scarus Myrtoa frequentat
Æquora, & Jonii nonnumquam vectus aquosi
Cærula trans, fines decurrit ad usque Sicanos.
Plurimus Euxina generatur Thynnus in unda:
Orbis (1) in Ægypto, Rhegini ad litoris oram
Regales nascuntur (2) Aci, (3) Muresque rubentes
Herculeum (4) juxta portum: Conchylia fluctus
Nigra Tarentini lactant, Lumbumque Britanni.
Aspice & ignotum lustratum navibus æquor,
Eoosque sinus Ophyræ, Chrysenque repostam.
Divisæ patriæ sunt piscibus, una canoras
India Sirenes gignit, pharetrataque gemmas
Persis habet, niveos Gangetis & unda lapillos.
Simia Chrysæo natat æquore: sola (5) Manates
Ammerice, & miros hæc educat una (6) Reversos.
Arecidem Germana Thetis, Tyrrhenaque rubrum
Coralium, generatque truces Arctoa Colubros.
Quid tibi odoriferis referam rorantia saxis
Succina, Najadum lacrymis, casuque decora?
Quid maria Æthyopum niveis canentia (7) Cycnis?
Velleraque Oebalii ut depectant Byssina (8) Pinnis?
Aut propiora polo quæ cærula despicit Ursa,
Orbis inaccessi metas? ubi dura ferarum
Tergora vix rigidi possunt penetrare tridentes;
Et gens illa quidem torquendo aptissima ferro.
Insignes auro Conchas fert æquor Erythræ,
Nil quibus est terris præstantius, aurea Regum
Quo possint pretiosa magis splendescere serta,
Et torques rutilare: neque his præsentius ullum,
Pectora si quando pervasit lethifer ignis,
Auxilium venit: efferventem gemmeus æstum
Tem-

Singulæ nationes Peculiares suos habēt pisces.

(1) Vulgus Græcorum *Flascopsaron*, idest lagenam dicit, ob molem rotundam, duroque corio contectam, Nobis *Pesce Mundo*. (2) *Cicirelli*, de quibus infrà.

(3) *Sorci*, quibus roseus color, caro candida, & solida.

(4) *Tropea*, Brutiorum oppidum.

(5), (6) De his lib. 7. (7) Pisces Cycnis similes, alisque volantes circa ultimum Africæ promontorium.

(8) *Lana Penna*, de qua plura lib. VIII.

Temperat humor, agitque omnem de pectore pestem.
Sed neque Erythræi fluctus, ditissima gemmis
Æquora, non (1) Chryse, aut felices Persidos undæ
Laudibus Euboici certent Crateris: & Actæ
Non se Campanæ æquiparent Mavortia Rhæsi
Litora, nec Siculis Tellus regnata Tyrannis,
Non molles Arabum tractus, nec in Orbe reposto
Tota coloratis Peruvia dives arenis.
Hæc vada non Phocæ spirantes naribus imbrem
Sulcavere, aut formidandæ piscibus Orcæ,
Nec Balænarum rigidis mare dentibus horret.
Sed rosei Mulli, & Muræenæ lacteus humor
Percurrere; secant Soleæque, rubrique Erythini.
Hic niveus sese vitreis è fluctibus effert
Delphinus, puerosque inter festivus oberrat.
Hic nitidi semper Soles, & aprica serena.
Et petræ Conchis, & Piscibus utilis unda.
At colubri tristes absunt, & dira Luporum
Semina, nec miseros discerpit Scylla natantes.
Non tantum radiis Torpedo nocet, neque tantum
Scorpius irato diffundit ab ore venenum.

Campani Crateris laudes.

Adde maris prospectum omnem, & Telluris amœnum,
Et montes sacros, & utroque ab litore colles,
Nunquam non gratos umbris, & mollibus herbis:
Depictasque inter currentia flumina ripas:
Totque altis imposta jugis castella, domosque:
Atque theatrali fabricata palatia circo
Pausilypi propter litus, clivosque sequentes,
Regum opus, atque opere egregio, luxuque superbo.
Adde Urbem lætam populis, opibusque potentem,
Et claro augustam sceptro, ingenuisque vigentem
Artibus, & studio florentem nobilis oti,
Cui Regina suo fecit de nomine nomen
Parthenope, mitesque dedit blandissima ritus.
An virides memorem scopulos, piscosaque saxa,
Et tot muscosis excisa in rupibus antra?
An ne sinus tantos, te (2) Polli, teque beato
Cum portu, Misene, tuo, & te, molle Dicarchum?
An quæ felicem memorem Cratera coronant?
Hinc ditem Baccho Inarimen, montesque Tiphoei,
Et Prochyten pomis vernantem, & pinguibus uvis;

(1) Vide lib. 7. Naut. (2) Sinus inter Massam ad delubrum, & Surrentum, ubi Pollii villa.

Piscosas illinc Carpreas, Fanumque Minervæ,
Et Vici colles, & pampineum Surrentum?
Hæc eadem Musas, & doctas extudit artes,
Campanoque sonum dedit ære: & pixida Nautis
Protulit, & tenui telas intexuit auro.
Hæc Vates lauro insignes, rubroque galero
Romuleos Patres, clarosque Heroas in armis,
Et tot Pontifices tulit, & te maxime Patrum,
Antoni (1), throno, qui mox sublimis ab alto
(Regnatorem Orbis nam te, collisque Quirini
Concordi plausu Divique, hominesque reposcunt)
Omnia sub pedibus volui, vertique videbis.
Salve magna Parens rerum Campania Tellus,
Læta mari, fœcunda solo, mitissima Cœlo,
Alma viris, medio quam Dii posuere benigni,
Gemma velut, circo media est quæ lucida fulvo;
Egregias tibi nunc laudes percurrere, & artes
Incipio, Actiacos ausus tractare cothurnos,
Coryciumque (2) cano Tyrrhena per æquora carmen.
Nunc vada squamiferùm ingeniis, quæ læta cuique

Quibus in locis meliores nascantur pisces.

Pascua, quæque magis sint piscibus apta ferendis.
Herbosæ primum cautes, scopulique virentes,
Muscus ubi, & frutices passim nascuntur odori,
Fragrantes generant pisces, succoque salubres.
Tales Herculeæ (3) rupes, & saxa beati
Pausilypi muscosa ferunt, rùpesque Dicarchi,
Et Capreæ, & quæ (4) Sirenum cognomina servant.
At quæ sub tenero se gramine sternit arena
Lætior, illa gregi squamoso grata ministrat
Pabula, queis constans veniat caro, succus & uber.
Qualem, Nesi, tuo sub gurgite sæpè solemus
Despicere: ast ubi cæruleis obducitur algis,
Haud caro felici tantùm pinguedine præstat:
Estque salutifero tamen ubere, grataque gustu.
Talia Leucosiæ sunt cærula, talis & omnis

Adria-

---

(1) Antonius Pignatellus è Minorbini Principibus S. R. E. Card. & generis splendore, & virtutibus egregiis Summo Sacrorum principatu dignissimus.

(2) Oppiani scilicet, qui Corycius fuit, floruitque sub Severo, & Antonio pio, cui gratissimus fuit ob carminis elegantiam, fertur ab eo tot stateres aureos dono accepisse, quot illi versus dedicaverat. (3) Massa ad Delubrum.

(4) Sirenusæ insulæ, *Li Galli*.

Adriaci tractus, & Ethrusci litoris ora.
Præterea quà salsa sonantes æquora rivos
Accipiunt, multa pinguent uligine fluctus;
Namque è præruptis felicem rupibus undam,
Fœcundumque trahunt limum, quibus humida ponti
Luxuriat gens multa: velut Cephalique, (1) Tragique,
Atque Lupi, atque Smaris, atque Anthias, atq; Atherina.
At verò steriles fundi qui carpit arenas,
Gignitur exuccus, quamvis innoxius; at qui
Cœnosis gaudet, pinguis licet, utilis ille
Non ægris; Rajæ veluti, Rhombique, Bovesque.
Quique altum tenuere Canes, & grandia Cete,
Non homini Natura dedit: sed pinguior alter,
Gratior aut nobis, succoque salubrior ipso
Non illo est, reflua Tethys quem lactat in unda. Refluo in mari optimi.
Tales angusti producunt claustra Pelori,
Et Capreæ, Euripusque, & lætior ora Tarenti,
Quosque Propontis alit, quos educat Hellespontus:
Et quos Oceanus per Gallica, perque Britanna,
Et per Ibera fluens, alterno perluit æstu
Litora, quique Rubri diffindunt marmoris undas.
Quin diversa licet pisces det Tethys eosdem,
Non tamen est cunctis eadem caro, nec sapor idem: Varii pro varia locorum conditione.
Sed varii veniunt pro conditione locorum,
Seu quòd non æquo descendant semina Cœlo.
Aut cunctis eadem non pabula; sive marini
Non omnes uno lactentur ab ubere fluctus.
Insignes dat Creta Scaros, dat Carpathos, & quæ Qui magis laudandi.
Perpetuò Libyca pulsantur Doride Syrtes.
Egregios aprica creat Synodontas Amalphis,
Illyricique maris scopuli: dat Julida dives,
Et Chromin Antipolis, Gaditanaque litora Fabrum,
Palladiæ (2) Mullum rupes, Pagrumque Dicarchum:
Et Rhombos Sinvessa, fugaces Thracia Thynnos.
Pulcher Erythræa pinguet Callicthys in unda,
Tyrrhena Melanurus, Amyclæaque Lacertus:
Adriaca Sargus per Daunia litora: perque
Pausilypi collem, & viridem Nesida creantur
Exosses Congri: sertique insigne ferentes

Dat

---

(1) Mustela, Hircus, Ital. *Grillo*, & *Pesce Galea*, Gal. *Donzelle*, Nostris *Musdela*.

(2) Massa ad Delubrum.

Dat Tethys Rhegina (1) Scaros, divesque Pelorus,
Umbrasque, Cytharosque, & lactifluas Anguillas.
Has & Mæandri vada læta, & lentus Anapus
Progignunt, Capreæque Sudes, magnumque Elephantum.
Engraules Prochyte, cognataque corpora, Sardas
Jactat: Japyges & Polypos, Pinnasque Tarentum.
Murænas Siculi exosses, (2) Egnatia Squillas.
Scyllæa Zyphiæ lætantur glande, levesque
In doctis Aphyæ semper celebrantur Athenis.
Passer in Oceano felix, & per vada dura
Sauromatum; gaudentque suo Salmone Britanni,
Et Germanus edax, magno sed Glanide Pannon,
Ægyptusque Latis; Acipensere lætior Ister.
Insuper his magni latitant sub gurgite pisces,
Quos nunquam è gremio prodit Neptunus avaro.
Retia non omnes unquam tenuere: neque omnes,
Audaces quanquam, pelagi lustravimus undas.
Multa latent homines, solis quæ cognita Diis sunt.
Argumenta tamen pauci venere, reclusit
Quos casus, & non imitanda audacia Piscis.
Vir fuit Ocyrhoë genitus Crateride Nympha
Nicolai, cognomento Piscis, historia.
Muscosa Prochytes sub rupe, peritior alter,
Quo non Delphinas, celeresque lacessere Thynnos
Per spumosa maris fuit æquora, non & in alto
Oceani durare sinu, vel fortior alter,
Qui vitæ cohibere haustum potuisset anhelum.
Admiranda ferunt super hoc: nam creber ab acta
Euboica solvens, Siculæ Telluris ad oram
Per Tyrrhena natans ibat freta, perque Sicana.
Vix saltu in pontum sese demiserat: Ecce
Jam Capreas, Lubramque fuga jam præterit; & jam
Pæstanus niveo spumat sub pectore Pontus:
Hinc te, (3) Leucosia, & te mox, Palinure, relinquit;
Et (4) Blandam, (5) Paticumque secat: jam litora stringit
Brettia: jam clausi prospectat claustra Pelori.
Ipsi

(1) Hic apud Siculos, & Rheginos appellatur *Pauro coronato* ob callosam appendicem capitis instar coronæ, & sine dubiò Scarus antiquorum est: qui, ut ait Athenæus, in Siculum fretum non rarò excurrit: quique cum delicatissimus sit, & Scaro similis, pro Scaro habendus; etsi unus me scrupulus angat, quod nimirum de corona capitis antiqui reticuerint. (2) Urbs Apuliæ, ex qua Monopolis.
(3) *Licosa*. (4) *Belvedere*. (5) *Paola*. Vide V. Naut.

Ipsi mirantur pisces, mirantur & Euri,
Attonitæque retrò fugiunt, quas dividit, undæ.
Intereà volat ille, optataque litora tandem
Lætus adit: victor Siculas & jam tenet oras,
Qualis ab Euxina lapsus trans Bosphoron unda
Ægæum secat, & Cycladas prætervolat omnes
Delphinus celeri cursu, & vix deserit actam
Retro spumam, ipsos habilis prævertere ventos.
Quin etiam cæco subter diffindere cursu
Cæruleas consuetus aquas, velut æquora piscis.
Sic Mamertino è portu non visus adibat
Taurominum, Catinamque, & trans vada flava Symethi
Victor ad Ortygiam caput attollebat ab undis,
Hinc illum Euboici Piscem cognomine Nautæ
Dicebant, & talis erat: quia plurimus usus
Nativum potis est genium in contraria, & ipsam
Naturam mutare, novosque inducere mores.
Quæ cum Trinacrius memorari facta (1) Tyrannus
Audisset, majora fide, ad sese ilicet illum
Acciri, magnumque unà deferre ministros
Cælatum argento, & miris cratera figuris
Imperat. Intereà lunatæ Falcis in ipso
Litore quà contra fluctus insana Carybdis
Perpetuò torquet gyro, Manesque refundit,
Centum inter Procerum primos expectat ovantes.
Extemplo magna populi comitante caterva
Regem Piscis adit: cui protinus ore Tyrannus:
Experiamur, ait, de te si vera feruntur.
Hìc opus est facto famam firmare: nec ultra.
Confestim rapidam propter cratera Carybdim
Projicit in fluctus, simul hæc: Argenteus ille,
Et testis virtutis erit, & præmia discus.
Vix ea, cum magno laudis succensus amore
Corpora candenti lino citus exuit; ille &
Obsequii tibi testis erit, Rex maxime, discus,
Et testis famæ certissimus, inquit; & actam
Deserit, & pelago simul insilit, & subit undas:
Qualis ubi Proteus jactu se librat in æquor.
At non extemplo rediit de gurgite in auras.
Sed longam traxisse moram, mirantur in acta
Cum procerum cœtu, & tota cum plebe Tyrannus.
Scin-

(1) Federicus Siciliæ Rex: vide quæ adnotavimus ad V. Nauticorum.

Scinditur intereà vulgus pro more: ferocis
Pars ausum damnare viri; pars altera Regis
Barbara jussa: Deos, & ineluctabile Fatum
Accusare alios: sed frustra: quisque malorum
Est sibi molitor Deus ipse, est & sibi Fatum.
Hæc inter sese vario rumore ferebant
Vulgus iners, medio cum Piscis ab æquore victor
Emersit, discum referens insigne Trophæi.
Vix conspectus aquis assurgere, lætus ad astra
Ilicet exoritur clamor, victorque vocatur
Piscis: io victor geminatur terque, quaterque:
Lætitiæque timor concedit: & ordine verso,
Omnia plausus habet, plausu sonat omnis ovantum
Turba virùm, & læto plaudit clamore Theatrum.
Qualiter incertus vulgi cùm rumor ad aures
Eventu belli trepidas pervenit, & ipsos
Non æquo sub Marte canit vicisse Gelonos.
Turbati nutant animi, pallentiaque ora
Confestim vanus timor occupat: ast ubi certus
Nuncius ad Patres venit, fusosque pudenda
Narrat cæde Scythas, positis & Jazygas armis
Permisisse duci, pacemque orasse Latinos,
Actutum pulsâ acclamant formidine gentes
Victorem, festisque lacessunt aëra bombis,
Atque insperato replentur mœnia plausu.
Unus at Ocyrhoë genitus tot munera plebis
Læta inter, plaususque ducum pleno ore faventum,
Constitit attonito similis, nec murmura ovantum,
Nec quicquam magni curat simulacra triumphi.
Ceu quis, totus ubi defecit spiritus, aut cùm
Infami eximitur laqueo periturus, & in se
Servatus redit, attonitus vix lumina torquet:
Vixque suis trepidans insistit cruribus; & vix
Ora movet stupefacta, metuque exterrita multo.
Hinc Regem tremefactus adit, cui talia: Discus
Hic ille obsequii tibi testis: At ò mihi quantum
Hoc stetit obsequium, laudisque incensa cupido.
Si vivo: fateor, vestro, Dii, munere vivo,
Ex Acheronte pii, qui me rapuistis: & ultra
Nil dedit. At mira captus novitate Tyrannus,
Hortatur fari quæ sint, quæ gurgite in alto
Vidisset portenta, ferisque horrenda Charybdis
Queis incincta minas intenderit. Incipit ille.
Admiranda quidem tibi, Rex, miracula rerum
Narrabo, trepido quanquam vix ore profari

Multa

Multa queam: nam totus adhuc præcordia circum
Purpureus terrore coit mihi ſanguis, & omnes
Horreſcunt cervice comæ, & vox faucibus hæret.
Ut fluctus ſubii, Siculo de littore vidi
Spumoſum rapidis venientem fluctibus amnem.
Ut vidi, ut perii, ut me citus abſtulit amnis.
Ilicet abreptus medio torrente ſub altam,
Incurvamque feror rupem, quà concava ſubter
Horrendum gremio patet antrum: plurima & antrum
Perfundit cæco prorumpens unda meatu.
Hic dea ſæva lupis, canibusque incincta marinis,
Conſidit vivo in ſaxo: ſpumantia propter
Æquora vorticibus centum irrequieta recurſant.
Si vultum ſpectes, niveis ſi pectora mammis,
Si læves humeros, non deſpicienda decoro
Aſpectu Virgo eſt, dirum, ſi cætera monſtrum.
Undique ſed rupem dextra, levaque tenentes
Immenſos vidi Polypos, nova monſtra Profundi,
Ingentesque latrare Canes. Proh Numina! quantus
Hic me me timor invaſit, cum tendere chelas
Hinc inde immanes, avidoque dehiſcere rictu,
Horreſco referens, proſpexi: vix calor hæſit
Oſſibus, & ſubito poteram petiiſſe, benigni
Ni me tunc Superi ſervaſſent: vertere ſed quà
Me tutò poſſem, ſuperasque evadere ad auras
Haud noram: hàc illac, trepido per concava curſu
Ibam, forte viam ſi Sors, aut Fata dediſſent.
Cum rediens maris æſtus (& hæc tum prima ſalutis
Affulſit mihi ſpes) vada trans concluſa reflexo
Eduxit torrente, marique immiſit aperto.
Egreſſus caſus omnes evaſeram, & alto
Tendebam Cœlo victor, cum vortice in ipſo
Candentem celeri gyro ſe voluere diſcum
Aſpicio, me laudis amor pervaſit: ibi omnis
Immemor, heu! caſus rerum, oblitusque pericli;
Atque mei (ſtimulis furor hic mortalia corda
Proh quantis violentus agit) vento ocyus ipſo
Invitus rapior: favitque ingentibus auſis
Fortuna, è medio ſublegi gurgite pelvim.
Aſt iterum in præceps jam me violentus agebat
Immiſſis novus æſtus aquis, cum numina ſupplex
Qua poteram voce appello, niſuque valenti
Currenti obluctor pelago, & me lucis in auras
Emitto. Dis vota piis nunc pronus ad aram
Perſolvam, ac poſti figam hunc pro munere diſcum.

At non expletus tanta novitate Tyrannus,
Et majora putans se posse occulta sub alto
Nosse mari, famulos aliam deducere pelvim
Argento è solido grandem jubet: haud mora magnum
Adducunt cratera: viro mox talia fatur
Rex Siculus: Tentanda tibi nova gloria palmæ,
Cunctaque Scyllæo sunt exploranda sub antro.
Si tantum favere, dabunt nunc Fata secundò
Fortunam, atque viam rapidi per vorticis æstum.
Hæc ubi dicta, mari pateram projecit: & ille
Sic contra. Non ista quidem, Rex magne, jubeto.
Nec faciam: Sat erit semel evasisse periclum:
Nam benè Divorum non utitur ille favore,
Oblitus qui prima, novo temerarius auso
Se fidens Fatis in aperta pericula mittit.
Contra Rex urgere virum, dictisque precari,
Ut benè Divorum concessæ fidere sorti
Audeat; Audaces, quorum fiducia magna est,
Conciliant, dum posse putant, sibi Numina: quique
Non audent, positâ malè spe, victique timore,
Aut non posse putare Deos, aut nolle videntur:
Addit; & id tandem sese jam velle fatetur.
His satus Ocyrhoe verbis non motus, iniquo
Attamen imperio, precibusque instante Tyranno,
Cogitur invitus non æqua facessere jussa.
Oranti quanquam res non parere Tyranno
Difficilis, cui jura preces, ratioque voluntas
Ipsa est, Immotumque manet quodcumque jubetur.
Ergo amens animi, Fatoque impulsus acerbo
(Raro hominum rerum Fato prudentia major)
In freta prorumpit: miser, ah! non lucis in auram
Promeruit rediisse: mari tumulatus in imo est.



HA-



HALIEUTICORUM
LIBER SECUNDUS.

PROTINUS undosi leges, & fœdera regni
Exequar: incœptum mecum percurre laborem,
CARDENIDE, miranda tibi spectacula rerum,
Udaque cæruleæ gentis connubia, & ignes,
Atque odia, atque iras, & spumea prælia dicam.
Qui primus vasti discordia semina Mundi,
Diversasque uno conjunxit fœdere partes,
Ille Deûm regnator Amor, qui singula sacro
Strinxit amicitiæ nexu primordia rerum:
Divisitque informe Chaos, litemque diremit
Æternam: cæco qua carcere mixta vicissim
Frigida cum calidis certabant, humida siccis:
Perpetuumque novo firmavit lumine fœdus.
Ille & pugnantes discordi numine Divos
Conciliat, dulcemque ferit super æthera pacem:
Et pacem terris largitur; & horrida pulsat
Bella hominum, jungitque animos, & pectora dura,
Hic volucres, hic bruta nigris errantia sylvis,
Et pecudes, sociatque boves, armentaque equorum.
Omnia nectit Amor, vinclisque tenacibus arctat:
Mortalesque potens inter, gentesque Deorum est.
At miranda quidem dulcis sunt fœdera amoris,
Quæ muti servant pisces, turbæque natantum.
Certa fides thalami, sunt & connubia curæ:
Et prolis studium, & servandæ industria gentis:
Acribus & stimulis agitantur: & ignea in undis
Pectora zelus habet, durus Deus: & fera miscet

Amoris nexu omnia copulari.

Præ-

Prælia, & ingentes animorum ſuſcitat iras.
Singula, quæ noſtro jam nunc percurrere verſu
Aggrediar: nec vanus erit labor iſte canenti,
Nec tibi, piſcator; namque hoc comprendere prædam,
Inque ſuo poteris piſces diſperdere amore.
Cæruleæ quamvis omnes commercia gentes
Læta ineant, nexuque alacres jungantur amico:
Sunt tamen, ingenti ſtudio quas prolis habendæ,
Acres in piſcibus amoris ſtimuli. Fortius extimulat, viresque valentior addit
Ignea vis: Muræna velut, Cephalique petulci,
Et Scarus, & Polypus, atque ardens floribus (1) Evops
Non ſecus inſano Galei torquentur ab æſtu;
Ac Ziphiæ, Thynnique: tremor ceu magnus equorum
Corpora pertentat, notas cum detulit auras
Improviſus odor: ſic & tremor omnia verſat
Membra Canum, totoque agitat ſub pectore flammas,
Cum noti vultus, Verque excitat oſſibus ignem.
Meruli ardor, & ſtudium in conjuges. Acrius eſt (2) Merulum ſacer ardor: & unica Nympha
Non ſatis eſt olli: plures uxorius optat.
Per ſcopulos, per ſaxa, tenet quæ plurima conjux,
Aſſiduè multo ſuccenſus obambulat œſtro:
Nec potis eſt animo dulces avertere curas.
Hunc modo perluſtrat ſcopulum, modo fertur ad illum,
Dulcia ubi charæ poſuere cubilia ſponſæ.
Non illi victus cura eſt, requiesque labori
Nulla, ſed immenſo ſuſpirans deperit æſtu.
Decolor ut nigrâ Cœlum ferrugine Veſper
Inficit, & primo labuntur ſydera motu,
Solicitus multâ pro conjuge circuit æquor,
Et glaucos carpit frutices, muſcumque virentem,
Devectatque domum, & tota vix nocte quieſcit,
Verùm cum gravidæ fœtus deponere matres
Incipiunt, uterique gravi ſub mole laborant:
Tunc ille inſueto pectus perculſus amore
Anxius accurrit, thalamisque jugalibus adſtat
Per-

---

(1) Anthias, ſic dictus, ab oculorum pulchritudine, floribusque, quos æmulatur. (2) Oppianus Merulam, & Turdum ejuſdem generis facit, Merulam marem, fœminam verò Turdum (uterque vulgò noſtratium quemadmodum & Turdus avis, appellatur *Malvizzo*), idque nonnullis ipſa formæ ſimilitudo perſuaſit; ob quam horum piſcium nomina facilè permutantur: alii duas ſpecies faciunt, quod mihi vero ſimilius videtur.

Pervigil, & trepidus nunc hanc, nunc visit & illam:
Cumque dolente dolet miser, & pariente laborat.
Hanc Medos vitam fama est, mollesque Sabæos,
Et Persas coluisse, sagittiferosque Gelonos,
Quique Indum, Gangemque bibunt: quibus aurea tædam
Non unam Venus accendit, nec pronuba Juno.
Sed malè concordes urit sæpè æmulus ardor.

At verò thalamum servat (1) Scorpæna pudicum. *Scorpænæ pudicitia. D. Ambros.*
Atque uni conjuncta viro, spe prolis habendæ,
Legitimum fovet amplexum, castosque Hymenæos.

Non hic prætercam, quæ passim credita vulgò *Viperæ, & Murænæ conjugium. Orus Apollo in Hiero. Ælianus, aliique.*
Fama refert serpente super, cui cærula nubit
Muræna: & siccis Hymen celebratur arenis.
Mira fides facti; sed quæ discordia tantum
Fortis uti non nectat Amor? (quis credere possit?)
Non tamen optatos poscit per mutua nexus,
Quam lethale priùs deponat cautè venenum,
Usque adeo sincera fides debetur amanti:
Et si verus amor, nullum est in amante venenum.
Ergo ubi tempus adest tædas celebrare jugales,
Arcanis coluber stimulis volat actus ab umbris
Litus in undosum: totumque è pectore virus
Ore vomens, saxo bilem concredit amaram:
Hinc caput attollit quatiens, & sibila colla,
Eque suo Nympham tecto vocat: ilicet illa,
Ut feriit vox nota, & amicus sibilus aurem,
Exilit in litus vitreis è fluctibus, & se
Vibrat in amplexus, & lubrica circuit anguem.
Mox hæc in pelagus gravis insilit: ille repostum
In saxum repens se devehit, atque venenum
Ebibit, & lucos rediens invisit opacos.
Ast illud mirum est, virus si fortè viator
Abstulit, aut siccâ ignarus pede pressit arenâ,
Amissâ perit infelix tunc vipera bile.
Scilicet ingenium cui primùm læva malignum,
Et virus natura dedit, fraudemque nocendi,
Haud sinè nativo poterit durare veneno.

Hinc & digressus, Rajæ, Squatinæque furores, *Rajæ, Squatinæque permixtio: ex qua Rhinobatos, Aristoteles.*
Et vetitos dicam thalamos, prolemque biformem.

In-

(1) Scorpius, & Scorpæna sint ne ejusdem speciei, dubitat Athenæus, sed differre, ut & succo, coloreque, censet nostri, quibus suffragatur Aristot. Oppianus, Plinius; quare fallitur Eustathius, qui sexu tantum differre arbitratur.

Interdum Raja, ut perhibent, malesanus adulter,
Alterius thalamos, inconcessosque Hymenæos
Affectat generis: stimulis & agentibus ipsis,
In Squatinam ruit, & nullâ vi spontè volentem
Supprimit: hinc proles educitur illa biformis:
Rhinobaton (1) docti quondam dixere Pelasgi.
Diversum quæ mixta refert genus; ora supernè,
Atque humeros Rajæ similis, pellemque, coloremque:
At verò in reliquis Squatinæ par omnia membris.
Non aliter Libyâ in vastâ, quà corniger Ammon
Quare in Lybia variæ monstrorum formæ. *Plinius.*
Regna tenet siccis sitientia semper arenis,
Et Meroës deserta jacent, saltusque (2) Syenes,
Cùm stimulante siti sub stagna, & flumina rara
Convenere feræ, Tigresque, Ursique rapaces,
Pardalis, atque Leæna, venenatique Cerastæ;
Plurima per densas nutrit quas Africa sylvas.
Hìc ubi jam rivos potarunt gutture anhelo,
Permixtim rabie impulsæ, cæcoque furore
Miscentur, variumque genus non debita poscit.
Hinc illæ insueta generantur imagine formæ
Monstrorum, visu turpes, rictuque tremendæ.
Sed non unus amor, non piscibus una medullas
Est flamma, aut generis nativi sola cupido.
Caprarum insano Sargi capiuntur amore,
Varia Piscium studia.
Et pastoris amant velamina: Palladis ardet
Florentem Polypus oleam: spumosa per alta
Quæ fluitant fragmenta ratum, quas ira procellæ
Dispersit violenta, marique immersit aquoso,
Hippuri affectant alacres, circumque residunt:
Et lætos celebrant ludos, nectuntque choreas.
Quique comes rapidis it puppibus, atque nitentes
Insequitur spumas, tractosque per æquora sulcos,
Lætus arundineâ gestit Pompilus in umbrâ.
Vesparum illecebris (3) Mænæ captantur: & udos
Non spernunt Thynni (4) Cepphos, quibus humida præbent
Nutrimenta; leves illi dum pone sequuntur
Prædantes ipsos, piscesque impunè trahentes.
Salmones Accipenser amat: cœtuque frequenti

Sal-

(1) Rarissimus piscis est, cumque Squatina confunditur: *Cetola*, quasi Cythara, nostri vocant: Græci verò hujus temporis Rhinon. (2) Vide lib. VII. Naut. (3) Nostri piscatores *Menne* etiam vocant. (4) Aves aquaticæ, è lutrarum genere: qüidam Fulicas interpetrantur.

Salmones illum ſectantur: ovantia propter
Ceu glomerata ſuum procedunt agmina regem.
Sunt quos delectant numeris animata canoris
Carmina, vocalesque fides, ſonitusque metalli.
Utraque (1) Thriſſa velut, currit quæ cærula ſalſa,
Quæque colit dulces rivos, & amœna fluenta.
Idcircò in medio piſcantes flumine (2) nolam
Suſpendunt, ſtrepituque vocant ad retia Thriſſas
Et gaudent Thrichides tinnitibus: eſt & opimis
Murænis etiam, ut perhibent, aurita voluptas.
Argolicis (3) Galeota modis mulcetur: & ipſe
Ad cantum niveus vitreo ſalit æquore Delphin.
Aſt alii reddunt vocali è gutture voces,
Caſtorides (5) veluti, quæque alta volucris Hirundo
Summa ſecat, Rhodiique rubens Scarus incola ponti,
Atq; Lyræ, atq; Chromis, (5) Capriq; & flumineus (6) Sus.
Mus (7) quoque grunnitus Achelojus edit: & olli,
Sit licet exiguus, vis eſt ſub dentibus ingens:
Queis audax telis, & duro tergore fidens,
Bella inferre viris, & magnis piſcibus audet.
At non ſquamigerùm mutum genus edere voces
Crediderim veras; quia cuncta ſonantia deſunt
Inſtrumenta: velut pulmo, gutturque repandum,
Et quæ vocales arteria devehit auras.
At voci ſimiles creduntur fingere vulgò
Alarum ſtridore ſonos: ſeu plurimus ipsâ
Scilicet incluſus teritur dum ſpiritus alvo,
Colliſus latè reboat vocalis ad auras.
Non tamen Oceani prolem, Thetidisque marinæ,
Semiferumque (8) genus Nerei vaga cærula cantu
Mulcere, & blandè numeris reſonare negandum eſt.
Nam Surrentino nuper ſub litore vidi
Cantantes Pelagi Divas, dum lucida Phœbe
Fulgeret tremuli pacata per æquora ponti.

Qui piſces cantu, ſonoq; delectentur.

Qui vocales.

Non tamen veras reddunt voces, & quare?

Cur vocales dicantur.

Nereidas, & Sirenes vocales eſſe.

Cantu

(1) *Aloſa*, & marina, & flu: (2) Campanum æs, ſeù tintinnabulum, à Nola Urbe, ubi primum inventum.
(3) Sic etiam appellatur Ziphias, qui latinè Gladius eſt.
(4) Caſtor animal amphibium quadrupes, dictus etiam canis Ponticus; Italis *Bivaro*, Gallis *Briſe*, & *Brieve*.
(5) Aper. (6) Aper fluvia: (7) Aper Acheloi, *Peſce Ratto*, & *Porcello*. (8) Nereidum, ac Sirenum Hiſtoriam lege apud Alexandrum ab Alexandro lib. 3. cap. 8. & Nierembergium hiſt. Natur. lib. 5. cap. 13.

Cantu quo rupes longè pulsata sonabat,
Muscosæque levi surgebant murmure cautes:
Atque ipsi pariter saliebant gurgite pisces.
Audiit intonso prospectans colle Minerva,
Altaque (1) Telebois, jussitque ediscere nautas.
Quis novus, ò Musæ, cantanti sibilus aurem
Perculit? an Zephyrus submurmurat? anne canoræ
Sub paribus repetita modis dant carmina Nymphæ?
Haud ignara quidem Vatis mens fallitur. Ipsæ
Ægæi procul è fluctu me dulce canentes
Syrenes revocant (2) Acheloides. Est nemus altum
Gythæi (3) propter litus, quà murmure rauco
Sirenum metamorphosis.
E (4) Chronio lapsus summo sinuosus oberrat
Eurotas (5), pictàque intexit jaspide ripas,
Hic olim cœtus inter Diana sororum
Virgineos de more choros agitabat in umbris:
Quam circum denso glomeratæ Najades orbe
Insignes arcu errabant, nitidaque pharetrà:
Perque humeros niveæ diffuso crine Napææ
Centum ibant, Dryadesque, & Oreades: inter & illas
Syrenes comites aderant, cantuque beato
Implebant latè nemus omne, & sydera Cœli.
Fortè ex adverso (6) Cranaës de litore Glauci,
Phorcique adstabant, & amicam rupibus umbram
Carpebant, nullo armentis custode relictis:
Qui sensim nimià capti dulcedine cantus,
In sylvosa citi contendunt litora: Nymphas
Hic ubi prospiciunt, insano protinus igne
Correpti, fraudem meditantur: & inter opacas
Se condunt rupes: ubi densis plurima sylvis
Opportuna dolis florebat cærula myrtus.
Jam ludo defessa nemus Diana repostum
Naïadum, Dryadumque choro stipata petebat:
Apricos verò colles, & litora amantes
Eurotæ celeres ibant Syrenes ad ora.
Huc ubi trans saltus Nymphæ venere, latentes
Aspexere Deos; subita formidine captæ,
Jamque referre pedem, & nigris se condere lucis,
Ac celeri ardebant sociis se reddere gressu.
Ve-

(1) Capreæ Telebois olim habitatæ. (2) Quia Acheloo, & Terpsychore genitæ perhibentur. (3) Oppidum Laconiæ, *Colochina*. (4) Mons Peloponnesi *Crevenos*.
(5) *Basilipotamo*. (6) Insula contra Gythæum.

Verùm cærulei cum Dii, nil fraudis inesse:
Sed tantum se velle Deas audire canentes
Dixere: & voces laudare, & mollia verba,
Ac risu lenire animum cœpere petulco,
Amissum tandem miseræ doluere pudorem.
   Sed postquam scelus è vultu Diana pudendum
Casta recognovit (sceleris certissimus index
Ipse sui vultus: taceas licet, ora loquuntur)
Justa ardens irâ pro virginitatis honore
Amisso, monitisque suis, & numine spreto.
(Hos etenim monitus dederat; ne litora, neve
Apricos peterent colles, aut fluminis ora:
Et nunquam æquoreis auderent fidere Divis.)
Pube tenus jubet esse feras, & crura, pedesque
In duplicem vertit caudam, Glaucisque marinis
Assimilat Divas, redditque informia monstra.
Discite virgineum moniti servare pudorem.
Illæ nequicquam lacrymis, precibusque Dianam
Poscentes veniam: nec tantum ferre valentes
Dedecus, in medium se demisere profundum.
Scilicet ingenuis quocumque occumbere Fato
Præstat, quam turpem per turpia ducere vitam.
Auxilio venere Deæ Nereides, & quæ
Eurotæ fluctus Nymphæ tenuere beati:
Affuit & Tethys, casumque miserta Dearum,
Æquoris esse dedit Divas: Nereja qualis
Cymmodoce, Galatea, Thaliaque, Phyllodoceque
Pectore quæ niveo spumantem Dorida sulcant:
Et dulci placare Deos modulamine, & ipsos
Auritos etiam pisces, & cærula monstra.
Tu cave ne cantu capiaris, & ore doloso:
Namque unum hoc illis solamen, & una voluptas
Restat adhuc, blando nimirum fallere cantu
Incautos Nerei currentes æquora nautas.
   Insuper undosæ gentis non prolis alendæ
Cura levis. Cœli cùm primùm emissa sub auras
Devenere, fovent extensis pignora palmis:
Et per spumosos se circum ludere campos,
Ceruleisque innare vadis, cursusque per altum,
Obliquare docent: tenerisque alimenta ministrant.
Hostiles arcent incursus, se seque parentes
Objectant, proprioque tuentur corpore natos.
   At Galei, Glaucique, timor cùm proximus urget,
Insultantque feræ jam dentibus, ore tenellos
Accipiunt fœtus, tutaque in fauce recondunt.

Piscium industria in alenda, tuendaque prole.

Galei, Glauci, & Canes partus intra se condunt. *Arist.*

Sed pietas miranda Canum: de gutture in ipsum
Immittunt uterum, medioque in viscere condunt,
Descendunt illi faciles, iterumque recurrunt,
Quò priùs emissi Solem videre supernum,
Perfugiumque petunt vitæ, vita unde profecta est.
Verùm cùm pisces jam discessere feroces,
Atque animos pulsa capiunt formidine matres,
Lætæ iterùm pariunt sua pignora, seque timore
Exonerant, agilesque secant salis humida regna,
Festivo matrum lusu post terga sequuntur:
Et rursus gaudent conspecto lumine nati.

Maxima solicitos curandæ industria prolis
Phocæ solertia, Oppianus. Exercet Phocas: medio non æquore fœtus,
Sed siccâ pariunt Tellure: cavisque sub antris
Diffusos circùm distenta per ubera lactant:
E mammis niveum quoniam lac effluit: ore
Certatim catuli potant, luduntque petulci.
At post bissenos revolutos ordine Soles,
Roscida cum nitidis surgens Aurora quadrigis
Contexit terram radiis, Cœlumque coruscis,
Spumea paulatim fœtus ad litora portant,
Et crurum tenùs aspergi gaudentque, sinuntque.
Sæpius id peragunt, quò tandem nare periti
Cæruleas habiles percurrant Tethyos undas:
Ac velut externis gnatum connixa sub oris,
In patriam longo rediens post tempore mater,
Ostendit puero genus unde, & nomina ducat,
Antiquosque Lares, & avitæ insignia gentis:
Fortunamque domus dicit, ritusque parentum.
Sic teneros Phocæ vitulos in salsa reportant
Æquora, nativosque Lares, & vitrea monstrant
Tecta domus, tremuloque undantia marmora fluctu:
Atque vias pelagi varias, cæcosque meatus,
Diversumque docent populum, & genus omne natantum.

Ingenium mirum Salmonibus indidit ipse
Salmonum ingenium, & quo tempore nidos parituri faciant: Gesnerus. Juppiter, & partu solertes fecit habendo.
Aurea stellati cùm Sol palearia Tauri
Occuluit, lætæ florent quo tempore sylvæ,
Pulcher & apricis vernat prospectus in agris,
Ut primùm Oceano fluvios petiere relicto,
Prima illis est cura, locum captare repostum,
Mollis ubi sabulo, rapidusque revolvitur amnis:
Hìc altas de more scrobes, quibus ova reponant,
Effodiunt: quæ rore suo mas irrigat ova.
Inde tegunt nidos, & multo vimine firmant.

Egre-

Egregia ſimul arte latus tutantur utrumque,
Aggeribus circùm impoſitis, atque arbore vallant:
Ne fortè arripiant devexo flumine fontes.
At quæ Solſtitio mandantur plurima nidis
Ova, vel Autumno pingui, cum mitia paſſim
Poma jacent, gravibusque gemit vindemia prælis;
Exacto jam, Vere novo, ſe tempore rumpunt:
At teneros liquido catulos dant ludere rivo.
Ipſa etiam, ut perhibent, è piſcibus uda marinis
Lentiſco è tenui cunas, muſcoque virenti
Compingit medio Phycis paritura profundo,
Salpaque litoribus ponit viliſſima nidos,
Et tempeſtates contra, fluctusque tuetur,
Aut algâ è viridi, ſive aggere mollis arenæ.
At nitidos inter lapides, ſcopuloſaque propter
Litora connixus deponit Gobius ova.
Quæ ſubeunt, miranda magis: ſine ſeminis hauſtu — Qui ex ſe concipiant ex aliorum placitis.
Nonnulli ex ſe concipiunt: ceù Phroxinus auro
Effulgens nitido, & felici ſumine dives,
Perdixque (1), (2) Channæque, & purpurei Erythini.
Hæc multis menti ſedit ſententia, at ipſe
Naturam, rerumque nova obſervata ſecutus,
Averſum maribus, ventoque afflante putarim — Authoris opinio.
Fœmineum potare genus primordia ſœtus.
Ceu traduntur equæ, cum perfurit ignis, Iberæ
Converſæ in Zephyrum genitales flamine rores
Accipere, extemploque graves turgeſcere vento.
At vero imbelles Aphyæ non ſemine jacto, — Aphyæ ultrò proveniunt, ut Ranæ.
Proveniunt, lætæ nec lactant ubera matris:
Sed ſpumante mari, pluviiſque cadentibus, ultro
Seſe vitales emittunt lucis in auras.
Quales, Nola, tuos imber cum plenus in agros
Decidit Æſtate in mediâ, de pulvere natæ
Aſſurgunt madido, crocitantque per herbida ranæ.
Cæruleo interdum è limo, putrique palude
Sponte ſua veniunt: idcircò cærula nantes
Lenta ſecant agiles, pontoque licentius errant.
At mira eſt Aphyis prudentia: turbidus inſtat — Aphyarum prudentia. *Ælianus*.
Cum Notus, & nigri contexunt aëra nimbi,
In transverſa vagæ ne fortè ferantur ab æſtu,

Oo 2 Per

---

(1) Maris perdix ob ſucci ſuavitatem, ſalubritatemque Solea dicta eſt, hìc verò Ariſt. de Perdice, non verò Solea loquitur. (2) Græcis, quæ Lat. Hiatula.

Perfugium fub caute petunt, faxoque repofto,
Inque latebrofi fe condunt muricis antro
Aft Aphyis (1) delatus honor. Jamque aurea Vatem
Invitat, nutuque favet Lucina benigno.

Sit quanquam fœcunda maris gens fquamea, certas
Conceffit Natura vices, & tempora, partus
Quoties in anno faxatilium quifque pariat. Arift.
Quifque fuos, Cœli fuperis quibus inferat auris.
Qui fcopulos, & faxa tenent viridiffima mufco,
Bis anno gaudent felices cernere fœtus:
Cyaneo velut ore Scarus, Turdusque fmaragdo
Concolor, & focios inter velocior omnes:
Raptoresque Lupi, Percæque. At Scorpius alvo
Dat quater è tumida fœcundo femine natos,
Ante vagus totum quam Sol luftraverit orbem.
Terque utero Coracinus habet: ter nititur: & ter
Purpureus fupplex Lucinam Mullus in anno
Invocat: hinc Grajo Trigle cognomine dictus:
Sive (2) facer quoniam fuerit tibi, diva Triformis.

Quoties, qui ova emittunt.
Qui primo non viva ferunt animantia nifu,
Ova fed emittunt, longo quæ tempore pullos
Dant matura, femel pariunt: ceu Salpa fub algis,
Atque inter frutices, & cautes Gobius udas.

Quoties Plani.
Verum Pfittacei, veluti Soleæque, Bovesque,
Rhombique, Rajæque, & fæva cufpide (3) Trigon:
Veloces Aquilæ, & Torpedinis enthea virtus,
Vix anno femel enixæ dant pignora. Mænæ
Exonerant fefe Brumâ: fed Vere laborat
Hippurus, violæque Smaris, qui concolor ardet:
Et candens Atherina, cui Lucina maligno
Atherinæ in pariendo dolor. Arift.
Affulget radio pariturae: è vifcere fœtum
Non prius educit, quam molli plurima arenæ,
Ufque reluctantem pandi, fæpè affricet alvum.

Ipfi

---

(1) Allufum ad proverbium, Aphyarum honos: dicitur quoties humilibus, exiguus licet, fuus contingit honos, hinc & illud aliud: Aphyæ honos oleum. Aphyas autem è fpuma nafci cum Oppiano confentit Aldrovandus, etfi reclamet Arift. argumentum verò eft; quia quolibet anni tempore reperiantur, ex Aphyis quæ albæ funt Cobites dicuntur, teneriores, & exoffes: & nos has *Cicinielli*, Ligures *Bianchetti*: reliquas verò cum cæteris pifciculis *Fragaglie* dicimus. (2) Mullus Dianæ Hecati dicatus à veteribus fuit. Jovius. (3) Eadem ac Paftinaca, cujus radius venenatus.

Ipsi etiam virides nituntur verè Lacerti,
Salmonesque vagi: totum sed læta per annum
Fert prolem Muræna. Polo cum Cypridis astrum
Præfulsit medio, genitalia semina Scombrus
Accipit: æstifero Cancri reddenda sub astro:
Tempore quo dives progignit Lucius, & quo
Deponunt faciles (1) Erythini pondera ab alvo,
Fœcundum semper ponti genus, ubera pingui
Ova ferunt utero, sparsimque per æquora pubem
Innumeram læti fundunt, sed stagna, lacusque
Quino implent partu, & numerosa prole Cyprini,

Dum nitidis claram stellis Puer aureus urnam
Versat, & ambrosio perfundit sydera rore,
Accendunt Polypi tædas sub caute jugales.
At verò ut raris effulserit ignibus Helles
Portitor, & toto perquirit vellera Cœlo,
Ova racematim nituntur pinguia centum:
Quæ, gallina velut, postquam, mirabile dictu,
Quinquaginta dies amplexu fœmina fovit,
Multipedes excusa maris dant plurima gentes.

Quo Polypi tempore pariunt, utque ovis incubent.

At quia difficilè mittuntur pignora, acerbo
Correpti interdum Polypi periere dolore:
Atque infelices lucem flevere supremam,
Edere dum sobolem conati lucis in auram.

Ut inter partus dolores sæpè pereant.

Tempore non alio progignit Sepia, Soles
Terquinos tamen illa suis super incubat ovis.
At verò ex illis redduntur singula tantum
Corpora, quot pariter reddunt Loliginis ova.
Ast hæc in medio parit æquore: litus at illa
Saxosum connixa tenet, quà plurima circum
Alga viret, fruticesque udi & fluvialis arundo.
Idcircò virides piscator in æquora fasces
Projicit: inque illis cum nidos Sepia fixit,
Extrahit in siccum, & felicia subripit ova.
At piscis quanquam, tamen album novit, & atrum
Sepia, nonnumquam fraudem declinat iniquam.

Sepiæ, & Loliginis fœtura, & ubi ova exponant.

Inque utero fert ova suo peregrina (2) Lagois,
Quæ Lepus est nostris, quo non feritate veneni
Neptuni turbat vada salsa nocentior alter.

Leporis item.

Im-

---

(1) Appulis *Lutrino*. (2) Plinius offam informem vocat, nobis est *Fongo marino* à materia fungi simillima, Gallis est *Pota du mer*, aliis *Imbriago*, Hisp. *Lebre de là mar*, aliis est Pulmo Marinus.

Imbellis tamen est primùm natalibus undis
Ut crevit, trepidus se (1) Teuthidos abdit in antro,
Ex illa veluti genitus: non hospida Teuthis
Respuit, & propria nutrit cum prole Lagoum.

Quo tempore Locustæ, crustatique alii pariunt.

Aprico roseæ copulantur Vere Locustæ:
Dant partus Æstate: riget dum frigore Bruma,
Astacus (2) amplexum sub caute requirit odora:
Ova sed, Arcturo primùm surgente, recudit.
Non alio rufi quam verno tempore Cancri
Lucinam, Squillæque vocant, fuscique Paguri,
Et magna hirsuti gestantes corpora (3) Majæ;
Verum byssiferæ venit ipse putamine (4) Pernæ
Scyllarus (5), & socius manet indivisus in illa.

Cur Canes sæpè pariant.

Disce puer, Mustela, Canes versutaque Vulpes,
Et cur Carcharias, Galeumque exercitus omnis
Sæpè suos edant prægnanti viscere fœtus.
Plurima paulatim circùm præcordia crescunt
Ova, levi succo quæ mox concreta, sub alvum
Singula quæque suo descendunt ordine: & illi
Ut perfecta animam cepere, recluditur alvo
Hædus, & actutum ludit per cærula vivus.

Barbi fœtura. *Gesnerus*.

At tu, populeæ qui laberis amne Mosellæ
Liberior, prolem sub Cancro, Barbe, rubenti
Florentes inter ripas exponis, & ipse
Viscere sis quanquam pingui cum major, ab atro
Attamen ora tuo defendam sedulus ovo:

Et Thymalli, ejusque descriptio.

Quippè venenatum condit sub cortice succum.
Ast Athesis qui stagna colit piscosa Thymallus,
Et qui dulce thymum, vel flavum demetit aurum:
Fontis honor vitrei, & nitidus flos ille natantum,
Pæstanisque rosis, & floribus æmulus Hyblæ:
Quique ipsum spirans Actæum vincit Hymettum,
Lenæo spumante, furit: sed Vere tepenti

In

(1) Sic Græcè, quæ latinis Loligo est.

(2) Italis *Gammaro*; Venetis temen *Astase* antiquo nomine, ut vocant Adriaci maris accolæ *Astaco*, Hisp. *Camaròn*, Gallis *Ligumbault*, *Langrout*, & *Escrevice de mer*.

(3) Majores Cancri, nostris *Granci-Folloni*: aliis *Specchio*, Hisp. *Chabro*, Gallis *Trainge de mer*: at Provincial. *Squinade*. (4) Eadem, ac *Pinna*, sic dicta, quia suillo cruri similis. (5) Parvus Cancellus conchis adnatus, nostris *Grancitello*; Tarentinis *Cauro*; Liguribus *Brancho*, Hisp. *Granceio*, Gallis *Bernard*, & *Bioe Cambe*.

In ripis sobolem, & flaventibus educat undis.
His jam digressus spatiis, dicenda canenti
Ingenium superest varium, moresque natantum,
Quique animi, & dubiis quæ sit solertia rebus.
In primis te mira, puer, natura Draconis
Ne lateat: dextra si fors comprendere tentas,
Adnisus totis tunc viribus ille resistit:
Moliturque fugam: sed si captare sinistra
Aggrediere, citus cedet, mirabile dictu.
Præterea, si vera canunt, cum sanguine fibræ
Vere novo turgent, Cypriusque exæstuat ignis,
Piscanti si fortè viro sua spicula fixit,
Persimiles ipso confestim ex vulnere nati,
Assurgunt vivi pisces, luduntque per æquor.
Nimirum quia fœcundum quoque vulnus amantum est.
Est & magna Lupi solertia: nescius inter
Cum labyrinthei descendit carceris antrum:
Namque ferox licet ille, tamen vitare (1) Panagrum
Ingenio solers, multoque enititur astu.
Subter arat pinnis, & duro retia rostro:
Vique viam facit, implexoque recurrit ab orbe,
Hac vafer interdum, perhibetur Mormylus arte
Subter ab effosso perlabi (2) Dyctia sulco.
Mixta furore minor non est audacia cæci
Labracis (3), inflexo pendet dum fixus ab unco.
In rabiem furit actus, & æquore saltat, acutum
Si fortè excutiat ferrum: scinditque dolorem;
Et majora aperit sibi vulnera: sed tamen urget
Quo lacero tandem de gutture diffluat hamus.
Nam periisse juvat, pereat si liber ab hoste.
Jamque Scari dicenda subit prudentia: nassam
Ingressus, totam postquam consumpserit escam,
Ut cæco advertit conclusus vimine fraudem,
Et jam Fata sibi timet anxius, inter iniquos
Non caput intrudit radios, nec fronte supina
Obnixus meditatur iter: ne lædat acuta
Vimen acu frontem, tenerosque exulceret ignes,
Sed crebrò maculis insultat verbere caudæ
Aversus veniens, quo tandem liber in æquor
Disrupto nassæ textu, nodisve recurrat.
Intereà propter nassam secat humida si quis

Mira piscium ingenia, & mores.

Et primum Draconis

Ælianus.

Gillius.

Lupi astus, ut retibus effugiat.
Oppianus.

Mormyli item.

Lupi audacia, utque ab hamo se liberet.

Scari solertia, & ut aversus è nassis dilabatur.

Cæ-

(1), (2) Retium species, de quibus infra.
(3) Labrax Græcis, qui lat. Lupus.

Ut à sociis juvetur. Cærula fortè Scarus, volat ocyor, atque prehendit
Captivi caudam rictu, nisuque valenti
Luctantem inviso retrahit de carcere captum.
Idcircò Natura Scaro, si credere dignum est,
Dicitur aversas fecisse in tergore squamas.
Quin etiam ferro si fors Scarus incidit unco,
Auxilio socij properant, atque acribus atras
Dentibus adrodunt setas, vinctumque reducunt,
Usque adeò fraternus amor, generisque tuendi
Extimulat pietas ipsos vel in æquore pisces.

Julidis calliditas. Callida se curvo defendit Julis ab hamo:
Non impunè tamen furatur sæpius escam.

Imbellis, timidusque licet Melanurus: at illi
Et Melanuri, qua cavet ab hamo. Ingenium mirum, & Fato prudentia major,
Qua vimen cavet implexum, citus & fugit hamum.
Nam miserum licet usque fames hesterna fatiget,
Non tamen oblatas audet contingere mensas:
Novit enim vafer, ut lateat molli hamus in esca,
Ælianus. Quin etiam tremulo ridet dum marmore Tethys,
Saxa frequens securus habet, penitusque sub imum
Descendit sabulum, & piscantis retia vitat.
Ast ubi turbantur vada cæca, fremuntque procellæ,
Tutus adit spumas, & pisces gutture mandit.

Mirus Polypi astus, Ovidius. At verò è linis, vel arundine callidus hamum
Pendentem ut præda Polypus videt, hic quoque multa
Decipit arte: levi circum populatur opimam
Suctu escam, ridetque dolum piscantis avari,
Et puer ut calamum superelevat, ille reflexis
E cirris præda vacuum citus expuit uncum.

Item solertia in tempestate. Insuper, ut Nereus circumstrepit, & tumet æquor
In transversa ruens, se cirris pumice firmat,
Grandia vel stringit complexu saxa tenaci:
At se Loligo, & scrupos æ Sepia rupi
Et Loliginis, & Sepiç. Applicat, & fixa promuscide fundat arenis.
Anchora spumoso veluti sub gurgite jacta:
Consistit secura mari, temnitque procellas.

Sed jam velivola contectus ab æquore concha
Nautilus (1) assurgit visu jucunda daturus

Flu-

---

(1) Nostris *Moscardino*, & *Moscarolo*. Sunt multæ Nautili species: quidam habent concham acatii modo carinatam inflexa puppe, prora rostrata. Præterea conchæ Veneriæ, ut Plinius tradit, etiam nautili modo navigant, de his conchis lib. VIII.

Fluctivagas inter scenas spectacula nautis.
Ingenium mirum est piscis, freta cærula, vento
Flante, secat, pinusque velut cava navigat altum:
Nautilon hinc illum Graii dixere vocantes.
Cum Zephyri summas impellunt leniter undas,
Pronus ab Oceano consurgit, concava multum
Accipiat ne testa vadum: subitusque supino
Pectore conversus, geminas ad sydera chelas,
Antennas velut attollit, parvosque rudentes:
Quos inter tenuem membranam expandit: & illa,
Ceù puppis velo, venientes accipit auras:
Et canum lento fugiens trahit æquore sulcum.
Pro curvo temone pedes demittit, & illis
Sese per fluctus, cursumque ratemque gubernat.
Sed pacata silet cum Doris, & Æolus antro
Frænat in Æolio ventos, tunc crure remisso.
Hinc illinc gemino, ceù remis dividit undas.
Estque sibi navis, vectorque, idemque Magister.
Verùm ubi jam scopulis assultat crebrius unda
Rauca sonans, sensimque Notis perflata tumescunt
Marmora, confestim demittit tenuia vela,
Colligit & funes intus, clavumque reponit,
Et gravis epota reddit se Doride fundo.
Ceu ratis in portum se, dum collisa reclamant
Saxa vadis, cœlique tonat domus alta, reducit.
Hinc ego crediderim, nec me sententia fallit,
Qui primus secto compegit robore puppes
(Sive aliquis fuerit Deus ille, & credere par est,
Seù mortalis homo, vastum tranare profundum
Ausus, & ignotis commercia jungere terris)
Accepisse modum formandæ navis, & artem
Tollere quà malos, linumque expandere Coris,
Quaque gubernaclo potuisset flectere cursus.
Nam primùm è cœlo Divorùm munere puppim
In medium cecidisse salum, ventisque secundis
Insuetum sulcasse, viris mirantibus, æquor:
Inque novam gentes artem, atque inventa vocasse,
Aut veteres Graii, vel confixere Poetæ.
Quandoquidem fuevere Dii mortalibus artes
Bruta per, & casus, ipsosque aperire per usus.
At mirum, quod fama canit de Labrace: summa
Egelidum quoniam tenet in cervice lapillum,
Atque Hyemem patitur duram, frigusque malignum,
Ut formosa dies sub lumine rsit aprico,
In Solem caput obvertit, frigusque tepore

Mirum Nautili ingenium.

Ut velo secundis auris naviget.

At remis tranquillo mari.

E Nautilo navigandi artem primi didicerunt.

Mitigat; at penitus, fuerint si nubila, condit
Sese subter humum, Brumamque evitat iniquam,
Ut Passer, Soleæque, Scarique, Umbræque fugaces,
Mænæque, doctusque pati jejunia (1) Nestis,
Et Coraces unà nigri, &, rude vulgus, Aselli:
Et quotquot, riget atra quibus sub vertice gemma.

Anguillæ sibi à Sole, Austroque cavent, frigus verò amant.

At contra radios Anguillæ odere corusci
Solis, & interdum nimio periere calore:
Et pereunt Austro perflatæ: at frigore vitam
Dulcè fovent placido cum sternitur æquore Tethys,
Aspirantque leves Zephyri, induntque loquaci
Murmure, tum tenues auras è gurgite perflant:
Et super apparent ferventes marmore bullæ.
Quo puer indicio deprendes lubrica subter
Agmina cœnosis stabulari in fluctibus. At quæ

Centipedarum, & Vulpis ars mira, qua hamum expuunt.

Centipedæ (2) faciunt vafræ, quæ callida Vulpes,
Mira quidem, sed vera: truci confringere morsu
Ut fetas potuere, hamumque hausere tenacem,
Intestina vomunt imo de viscere, durum
Quo ferrum sine cæde spuant: votisque potitæ,
Confestim patulis sua faucibus exta resorbent.
Idcircò bifidus cudatur longior uncus,
Ut fera non uno pereat cruciata dolore:
Nec potis hærentem penitus pulsare sagittam.

Umbra stultitia. *Oppianus.*

Perge, puer: nec te dementia nobilis Umbræ
Fallat: ut attenta primum bibit aure fragorem,
Præsentitque virum, aut fatalia conspicit arma,
Actutum fugit in scopulos, vel scrupea saxa;
Et caput ignavum latebris insana recondit,
Aut subter frutices, vel densas abdit in algas:
Perfugiumque putat certum tenuisse: nec ultra
Piscantis timet arma: cavo quia murice credit
Se penitus totam, glaucisque latere sub algis.
Qualis ut immanem properare à fronte Leonem
Sylvestris vidit bos eminus; inter opaca
Lustra caput fugiens, vel cæcas occulit umbras.
Sic tectà cervice, putat celarier omne
Corpus, & incursum fulvi vitare Leonis.
Intereà nemorum rex advolat: inque patentem

Irrum-

(1) Mugil: sic dictus, quia semper jejuno est ventre.

(2) Scolopendræ, sic dictæ à multitudine pedum, qui verò pedes vocantur, sunt appendices, quibus tanquam remis corpus impellunt, Nostratibus *Centopiede*.

Irrumpit caudam, laceratque immanior ungue.
Sic pariter sola scopulis cervice latentem
Vel palma, puer, accipies è caute Sciænam.
Sic stolidus capitur Strutio, sic Phasidis ales,
Dum sepes inter caput, atque arbusta reponunt.
Ast inimica Sudis si retia forte subivit,
Undique lethiferum percurrit sedula cassem: Sudis solertia.
Si quà per maculas via latior, inspicit, & quà
Ruptus hiat cassis: visoque, fugacia dorsa
Intrudens vi per maculas evadit in æquor.
Quam sociæ retrò mox, quà via facta, sequuntur.
Non aliter fati sortem Muræna repellit; Item Murænæ.
Angustos adigens per textus lubrica terga,
Serpentum in morem prolabitur: haud secus atro
Ipse fugam molitur Acus de carcere, cum se
Inclusum vidit. Verùm quisnam ille supinus
Lina secat radio, fixumque intercipit hamum? Et Acus, quæ maculis dilabuntur, *idem author*.
Anthias, haud fallor qui quantum possit acutâ,
Quæ surgit dorso, spina, non immemor, illam
Cum cadit in ferrum, obverso de corpore tollit,
Et gladio veluti filum præcidit equinum:
Evaditque alacer. Nonnunquam litore in ipso Anthias lineam, & lina rumpit.
Captivus fertur lacrymis deposcere vitam.
Interdum velut infames si forte latrones
Prospexit, retro confestim tuta viator *Plinius*.
In loca contendit fugiens: sic retibus ille
Inclusum molitur iter, saltuque frequenti
Insultat maculis, & lina tenacia rumpit.
Nec te multa, puer, teneat fiducia, lætas
Viscere Murænas dum perscrutaris opimo:
Maxima namque illis audacia, sæpè cruentis
Piscantes furiosa petit, ceditque sagittis: Murænę audacia & vis.
Eque rati trahit in fluctus, mergitque profundo.
Magna quidem, sed magna feram facit ira potentem.
Nonnunquam setas densato plurima dente
Dissecat, & fraudem reddit piscantis inanem.
At licet illa ferox, poterit mitescere cultu,
Et cicur humanis palpari molliter ulnis, Ut cicur reddatur. *Macrobius*.
Nec non & domini voces audire vocantis.
Talem Roma virùm domitrix, domitrixque ferarum
Est olim mirata, suas cui Crassus inaures
Dicitur insignes gemma imposuisse superbus.
Illa Palatini, quò consulis ore vocata,
Ocyor ad nutum veniebat, seque teneri,
Palparique manu domini mansueta sinebat.

Usque adeò cicures per lenia sæpè feroces
Redduntur, cultuque feræ mitescere discunt.
Congri cicures. Tales Jonia Congros (1) Epidamnus in unda
Dives alit, doctæ surgit quà sacra Minervæ
Insula: piscantes ludunt ubi litore Congris,
Grataque sufficiunt alimenta: vicesque rependunt
Officii contrà memores, piscosa trahentes
Innumeros ponti populos ad retia Congri.
Ipsi etiam dociles perhibentur (2) Eloride lympha,
Equè Lupi manibus piscantum sumere prædam.
Qualiter obscuris circum Mæotida lucis
Terrestres suevere Lupi, qui gurgitis alti
E Scythicis prædam venantibus ore reposcunt.
Retia contra ipsi vigiles in litore servant.
Lupi terrestres circa Meotin cicures. Si renuant de more Scythæ, tum protinus omne
Fœdus amicitiæ rumpunt, extensaque Soli
Dyctia dilacerant: lacerisque, umbrosa revisunt
Lustra levi cursu, sylvisque abduntur opacis.
Singula sed cantu dum prosequor, æstus, & ipse
Implexus per opaca labor succedere ripis,
Et placidum hortatur frigus captare sub umbra,
Doris ubi rauco subsultans murmure plaudit,
Et nivei plaudunt (3) Delphines, lubrica propter
Litora lascivo jactantes corpora saltu:
Et variis circum pingentes Tethya formis.
Huc age, CARDENIDE, mecum descende sub undas
Delphinum choreas inter, jactusque petulcos:
Quandoquidem tanti lusus te Principe digni.
Et licet æquoreis paulùm indulgere choreis,
Dum Sol jam prono descendit vertice curru
Mitior, & læti surgunt à Vespere venti
Forsan, festivo cui saltu, & murmure plaudant,
Alter eris curvos inter Delphinas Arion.
Aprici quondam per (4) Cænyos alta phaselo
Er-

(1) *Durazzo.* (2) Fluvius Siciliæ *Acellaro*, in valle Neætina, *Val di Noto*. (3) Notissimus inter cæte. Italis *Delfino*, Nostris *la Fera*, Siculis, & Calabris *Tommariello*, Hisp. *el Delphin de la mar*, Gallis *Dauphin*, *Oyede de mer*, quasi Anser marinus, ab Oceani incolis *Mursovin*, & *Mersovin*, quasi sus maris, sic & Angli, & Armorici *Morbuch*, Barbaræ gentes variis nominibus suem significantibus vocant: pinguissimum enim animal est. (4) Calabriæ promontorium *Capo della Volpe*. Vide IV. Naut.

Errabam, focii Licydas, flavusque Lycormas,
Alter ab Euboicis, Siculis è finibus alter
Venerat: infignis cantu, cytharaque Lycormas,
At lepidas cantu Lycidas fociare choreas.
Cùm celeri video properare fub herbida curfu
Litora Delphinas, longèque fonare natatu,
Ac totum vitreo confpergi Nerea rore.
Ut puppim propius venere, examine bino
Hinc, inde effufi, circum fparguntur, & udos
Incipiunt hilares crifpata per æquora ludos.
Nunc agiles per fumma levi nant cærula curfu,
Ad numerum bifidis pulfantes marmora caudis;
Alternis quò pulfa modis fonet unda canorum,
Nunc vero prona fubeunt cervice Profundum:
Eque imo actutum redeuntes gurgite, jactu
Summa citi repetunt, ipfoque fub aëre pendent.
At modo per vitreos molli curvamine campos
Incedunt, faltuque brevi, faliuntque, ruuntque.
Sed nunc implexi per mutua Dorida currunt
Per gyros varios, obliquatosque natatus:
Infultantque vadis, innectuntque orbibus orbes:
Et labyrintheis erroribus æquora pingunt.
Corpore mox toto erecti vibrantur, & ipfam
Tranfiliunt faltu cymbam, & cervice reflexa
Nos, proh mirus amor! qua poffunt voce falutant:
Feftaque lætitiæ nutu dant figna loquaci.
Atque iterum è tremula vario difcrimine cymba
Spectantur longè duci, rurfumque reduci,
Inque fugas omnes, & in omnes ire figuras.
Ut cum Pieridum fedes crinitus Apollo
Invifit, toto confurgunt agmine Mufæ,
Carmina feftivis jungentes læta choreis,
Et circumfufæ Numen, plaufuque coronant:
Virgineosque choros iterant, luduntque per agros.
Tunc ego fic fufco Licydæ, flavoque Lycormæ:
En quæ formofi nobis fpectacula pifces
Exhibuere, vago librantes corpora jactu,
Inque chori fpeciem tremulis plaufere choreis,
Circum cærula fpargentes Najade cymbam.
Spondeo, læva finant modo Numina, & auctor Apollo,
Parthenio dignas acturum carmine grates.
Hæc olim: nunc tempus amica rependere verfu
Obfequia: & noftræ fuerit quodcumque Camœnæ
Actiades meditantur opus: Delphines habebunt
Partem opere in noftro, femperque ea gratia facti,

Mirus Delphinorum lufus, ejufque defcriptio.

Par-

Partheniis detur Musis modo vita, manebit.

Delphini descriptio.

Delphinos inter vitreas lusure per undas
Disce, puer, sacris species quæ piscibus, & qui
Sint mores, geniusque. Ollis micat ardua cervix,
Augustumque caput, magnoque nitentia gyro
Lumina, per quæ consurgens, juxtaque cerebrum
Epotos pelago reddit cava fistula fluctus,
Vitalesque unà revomit, quas ebibit auras.
Longior oris hiat scissura, rigentque sub ipso
Serrati dentes, & acuti: simaque rostra.
Mobilis atque brevis lingua est, latique patescunt
Rictus: at geminæ presso curvamine spinæ
Stant alvo, quibus alta secat: stat & altera dorso,
Desinit inque duas falcata novissima cauda:
Qualis dividuo sinuatur lumine Luna:
Est subcæruleus dorso color, inque reflexa
Cervice, at subtus tenera sublucidus alvo est.

Quibus in locis generetur.

Non tantum Euxino, & gelida Meotide Delphin
Labitur: Ægæi pariter volat æquora juxta,
Partheniosque (1) sinus, Tyrrhenaque salsa superbus
Obsidet, Joniique vorat vada fervida, & omnem
Inclusum mediis populatur Nerea terris.
Quin etiam adverso magni Delphines in Orbe
Ethiopum spumosa secant freta, perque tumentes
Oceani campos latè dominantur: & illi
Membra sui similes, queis multo fervidus æstu
Intima perpetuò refluit per viscera sanguis.

Oceani Delphines, & ut illos Galli cædunt. *Tachardus*.

Hos, qui purpuream Auroræ Titanidis oram
Trans Libyam, Atlantea petunt per cærula Galli,
Alato figunt jaculo, mirabile visu.
Robustus spondæ insistit venator, ab alto
Utque propinquantem celeri Delphina natatu
Prospectat, manibus confestim missile ferrum
Intorquet, certoque volantem corripit ictu,
Interdum tanta jaculum vi fertur, ut omne
Ærata corpus transjectum cuspide rumpat,
At mihi laudandi numquam, qui prælia sacris
Piscibus intendunt, & iniquo funere plectunt.
Idcirco immanes oderunt Numina Thraces,
Impii quod sociis ferrent Delphinibus arma.
Tu cave, piscator Tyrrhene, lacessere bello

Del-

(1) Vide quæ adnotavimus Ill. Naut. de Virginio mari, quod & Parthenium Græcis dictum est.

Delphinas, dextramque sacro temerare cruore.
In reliquos fer bella greges: servatus amico
Fœdere, perpetuò ludat Delphinus in unda.
Illius & mores jam nunc dicamus. Aquosos
Per campos cursu celer, & pernicibus alis
Antevolat pisces, volucresque citissimus omnes.
Non sic cornipedes effusi carcere Iberi
Addunt se in spatia, & laxis agitantur habenis,
Ut freta corripiunt Delphines, & ocyus ipsos
Alato superant volitantes flamine ventos.

Mira Delphini celeritas.

Præterea, stimulante fame, cum præpete pisces
Sectantur cursu fugientes usque profundum,
Et cito vitales affectat anhelitus auras,
Ex arcu velut excussi, se rursus in altum
Emittunt, telo velociùs: inque suprema
Interdum sese jactu carchesia vibrant,
Cum propè turritas consurrexere carinas.

Ex arcu veluti excussi in altum exiliunt. *Arist.* & *Ælianus*.

Sæpè etiam prædis inhians, dum lubrica ponti
Agmina persequitur, tanto ruit impete Delphin,
Ut cœptos nequeat cursus inhibere: sed ipsa
Sponte sua in scopulos cervice allisus acutos
Frangitur, aut siccis hæret moriturus arenis.

Sæpè ad litus alliduntur.

Insuper his, mirum rex Juppiter indidit illis
Ingenium; vasti spumantia marmora Nerei
Instructa legione terunt: ceu magnus aperto
Incedit campo, paribusque exercitus alis
Signa movet, bellum jamjam laturus in hostem.
Imberbes primo pueri stant ordine: retro
Æquatis spatiis florenti ætate juventus
Insequitur, certis sua per discrimina signis,
Divisa in strictos cuneos, inque agmina quadra.
In medio veluti lixarum ignobile vulgus,
Fœmineæ properant numeroso examine turmæ.
Imbelles post inde choros, extrema tenentes
Agmina, succedunt grandæva ætate parentes:
Hique duces nutu incessus moderantur aquosos.
In dextram nunc castra movent: nunc ire sinistra
Præcipiunt: recto nunc latos ordine campos,
Nunc verò obliquo malunt proscindere sulco.
Nunc scopulos, nunc saxa, recurvaque litora vitant.
Hos cuneo densari, illos in cornua flecti:
Inque latus alios, alios succedere primam
In frontem, geminamque jubet hos ire sub alam.
Omnibus una tamen cura est, salis æquora junctis
Ordinibus, strictimque acie sulcare quadrata,

Ut quadrata acie, miroque ordine natent, iidem Auth.

Acrius

Acrius ut pugnent ſociatis agmina ſignis.
Non ſic ipſe Argiva Gerenius agmina Neſtor
Inſtrueret, Phrygiis dum miſcent prælia campis
Argolica cum pube duces Menelaus, & Ajax:
Nec (1) Pyrrhus fama notiſſimus, omnis in arma
Litus ad Oebalium, Calabrùmque Epirus ad oras
Dum coit, auxilium ſocio latura Phalanto.

Matrum ſolertia in tuendis catulis, *Oppianus.*

Eſt & mirus amor prolis, ſervantque, foventque
Solicitæ matres gnatorum corpora, & illos
Faucibus interdum accipiunt, tutòque reponunt,
Cum timor eſt Amias properare in bella, feraſque
Infeſtas teneris Delphinibus, aut citus inſtat
Thrax venator ubi, ſtridetque volatile ferrum,
Verùm, proh miram pietatem! fixus ab ære
Natorum è geminis ſi fors fuet alter; iniquum
Tunc miſeranda parens venantem pone ſequetur;
Et mæſtis natum lachrymis, precibusque repoſcet.
Interea leni ſervatum verbere caudæ
Impellit retrò ſtudioſa, arcetque periclo.
Ipſi ſed matrem ſectantur, & ubera circum
Diffundunt ſeſe catuli, ſtipantque frequentes.
A fido veluti numquam paſtore bidentes

Juniorum in Parentes pietas. *Joann. Tzettes.*

Diſcedunt, ſylvas quanquam, ſaltusque peragrent.
Longævos ſumma nati pietate parentes,
Ut jam majores creverunt corpore, & armis,
Soliciti contra curant, denſique tuentur,
Atque ſenum victu invigilant, eſcamque miniſtrant.
Quin etiam tardo quoniam fræta cærula greſſu
Proſcindunt ætate graves, urgere natatus
Ipſa ſui pubes adniſu corporis ardet.

Amore in ſuos flagrant, & ut tueantur.

Eſt quoque ſancta fides thalami: pro conjuge certant
Acrius, & vitam poſuerunt ſæpè volentes.
Nec minor eſt generis ſervandi gloria, ſi quem
Fortè vident jaculo confoſſum ad litora duci,
Confeſtim celeres irrumpunt agmine denſo,
Cumque viris adſtant bello certare parati,
Ni ſocium reddant captivum, undiſque remittant.
Agglomerant & ſe cymbas, & litora propter,
Ac bifida ſcindunt cauda ſalis æquor, & ipſos
Attollunt fluctus, trepidosque immergere lintres,
Eque viris meritas nituntur ſumere pœnas.

At

---

(1) Epiri Rex, qui primus acies inſtruxit, atque inter primos duces ab Annibale poſitus.

At ſi victores ſocium tenuere receptum,
Feſtivum læti redeunt Pæana canentes:
Incolumique unà plauſu gratantur ovanti.
Quin & divini ſortiti ſyderis auram, Mortem præſagiunt, *Oppianus.*
Extremum præſcire diem perhibentur: in actam
Quo ſeſe patriam morituri tempore vectant:
Scilicet ut tumulo corpus mandetur avito.
Non ſecus ac Nabathæus, & ut Mæandrius ales
Fatorum gnari faciunt divinitus: amnem
Hic vitreum propter recinit moriturus: & ille
Aſſyria de fruge pyram ſibi ponit odoram.
Interdum, fama eſt, ſpumoſo è gurgite viſos Mortuos ſepeliunt. *Ælianus.*
Sublata in ſiccum deferre cadavera litus.
Non etenim patiuntur aquis inhumata marinis
Stare diu, prædam vel monſtris ire nefandis.
Viſa & cæruleum circum gens tota feretrum
Flebilibus innare modis, & ritè ſupremum,
Magna quidem pietas! caſſo perſolvere honorem.
At non iſta tibi debent miranda videri;
Nam celeri quondam Delphines Dorida cymba
Sulcabant nautæ, Tyrrheni nomine dicti.
Qui cum trajicerent in Naxia litora Bacchum
Argento ditem, gemmisque, cupidine prædæ
Correpti, è viridi curſum deflectere Naxo,
Atque aliò taciti puppim torquere parabant.
At cùm divino ſenſiſſet numine fraudem
Tyrrhenùm Liber, ſocios cantare, fidesque
Aurato juſſit plectro pulſare canoras.
Tunc nautæ mira cantus dulcedine capti,
In ſaltum exiliere, levesque agitare choreas
Bacchanti ſimiles cœperunt: lætaque miris
Dum jactare modis affectant corpora, ponto
Immemores ſeſe mittunt: ſed Liber ovantes
Delphinas dedit eſſe, marique innare profundo,
Et liquidos celebrare choros, luſusque per undas.
At verò ut facti ſemper monimenta manerent,
Unum cæruleis è fluctibus intulit aſtris,
Et magni (1) volucrem Jovis inter, Equumque locavit.
Idcircò noſtro quoniam de ſanguine creti
Ingenuos ardent pueros Delphines, & udis Amici hominum, & pueros amant.
Accipiunt humeris, & per vada vitrea portant.

(1) Eſt enim ſyderius Delphin juxta lacteum orbem ſitus inter Aquilam, & Pegaſum.

Egregio fuit ore puer, sed paupere tecto
Bajano è Licyda satus, & Lucrinide Nympha:
Hic patrii quondam Lucrini marmora juxtà
Dum ludit, nitidasque legit de gurgite testas:
Fortè Dicarchæa veniens Delphinus ab ora
Formosum vultu puerum conspexit ovanti,
Atque coloratas versantem litore conchas,
Ut vidit, nimio pueri correptus amore est,
Ergo cæruleis blandiri cæpit amanti
Saltibus, & tacitis testari nutibus ignem.
At puer insuetum non dedignatus amantem,
Edomitam saxo Cererem, quam fortè ferebat,
Delphino tradit, fœdusque hoc munere sancit.
Blandus & ore vocans, Simonem nomine dicit.
Nomine Delphinus quo cùm foret inde vocatus,
Ilicet Oceano veniebat ab usque profundo.
Ausus & hinc puer est niveo considere dorso
Delphini, & latè tremulas equitare per undas.
Non invitus onus dorso accipiebat amicum,
(Esse tamen quis onus dilectum dicat amanti?)
Et tendebat iter spumosa per æquora Delphin,
Quà frænum insidens humeris auriga dedisset.
Sic puerum Bajis vectabat ad usque Dicarchum:
Palladium puer in ludum quò sæpè solebat
Ire rubescentes cum jam temone jugales
Egerat elato Titan, cœloque ruebat.
Inde Dicarchæo, currus cum flexerat aureos,
Acceptum Bajas de litore vector agebat.
Qualiter in Taurum conversus Juppiter ibat
Parthenios ultrà fluctus, dorsoque ferebat
Europam lætus, Dictæaque regna petebat.
Sic & Thelemachum genus armipotentis Ulyssei
Delphinus Fato eripuit, tergoque receptum
E pelago patriis servatum reddidit oris:
Nam propè Dulichias dum ludit parvulus undas,
Qua rapidum mare vorticibus, ventoque fremebat,
Sublapsus puer, & refluo citò mersus in alto est:
Quique dolo fuerat vectorum ejectus in æquor,
Tænaron invexit Delphinus Ariona, cantu
Accitus vitreis è fluctibus: inque choreas
Dum salit Oceani gens lubrica, tergora Delphin
Supponit blandè numeris, nervoque canenti.

Ulyssis filium Delphinus servavit. *Plutarchus.*

Item Arionem, *Herodotus.*

Mira Dicharchæo sed de Delphine feruntur;
Scilicet in dorsum puer ut saliebat, acutam
Vagina veluti spinam condebat, amicum

Ne

Ne fortè indigno laceraſſet vulnere corpus.
Italia latè ex omni, dominaque ruebant
Urbe viri, & matrum primæ, mixtimque juventus,
Litus in Euboicum, placidas Delphina per undas
Viſuri puerum vectantem, ipſumque equitantem,
Qua vellet mare per latum dare lora natanti.
Mira quidem, fateor, rerum miracula canto:
At ſi vera, Deos, ipſumque obteſtor Amorem.
At miſer inſueto periit Delphinus ab igne:
Namque puer Cœli (1) vitio correptus, in ipſo
Flore juventutis Fato ſublatus acerbo eſt.
Illum omnes Prochytæque Deæ, Inarimæque puellæ
Fleverunt, actæque Deæ, pelagiquè puellæ,
Neſisque, Euplæeque, & (2) Olympia Mergilline.
Ut tempeſtivo de caudice cum rutilus flos
Erupit, ſubitòque gelu contactus acuto
Decolor expallet foliis moriturus, & illum
Flent mæſtæ Dryades, flent numina fontis amici.
Naïades, raucoque piger flet murmure rivus:
Quæque rigens Cœli florem demeſſuit aura.
At verò in litus conſueto tempore Delphin
Ut venit, puerumque diu expectaſſet: ubi illum
Nuſquam apparentem circumſpicit, ictus ab acri
Igne eſt, & toto confeſtim expalluit ore.
Utque ſibi Fatis ereptum ſenſit amantem,
Protinus in lacrymas, & cæruleos ululatus
Solvitur, & mæſtis latè freta quæſtibus implet.
Hinc lucis pertæſus aquis egreſſus in actam
Inſilit infelix, animamque in litore ponit.
Qualis arundineis Alcædo mæſta ſub umbris
Amiſſi flet Fata viri; quem ſæva procella
Eripuit, raptumque mari diſperſit: at illa
Cum cava nequicquam pulſaſſet litora quæſtu,
Dat ſeſe in fluctus moritura, virumque requirit.
At nos æquoreo, è ludo, plauſuque canoro
Atque præoptata ſcopuli pendentis ab umbra,
Spumoſis tractanda vocant fera prælia campis.

Delphinus puero mortuo præ mœrore occumbit.

(1) Sunt qui narrent puerum à Delphino caſu ſpina tranſverberatum. Oppianus verò aliam de Lesbio puero texit hiſtoriam: aliam item Ælianus de Iaſenſi puero refert, quam tamen aliter Egeſidemus apud Plinium narrat.

(2) Ab ora Olympia (*Chiaja*) de qua conſule Piſcatoria noſtra. Ecl. 1.



HALIEUTICORUM
LIBER TERTIUS.

SED jam bella vadis agitata, astusque natantum
Sunt dicenda: mihi vos ò quæcumque beati
Aurea Crateris sulcatis cærula, Nymphæ,
Ferte animos, placidæque auris spirate secundis:
Vos & præsentes, Acheloides, ore favete,
Et vos Actiades, sacrumque intendite cantum,
Si patriæ Telluris amor, si gloria tangit,
Si vestros, Divæ, pro more fovetis alumnos.
Ignipotens, cui cuncta, Deus, sociare potenti
Fœdere permissum, pacemque inducere Mundo;
Ille etiam fera bella movet, nexusque resolvit.
Idem pacis Amor, bellique asperrimus author:
Quaque sacra jungit vi pectora, dividit illa.
Nonne vides, mixtimque homines, volucresque, ferasque
Pro natis, victuque, & pulchræ lucis amore,
Armaque prærepta pro conjuge sæpè ciere?
Non secus & pisces Fato versantur eodem.
Ille studens victu, vitæque, Penatibus alter,
Hic dulci pro luce, suo hic pro pignore, & ille
Pro thalami nexu, charæque cupidine prolis,
Una omnes sese telis, astuque lacessunt:
Inque neces adigunt: quæ jam feralia bella
Ordiar. Undosum primus descendit in æquor
Invisus Polypo Dentex, qui robore major
Bellum fert Polypo, & terrorem dentibus infert;
Ille lacessitus cursu se proripit, & se
Occulit in latebris scopulorum, & caute reposta,

Amor pacis idem, & belli author.

Pugna Denticis cum Polypo. *Albertus*.

At

At vafer in folitos tum Dentex confugit aftus:
Se fimilem caffo fimulat, fluitatque per undas
Incertùm: Polypus fpoliatum lumine credit,
Educitque fpecu, prædam comprendere, cirros.
Ilicet ore manum tenet ille, & victor ab udo
Educit faxo captum: ceù callida vulpes
Decipit ignaras, Fatum mentita, volucres.

Non ærumna manet Polypum minor, horrida quando
Bella movet Murœna. Cavo de pumice in auras
Cùm prodit Polypus, efcamque inquirit amicam,
Tunc tacito, celerique volat Murœna flagello,
Læta fuper præda, bellumque agitare parata.
Ille fed ut propius venientem confpicit hoftem,
Mandat terga fugæ: fed tardo marmora curfu
Sulcantem lapfu infequitur Murœna citato:
Cogit & invitum morfu pugnare feroci.
Ille coactus init certamina, longaque jactat
Brachia multiplici gyro, voluitque, plicatque
Hàc illàc, fi fortè trucem depellere peftem
Detur, & elapfum tuto fe reddere faxo.
Incaffum tamen infelix, nam lubrica ferpens
Membra per, & chelas Murœna relabitur: ille
Contrà nunc caudam, nunc tergora, duraque prendit
Colla, per atque ipfum nunc os irrumpit apertum,
Ac veluti multa defeffi membra palæftra,
Vix luctatores undantia brachia jactant:
Non aliter Polypus chelas defeffus inanes
Vix movet: & victus tandem fe fubiicit hofti.
Continuò prædam radiis difcindit acutis
Murœna, & totum difpergit gurgite corpus.

Murænæ cum eodem mirabilis lucta. *Oppianus*.

Non fecus in vitreo debellant æquore Congri
Ignavas Polyporum acies, & funere plectunt.

At non fucceffu pugnat Murœna fecundo,
Cruftatæ intendunt olli cùm bella Locuftæ.
Cervicem de caute trucem ferus Aftacus udà
Exerit, & geminis irritat cornibus hoftem.
Hæc odio irritata ruit, morfuque feroci
Impetit: at duro collifi cortice dentes
E rigido veluti faxo, ferroque retufi
Exiliunt, hebetesque magis redduntur ab ictu.
Colla fed illa fuis apprendit mollia chelis,
Forcipibus velut æratis, ftringitque, fecatque,
Quo tandem effufo reddat cum fanguine vitam.
Infelix fic ipfe perit pugnante Locufta,
Cancer, & aftrictis invifit faucibus Orcum.

Muræna infeliciter pugnat cum Locufta, *Idem Auctor*.

At-

Polypus Locustam expugnat. *Plutarchus.*

Attamen id mirum est, armatam forcipe dura,
Et dura pariter testa, celeremque Locustam
Osmylus (1) expugnat victor: licet ille per undas
Tardus eat, teneroque incingat corpus amictu.
Muscosa scopuli Polypus in sede morantem
Desuper invadit tacitus, pronusque Locustæ
Incubit dorso, circumque tenacia collum
Vincla jacit subitus, faucesque astringit hiulcas:
Atque aditum vitæ simul occupat: illa dolore
Actutùm furit icta, manusque, & corpora quassat:
Et roseam in scopulos allidit plurima caudam.
Nunc tandem defessa silet, vix palpitat: & jam
Exanimata jacet: tamen ille tenacius arctat
Vincula, candentesque artus, & mollia suctu
Guttatim membra educit: velut ore tenaci
Lac pleno pueri nutricis ab ubere sugunt.
Indidit idcircò magnum Natura timorem:

Ingens Locustæ de Polypo timor.

Et viso tantum Polypo periisse Locustam
Nonnunquam, fama est. Pinnis sed callidus astu
Dissimiles struit insidias, cum sæva latratus
Accendit, stimulumque fames irritat edendi.

Polypi astus, quo Pinnas depopulatur. *Oppianus.*

Namque ubi Perna fores reseravit, ut ætheris auram
Ebibat, & dulcem (2) villis sibi colligat escam;
Et custos ignarus abest, tunc ilicet ille
Apprensum chelis saxum demittit hiantem
Desuper in Pinnam: gremio quo Perna recepto;
Haud potis extemplo patulas occludere valvas.
Advolat ille, citusque fores irrumpit apertas:
Ignaramque doli Pinnam, & nil tale timentem
Expoliat, prædaque rapax lætatur opima.
Quid non dira fames, hominesque docebit egestas,
Si ingenium dedit & brutis, artemque nocendi?
Non secus insidias molitur, callidus arce
Interdum ut miles potiatur: ubi rediens Sol
Luce aperit Cœlum & montes tegit aureus altos,
Clausaque cum primùm panduntur mœnia, onustos
Præmittit palea currus, conditque sub illa
Armatum ferro peditem: vix limina currus

Tar-

(1) Polypus, sic dictus ab odore: vocatur etiam Bolitæna, & Ozæna. (2) Villis enim purgamenta maris, fæcesque, quibus nutritur, haurit: hi verò villi sunt, ex quibus byssum Tarentini texunt: laudatissimæ Chirothecæ, & velamina, quibus se puellæ amiciunt.

Tardigradis tenuere rotis, auriga repentè
Sistit equos, casum mentitus: quique latebant
Districto mucrone ruunt, & murmure facto
Dant sociis signum: mora nulla è valle reposta
Protinus occurrunt illi, portasque patentes,
Quas interposito subiti concludere curru,
Haud cives potuere, tenent, densaque caterva
Irrumpunt, captaque dolo dominantur in arce.
Ergo ne ignaræ paterentur talia Pinnæ,
Custodem Natura dedit, qui pervigil ipsas
Excubat ante fores: & cùm properare natando
Aspectat Polypum Cancer (qui cautus opimi
Visceris, & byssi custos manet, inque corusca
Adnatus Perna est) dat signum: comprimit illa
Continuò testas, astusque eludit inanes.

Pinnæ custos Squilla.

Hac etiam Polypus depascitur Ostrea fraude:
Callidus & Cancer. Pugnant sed viribus æquis
Murænæ, Congrique. Dicharchi ad litora quondam
Murænam memini Congro vidisse duello
Certantem Marte ancipiti: sed lubrica tandem,
Non impunè tamen Congrum vertisse ferocem
Terga cruentatum plagis, namque ille vicissim
Murænæ rabido caudam præciderat ore.

Murænæ cum Congro anceps pugna. *Perottus*.

Seque olim caudam Cephalo vidisse Lycotam
Ore Lupum rapido secuisse, virentia propter
Litora cùm mediis nassam demitteret undis,
Jam memini dixisse, mihi dum bella natantum,
Et morem varium, & versutos diceret astus.

Mugilem superat lupus. *Perottus*.

Attamen infelix cæso de Mugile victor
Exili Lupus à Squilla nece plectitur atra.
Scilicet imbelli nonnunquam Fata potentes
Dejecere manu, & collum fregere superbum.
Ergò ubi inexpleto ruit ore, cupidine prædæ
Incensus, Squillasque petit, quas ille voraci
Ventre, fameque inhiat, comprensæ protinus illæ,
Quod capiti assurgit rostrum, ceù serra, recurvum
Inflectunt, gyroque leves saliuntque, ruuntque
In pugnas alacri nisu: mox viribus haustas
Comprendit dulci gavisus munere Labrax.
Squilla levi primùm prælato in gutture saltu
Subsilit: hinc cornu venantem figit acuto:
Victaque victorem transverberat: ille voracis
Ingluviem ventris saturat: nec vulnera quidquam
Sentit hians: prædæ tanta est innata cupido.
Sed cum diffuso tumuerunt sanguine fauces,

At neci à Squillis deditur. *Ælianus*.

Et

Et creber ſtimulo miſerum dolor urit acerbo,
Cum præda occumbit fato venator eodem.

Quo æſtu Ziphiæ Balænam vitent. Ælianus.

Sint longo quanquam Ziphiæ mucrone potentes,
Balænam trepidi metuunt, nec cominus audent
Ire hoſtem contra, ſortemque expendere belli:
Sed tantum vitare dolo conantur: in imis
Obverſa gladium defigunt cuſpide arenis:
Immotique manent: nec quam ſint enſe valentes
Proſpiciunt, ſtolidasque tenet dementia mentes.
Uſque adeò nihil æra, ſonoraque fulmina proſunt;
Ni fortes pariterque animi, pectusque virile
Accedant, tenui caligans lumine truncos
Hos rata cæruleos Balæna impunè relinquit.

Et ut à Mænis torquentur.

At multa in Gladios accenſæ (1) Mænides ira
Approperant, teneram morſu diſcindere pellem,
Et qui monſtra maris vitaverat horrida, Cete,
Infelix perit, exiguo data victima piſci.

Audaces in Thynnos arma movent.

Attamen audaces velocibus aſpera Thynnis
Bella movent, telisque petunt fulgentibus hoſtes,
Auſoniæ relegunt dum litora, perque ſonantes
Trinacriæ fluctus, Sardoaque cærula currunt.
Idcircò, mentem quando Natura ſagacem
Indidit, ordinibus denſis, acieque quadrata
Spumantem celeres Orcyni Nerea findunt.
Sic & ſolivagum ſpectant ſi gurgite ab alto
In pugnam rigida Gladium properare ſecuri,
Confiſi numero venientem cominus hoſtem
Excipiunt: illi ſociis in bella vocatis,
Caſtra movent: pavidi contra dant terga, ruuntque
In diverſa, vagique natant toto æquore Thynni.
Inſtat terga premens Gladiorum exercitus omnis,
Euxinumque fugat reſecutus ad uſque profundum.
Non ſecus è vaſto Tritonas (2) Atlante fugaces
In clauſam Ziphiæ victores Dorida pellunt
Per Calpes, Abylæque fretum: diverſa ruentes
In loca diffugiunt illi, pars litus Iberum
Una tenet læva, Libyam premit altera dextra.
Incandent vada pulſa, furit clangoribus aër

Con-

(1) Eædem quæ Mænæ, quibus ſimiles ſunt Membrades, quas etiam Galli vocant *Celerins*, nobis haud dubio ſunt *Spigari* ſec. generis. (2) Ferunt ingentem Gladiorum copiam eſſe in Atlantico Oceano, ex quo nonnunquam per Herculeum fretum irrumpunt.

Concuffus, fcopulique, & circum litora plangunt.
Non minus invifi Thynnis Delphines, & omnis
Vis violenta Canum, Galeique, horrendaque Cete:
Hos contra veniunt animofius, & fera Thynni
Mifcent bella, odiisque acuunt ferventibus iram.
Verùm Pelamydes perdunt impunè feroces
Delphini, & toto fugientes æquore turbant.
Vidi ego Scyllæa non longè à rupe, canoro
Flumine quà falfas defcendit (1) Cænys ad undas,
Trinacrium contra litus, viridemque Pelorum,
Plurima Pelamydum velocibus agmina pinnis
Delphinas fugere, & Delphines præpete curfu
Ponè fequi: toto fervebat gurgite Nereus.
At quoniam pelago refluente, æftuque feruntur,
In procurva ruunt inviti litora, ubi omnis
Stat manus agreftum raptis ftipata fub armis,
Quos magno puer accivit clamore, propinquos
Ut pifces vidit, latèque albefcere pontum.
Haud mora, vibrantur conti, curvique tridentes
Fufcinaque, & celeres unci; fitque ilicet ingens
Pelamydum cædes, fufoque cruore rubefcunt
Spumantes latè fluctus: proh cafus! & illi
Unà infelices pereunt, ubi litore amico
Perfugium vitæ certum, pacemque petebant.
Ufque adeò loca nulla patent fecura faluti,
Cum miferos Sors atra premit, urgentque potentes.
Interdum tanto exiliunt è marmore faltu,
Ut fæpè in ficca manibus captentur arena.
Et binos dextra tum me prendiffe recordor,
Urbe procul ruri liberrimus otia captans.
Non fecus Ægæis in fluctibus (1) Aulida contra
Argolici prædam venantur, ut aëra Vefper
Temperat, & rores jam colligit humida Luna.
Armati telis, & multa lampade curvas
Stipantur juxtà ripas: Delphines ab alto
Pelamydas, pavidosque fugant ad litora Thynnos.
Attoniti hinc face, Delphinis & agentibus illinc,
Spontè ruunt in terram, invifaque faxa Cybiæ,
Inque manus pifcantum, & vitam in litore ponunt.
Non fecus, ac timidi lepores, damæque fugaces

Delphini, & Thynni pugna.

Delphini in Pelamydes, qui fugientes in litus exiliunt.

Fugiunt, & Thynni, & à pifcantibus facibus territi capiuntur. *Oppianus.*

(1) Calabriæ promontorium contrà Pelorum, *la coda della Volpe*. Vide IV. Naut. (2) Boeotiæ Urbs in Euripo fita contra Chalcidem (*Negroponte*,) quæ tota interiit.

In prædam cessere, truces cùm tergi Molossi
Hinc sua dente premunt, illinc clamore secundo
Summa catervatim venantes sydera pulsant.
Confestim citò piscantes hastilia torquent,
Atque neci dedunt: cæsi mox piscis opimam
Dant partem sociis Delphinibus, æquore summo
Qui prædam intenti expectant mercede laboris.
Ni faciant, illi disrupto fœdere nunquam
Amplius Eubœæ cogent ad litora pisces.
At non Delphinis, quanquam per salsa superbi
Æquora se dominos jactent, regesque natantum,
Ceu Leo per saltus sylvarum, umbrosaque regna,
Exiguus labor est, Amiæ cum fervida fortes
Bella ferunt, campis & congrediuntur apertis.
Ergo ubi conspiciunt lato Delphina profundo
Agminibus procul è sociis, castrisque vagantem,
Dant signum: subitæ veniunt ad signa cohortes,
Stipaturque atrox Amiarum exercitus: & ceu
Arduus in turrim densa testudine miles
Irrumpit, glandesque jacit, & missile fulmen:
Non aliter contra Delphinum examine multo
Audaces currunt Amiæ, pugnantque feroces.
Principio Delphin interritus excipit agmen,
Nec numerum quidquam curat: ceditque, fugatque
Nunc hanc, nunc illam: sed cum videt undique circum
Densari hostiles acies, cingique corona,
Seque unum innumeras contra pugnare catervas,
Segnitiem pellit de pectore, fitque periclo
Fortior: intendit vires, & duplicat iram.
Ast Amiæ circum glomeratæ morsibus illum
Discerpunt, durisque affixæ dentibus hærent.
Hæc caput arreptum tenet acrior, illa tenaci
Stat rictu defixa genis: vorat aspera lumbos
Altera; & hæc pinnis superincumbat: illa bifulcam
Apprendit caudam violenta, fugamque retardat:
Hæc subtus ventrem depascitur; illa superne
Molle vorat dorsum, fusoque in sanguine gaudet:
Eque jubis pendent istæ, cervicibus illæ:
Ira omnes, rabieque, atrisque furoribus actæ.
Qualiter, ingenti procerum spectante theatro,
Emissi in taurum pugnaces agmine denso
Ore canes ineunt certamina: fervidus ille
Aurem dente petit, prensamque tenacius ipsa
Forcipe multus habet: saltu velocior alter
Subsilit in collum, mediusque in cornua sidit:

Mira, atque acertima Delphini, & Amiarum lucta. *Idem Author.*

Alter

Alter & in dorso subsedit, & ore cruentat:
Subter & hic rabido lacerat palearia morsu.
Fervet pugna: strepitque favens pleno ore theatrum.
Multiplici interea discissus vulnere Delphin,
Efflat anhelus aquam vehementius, & vada turbat
Ore fremens, fibrisque furens exæstuat imis.
Nunc infanda gemens salit æquore, nunc freta rursus
Ima petit: medioque ruens ceù gurgite turbo
Volvitur, ingentemque ciet clangore procellam.
Subsilit interdum è spuma, si forte feroces
Excutiat cervice feras, & liber in altum
Antevolet, sociisque fuga se reddat: at illæ
Ore tenent stricto, nec vi captiva remittunt
Membra, venenatis at dentibus acrius hærent.
Et subeunt, subeunte fretum, rursusque sub auras
Dum resilit, simul exiliunt: mirabile visu,
Desuper apparet monstrum de marmore tolli:
Scilicet è niveo Delphino, Amiisque creatum.
Difficiles adeò adnexæ, rictuque tenaci.
Et ceù multa cutem si fortè apprendit Hirudo,
Ægris impurum membris haustura cruorem,
Nonnisi cum fuerit toto exaturata relinquit.
Haud secus immanes Amiæ, ni parte revulsa,
Quam priùs apprensam morsu tenuere potitæ,
Demittent captum: qui mox certamine tanto
Defessus, primùm ut vires, animumque recepit,
Insana incensus rabie, ceù ventus in hostem
Irruit, horrendamque ciet ferus undique stragem.
Illæ diffugiunt trepidæ: premit istæ fugaces:
Et meritas Amiis pœnas, cædemque reponit.
Cuncta vorat, satiatque iram, ventremque saginat.

Delphini victoria.

Sed me victoris vocat altera palma: Feroci
Est cum Niliaco Crocodilo nobile bellum
Delphino, & cæso surgit victoria major.
Est Delphin Nili regi infestissimus hostis:
Hostis ut hic hominum durissimus. Horrida visu
Bellua, quà Libycos non turpior altera campos,
Vasta nec Ægypti per stagna voracior errat.
Nam campos, & stagna ferox terroribus implet.
Olli vis ingens, & non superabile robur:
Nec minor est animis audacia: lataque duris
Terga rigent squamis, est & durissima cervix,
At totum latè ferro impenetrabile corpus.
Unguibus incurvis, & dente armatur adunco,
Horrendamque movet caudam, rictuque tremendo

Ejusdem cum Crocodilo pugna, & ut illum cędat.

Infandam miseris stragem, cædemque minatur.
Hanc tamen ingentes animos, & pectora versans
Non prædæ incensus studio, sed laudis amore,
Aggreditur Nilo Delphin generosus in ipso:
Sit prono invalidus licet ore, levique recinctus
Thorace, & levibus pariter circumdatus armis.
Ergo maris magni fluctus egressus, in altum
Irrumpit Nilum, conspectoque eminus hoste,
Ingenti fertur cursu, ceù fulmen: & olli
Ut propior, sese pronum submittit, aquosi
Gurgitis ima petens, faucesque evitat hiantes:
Atque fugam simulans primo se subtrahit ictu.
Persa velut, patriis cum jam Romanus in armis
Acer ad Euphratem movet àgmina, se citus abdit
Lustra inter fugiens: latus hinc petit inde reversus,
Incautumque ferit jaculis, latèque cruentat.
Ergo imo rediens fundo consurgit, & alvum
Invehitur contra veniens inopinus: acutamque
Erigit è tergo spinam, qua mollia ventris
Protinus incidit: reliquo nam corpore monstrum
Ipse vel incassum pulsaret acinace Maurus,
Aut immortali facta ex adamante securi.
Vertitur extemplo præciso bellua ventre,
Horrendùm stridens, refugitque in vorticis undam:
At Delphin medio gestit sub flumine victor.
Mox redit in pontum festivus. At æquor apertum
Qui timidi contra fugiunt, cæcisque sub antris
Se se abdunt? signata pedum vestigia nosco.
Nec fallor: turpes dant terga fugacia Phocæ,
Cæruleus quibus est (1) Aries inimicus: anhelo
Aëris immensi molem qui sorbet hiatu.
Aries Phocam aëris afflatu enecat. Quæ mox lethiferis emissa è naribus aura
Ocyus ingenti flatu, velut acta sagitta
E nervo contorta, volat; quo bellua telo
Imbelles cædit Vitulos, atque aëre perdit.
Aëre quo vitam mortales vivimus omnes:
Fitque eadem lethi, fuerat quæ causa salutis.
Namque ubi conspecto fugere è fluctibus hoste,
Inque latebroso se celavere recessu
Imbelles vituli, tunc retrò impunè sequutus

In-

(1) Qui, qualisque sit non liquidò constat: Bellonius ex Asellorum genere facit: alii monstrum inter cete statuunt: historiam verò Ælianus narrat.

Inſtat, terga premens Aries, juxtàque repoſtum
Stat ſpecus, hoſtis ubi latet abditus, atque tenet ſe.
Hic intermedium bibit auribus aëra longis:
Aſpiratque iterum, & Phocas transverberat aura.
Icti fulmineo Nepodes velut ære, fugaces
Se cito proripiunt, & inania ſpicula vitant.
Antra ſed egreſſi, dulcem ſub lumine vitam
Deponunt miſeri: nam dentibus advolat uncis
Continuò, tenerosque Aries petit, & vorat artus.

At non ſe, magnæ quanquam, tutantur ab Orcis
Balænæ: miſeris ſpes una evadere curſu,
Atque profunda maris loca tuta inquirere, quà ſe
Vertere, & immenſo poſſint defendere ponto.
At contra rigidis occurrunt dentibus Orcæ:
Seque fugæ celeri certant opponere ſaltu,
Inque vada impellunt, ſyrtesque, & ſicubi denſæ,
Anguſtæque rigent cautes: hic pondere ſegnes,
Invalidasque petunt alacres, & cæde cruentant:
Seminecesque viris prædam ſub litore linquunt.
Interdum inſanæ catulos ante ora parentum
Dilaniant, rabidove recidunt gutture mammas.
Interea velut irato ſibi prælia ponto
Spectantur: nullis & agentibus æquora ventis,
Tot violenti ictus, & creber anhelitus undas
Evoluunt, quot nullæ unquam movere procellæ.

Orca Balænam vi ſuperat.

Sed jam terribili prorumpit fronte Zygæna,
Spumoſasque acies fera devorat ore biſulco.
Ah! peſtem miſeris Di piſcatoribus illam,
Si qua, precor, pietas, defendite: namque per omnes
Bacchatur fera ſæva, nihilque impunè relinquit.
Ac velut iratus prætendit cornua taurus,
Vi quibus ingenti pollet, cædemque minatur:
Sic obnixa furit bijuga cervice Zygæna.

Zygænæ furor, & vis.

Eſt & fluminea Glanis bellator in unda
Maximus, inque omnes fert horrida bella natantes:
Serratoque ipſos piſcantes dente laceſſit.
Non ſecus in piſces furit audaciſſimus omnes
Lucius, & Pagrum (1) Brinthus necat: inque voraces
Bacchantur Mulli Lepores, & funere plectunt.
Nobilis Antaceum, roſtroque Acipenſer acuto
Germanum inſequitur, totoque expellit ab Iſtro.

Et Glanidis.

Et

(1) Qui & Brenthus, è Mergorum genere: illius autem in Pagrum odium Philes tradit.

Et Zigam celeri cursu insectatur in (1) Albi:
Antevolat fugiens tamen illa citissima pinnis.
Cærulei Anguillis intendunt prælia Corvi,
Atque leves Lutræ, & stellatis Ardea pinnis.

Lampetra Salmones vexat.

Lubrica veloces rostro Lampetra bisulco
Salmones impunè secat, cum, Doride salsa,
In dulces fluviorum undas rediere, relicta.

Quos & Hirudo perdit.

Parvula quin etiam Salmones vexat Hirudo,
Dum fluvios Æstate vagi fervente recurrunt.
Hæc nimio, ut perhibent, calefacto sanguine motu,
In penitis malesana lues progignitur extis.
Interdum totas qua depascente medullas,
Magna dolent, stimulisque intus mordacibus acti
Stagna per, & fluvios errant sine lege furentes:
Et quatiunt sese pinnis: saliuntque, ruuntque,
Eructantque undas, spumasque in gurgite voluunt.
Seque petunt iterum, & medio bacchantur in alveo;
Quò tandem totis exhausti viribus omnes
Dispereunt, cassique appellunt lumine ripis.

Est etiam ille malus Ziphiis pugnacibus hostis,
Quique leves Thynnos depascitur, inque feroces
Delphinas grassatur, (2) Asilum nomine dicunt

Oestrus Ziphias, Thynnos, & Delphinos exagitat.

Romani, veteres Oestron dixere Pelasgi.
Qui licet exiguo sit corpore, mollis & instar
Crescat Araneoli, stimulo tamen horrida magnis
Piscibus arma ciet, vexatque impunè sub alis.
Inque necem vel spontè trahit violentus ad unum:
Dum torrens Canis exoritur (Canis acrior ortu
Pestis acerba furit, spargitque immane venenum)
Thynnida (3) cum Gladiis, & cum Delphine lacessit:
Inque latus spina subter quà cærula pellis
Mollior, intorquet furibundo ex ore sagittam:
Infixaque hæret lateri crudelis Asilus:
Ac teneros artus exugit ab usque medullis.
Ast illi jaculis, & duris morsibus icti,
Exacuunt iras, rabieque armantur in hostes.
Nam frustrà mucrone petent, vel dentibus Oestron,
Ergo acti furiis, irritatique dolore

Cæ-

(1) Germaniæ fluvius *Elba*. (2) Vermiculus hic est, inquit Arist. qui historiam narrat, effigie Scorpionis, magnitudine Aranei, qui tanto illos infestat dolore, ut sæpè sese interimant. (3) Thynnus; accipitur tamen pro Thynno fœmina, ut habet Athenæus.

Cæruleas quatiunt alas, & corpora jactant:
Turbatasque movent undas, latèque per æquor
Bacchantur, tanto possint si fortè tumultu
Affixam stimulo lateri depellere pestem.
Incassum tamen ira: latus tenet asper Asilus,
Et tantum radiis torquet mordacibus artus,
Ut perdant sese miseri, impulsique dolore
Ad scopulos caput allidant, vel præpete jactu
In molle insiliunt perituri litus, ubi ipsa
Præstat cum vita citiùs finire dolorem.
Non secus ac Silari ripas, & flumina circum
Oestros agit armenta, & acutis ictibus instat
Acrius atra lues: totis exterrita sylvis
Illa ruunt percussa: sonat mugitus ad auras
Plurimus, horrendoque assurgunt murmure valles,
Plangit & Alburnus, sylvæque, & ripa Tanagri.
Mugilibus stimulo pariter metuendus acerbo
Ater Asilus erit, cum surgens Isidis astrum
Incipit orbe vagos ipso cum Sole labores:
Nam tunc insequitur victor, fixusque sub ala
Mordet acu, & dulces morsu depascitur artus.

Verum lethiferis jam me pugnata sagittis
Bella vocant, mirumque latens in cuspide robur.
Sunt qui torpore armantur, pugnantque veneno,
Insignique dolo fallunt impunè natantes.
Veloces veluti Parthi, Medique fugaces
Prima leves ineunt virosis prælia telis:
Atque dolis, ferro nequeunt si vincere, fallunt.

Prima venenatis Torpedo armata sagittis
Aggreditur piscès audax, quoscumque per æquor
Aspicit ire vagos, radiisque emittit ab ipsis
Turpe veneficium, turbatasque inficit undas:
Inficit & pisces torpore, fugamque retardat.
Protinus amittunt solitum stupefacta vigorem
Membra, rigentque omnes concreto sanguine nervi:
Immotique greges steterunt: velùt invida si quem
Thessala corripuit cantu: stetit ilicet ille
Attonitus: subitò nec se subducere cursu:
Nec vi, nec telis potis est insurgere in hostem.
Successu tùm læta, morantem plurima rictu
Occupat, & multa torpentem cæde cruentat.
Sæpius alato potitur sic Mugile victrix,
Quamvis per vitreos repat lentissima fluctus.
Nonnunquam casso similis distendit arena
Corpus, & optatos simulat se carpere somnos:

Torpedinis vis stupefaciens. *Plinius, & Gillius.*

Quo pisces astu occupat.

Ignari

Ignari verùm ut subeunt vicinia pisces,
Infandum toto diffundit pectore virus,
Ut mirè torpor insinuetur. Torpentesque necat morsu, ventremque saginat.
Præterea, mirum, per retia rara, levesque
Insinuat citò per nassas, ferrumque venenum:
Inque manus piscantis agit, vincitque rigore.
Non sic per stipulas veloci murmure flamma
Serpit, vasta trahens latis incendia campis:
Ut circumfuso dispergitur aëre virus
Omnia pervadens, & frigore perdit acuto.
Sed jam, quò Trojæ periit vastator Ulysses,
Trigonis virus. Plinius, Ælianus. Trigonis horrendæ subit immedicabile telum.
Lethiferæ in caudæ medio consurgit acutus,
Serra velut, radius, dura qua cuspide Trigon
Impetit, atque ictu jacit irreparabile virus.
Quod è spina pisces necat. Ergo occulta latens scabro sub pumice nantes
Dum spectat propiora greges, jacit arma, simulque
Pestiferum emittit virus, prædaque potitur.
Non sic Parthorum diro fucata veneno
Spicula, nec Cressæ tantum nocuere sagittæ:
Nec quæ fumosis Liparæ distenta caminis,
Cyclopum venere manu, & Styge perlita tela.
Non pisces tantum, piscatoresque cruentat
Virosum è viva contortum Trigone ferrum,
Sed cæsa pariter, fama est, è matre revulsum
E pisce avulsa spina adhuc lethalis. Duritie indomita, & diri virtute veneni
Æs durum, galeasque, ipsumque incidere marmor:
Illius & virides tactu marcescere ramos,
Delabique comas, solidosque arescere truncos.
Hac rigida memorant virosæ Trigonis hasta
Telegonum quondam instruxisse in prælia Circen.
Ah miser! egregium sævo mucrone parentem
Illa Ulisses interiit. Eustathius. Inscius occidit, dum sparsa armenta per agros,
Et lætos Ithacæ colles, & pascua lustrat.
Proh miras rerum sortes, & Fata Deorum!
Quem maris, & terræ, sævique pericula Martis,
Totque minæ, & tanti numquam fregere labores,
Una Laertiadem Trigon confecit Ulyssem.
Ergo tibi, piscator, erit non ultima cura;
Ne te lethiferis transverberet illa sagittis.
Verùm (cuncta datum vitare pericula non est)
Incautum si fortè petat te cuspide Trigon,
Quæ præsens adhibenda malo medicina, docebo.
Vulcano in cinerem redigens ardente sagittam
Trigonis: ipsa luem quæ detulit, ipsa salutem

Re-

Restituet: pulvisque acri consperfus aceto
Expellet virus, vulnusque obducet apertum.
Interea ramus dum lethifer igne crematur,
Avulsum moriente jecur de pisce dolorem
Liniet: atque tumor subsidet: sæpè columbæ
Stercora Naïadis reddent perfusa salutem.
Proderit & multo furfur decoctus aceto.

Præterea Lupus, atque Leo, pictique Dracones,
Atque graves Aquilæ, Squatinæque, & callida Vulpes
Dura venenatis exercent prælia telis:
Et stimulis Centrina, fugaxque armatur Hirundo,
Virosusque furit scruposo Scorpius antro.
Et nigro nocet (1) Accipiter, (2) Coccyxque liquore.
At verò Gobii, & Sphyrænæ mitior ira est.
Idcirco tibi solerti stat mente cavendum,
Ne molli capias (3) pro Perca Scorpion: at si
Perculsus (4) sapies, piscator, idonea dicam
Quæ medicina malo: dissecti viscera Mulli
Admoveas citus, aut illotum ad vulnera plumbum,
Indomitumque igni, vel acetum, vivaque sulphura,
Et tunsum prodest lentisci imponere vimen:
Magna quibus morbo lenimina. Sed vafer instat
Bos tergo, magnaque premit sub mole natantem.
Ut piscatorem vigil aspicit, ilicet imo
Enatat è fundo, totoque incurvus inhæret
Corpore piscantis dorso, chelisque reflexis
Apprimit, astringitque tenacior: ille gravatus
Mole Bovis, refluis emergere protinus undis,
Neve haurire valet vitales ætheris auras.
Ergo vitæ aditu intercluso, deperit æstu
Piscator medio, & præda Bos ubere gaudet.

Verùm incredibilis vafræ solertia Ranæ,
Quam Piscatricem nostri cognomine dicunt.
Ante oculos gemini fallendis piscibus extant

Quæ contra illius venenum sint medicamina, ex *Plinio*, *Tarentino*, & *Ægineta*.

Quæque ad Scorpii, Gobiique ictum.

Bovis astus, quo natantes occupat. *Oppianus*.

(1) Olympici piscatores Milvum vocant *Rondenone*, Hirundinem verò *Rodene*. (2) Coccyx Græcis, qui Lat. Cuculus, nostri *Cocco*, & *Cuoccio*. (3) Allusum ad proverbium, quod de eo dicitur, qui optima captans, pessima eligit. (4) Item adagium olim in Græcia celeberrimum: hujusmodi casu natum: cum piscator conclusis reti piscibus manum admovens à Scorpio feriretur: ictus, inquit, sapiam.

Extensique (1) pili in longum, quibus illa natantes
Decipit, & victu tribuit Natura parando.
Ergo, ubi turbato nigrescunt æquora limo,
Occultat se Rana luto, & pendentia fila
Attollit, piscesque data velut illicit esca.

Ranæ mirum ingenium ad fallendos pisces. *Tullius, Plutarchus.*

Accurrunt illi celeres: trahit ipsa dolosos
Paulatim radios: ignari fraudis in ipsum
Os Ranæ properant pisces, dum pone sequuntur
Læti escam: presso tunc Rana citissima rictu
Apprimit, atque avido confestim gutture mandit.
Non secus ante fores fraudem molitur opertam
Ingenuus puer extremo sub limine portæ
Intendit latè casses, & plurima circum
Grana jacit, pellecta quibus dum plumea turba
Approperat prædæ studio, tunc ille reducit
Ad sese casses: subit hæc tunc inscia textum,
Et dulcem mensis escam captiva ministrat.
Sic etiam volucres, si vera est fama, Cerastes
Decipit, atque dolo ventrem felicius explet.
Hac ipsa, ut perhibent, prædatur Sepia fraude,
Et Pulcher Cœli dictus de numine piscis.
Non hic prætercam quo Sepia sæpius astu
Piscantum ex oculis subducitur: impiger adstat

Sepiæ, Polypique astutia.

Cum puer, & ferrum jam jam missurus acutum est,
Confestim nigr[illegible] diffundit ab ore venenum,
Quo nitidas p[illegible]urbat aquas, vitatque natantes.
Nativum interdum variat mutata colorem,
Osmylus ut, similisque jacet firmissima saxo:
Et lapidis ficta pueros sub imagine fallit.
At si squamiferùm cunctas percurrere fraudes,
Præliaque, & dulces voluissem dicere amores,
Immensum crevisset opus, nec vos mihi, Musæ,
Carmina tot faciles, authorque dedisset Apollo.
At precor hoc unum saltem memorate canenti.
Quis Deus hæc nobis primus monstravit, & alti
Oceani vix nota Diis arcana retexit?
Namque hominum non hæc inventa fuisse putandum est.
Vir fuit Euboica genitus Colomelide Nympha,
Quæ dulci insignis cantu, fidibusque canoris,

Quæ-

---

(1) Sic Arist. vocat appendices quasdam, quarum extrema crassis globulis præpilantur, surguntque ante oculos. At Plinius cornicula appellat; ait enim: eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit.

Quæque inter reliquas Acheloidas una ſuperbo
Præſtabat formæ cultu, flavoque capillo.
Aſt illam Oceani conjux Saturnia Tethys,
Oderat, & toto conata expellere ponto eſt;
Oceano quoniam conjuncta ſub Anxio alto
Sanguine divino puerum ſuſceperat Idam.
Quem Dea per virides actas Crateris, & inter
Muſcoſos aluit ſcopulos, & ſcrupea ſaxa.
Hic illum cantu, cytharaque inſtruxit eburna:
Quæque forent piſcoſa magis freta, quæque regendis
Opportuna dolis ſtatio: quibus oſtrea ſaxis
Plurima, quaque uda corallia rupe venirent:
Et Sinveſſano naſſas compingere junco,
Ac lentum calamo docuit ſubtexere linum.
Sed cum jam puer undecimum tranſegerat annum,
Et poterat remis agitare per æquora cymbam,
Ac verſare hamos, & retia, ſedula mater
Artes piſcandi varias, durumque laborem
Erudiit, multoque inſignem reddidit aſtu,
Quò pelagi poſſet verſutam fallere gentem.
Illa ſed in primis charæ ſtat cura parenti,
Scilicet ut mores, fraudeſque, & prælia, & arma,
Et dulces nexus animorum, & fœdera certa
Diſceret undoſæ gentis puer; unus ut omnem
Victor Olympiacam poſſet ſuperare juventam.
Ergo illum chari ducit genitoris ad ora,
Naturam ut doceat gnatum, ingeniumque natantum.

Idæ Fabula. & qua primum ratione piſcium mores docti.

Trans Gades Libyam contrà, quà cœlifer Atlas
Immenſos humero Stellarum ſuſtinet orbes,
Stat domus Oceani nitido pellucida vitro,
Et centum geminis ſurgit ſubnixa columnis.
Fulgurat ex hyalo teſtum, niveaque coruſcat
Cryſtallo paries, cardoque adamante renidet
Plurimus, & fulva radiant ab iaſpide poſtes:
Marmore ſtrata nitent Pario: ſed cœſa columna
Marmarica de rupe, nigriſque interlita punctis,
Et ſparſim minio, & ferrugine ſplendet Eoa.
Deſuper apparent tecto depicta ſupremo
Æquoraque, ſcopulique, ſonoraque litora fluctu:
Et quæcumque vago paſcit ſub gurgite Proteus:
Educat & vaſtis in fluctibus Amphitrite:
Omnia nativis rerum ſpirantia ſignis.
Flumina cryſtallo in ſolida cælata coruſcis
Parietibus latè apparent, rivique ſonantes.
Hic Licus, hic Phaſis redimiti cornua muſco

Oceani domus deſcribitur.

Undoſa ſub rupe ſedent, verſantque fluenta:
Populeasque inter decurrit lætior umbras
Eridanus, flavoque ſonans it flumine Crathis,
Vulturnusque, Hypanisque, & magno turbidus alveo
Aufidus, avulſasque ferens cum gurgite quercus.
Mirum opus, atque Deo dignum, Nereoque Magiſtro:
Nerea nam perhibent fabricaſſe immania templa,
Cunctaque cryſtallo miris cælaſſe figuris.
Hùc Dea cæruleis invecta per æquora bigis,
Tyrrheno procul è ponto cita tranſtulit Idam.
Ut vitreo puer è curru delapſus, & alta
Oceani ingreſſus palatia, conſtitit ipſo
Limine in undoſo, patrisque nitentia templa
Miratur, magnamque domum, ſolidasque columnas.
Atque ingens miratur opus, operisque laborem,
Et picturatum viva ſub imagine tectum.
Ut ſtetit aulai in medio Dea, cernua magnum
Fluviorum patrem Oceanum, regemque natantum
Confeſtim unà cum puero veneratur. Amicam
Excipit Oceanus Divam, blandisque profatur
His orſus dictis: Quis te, pulcherrima Nympha,
Finibus è patriis per tot freta cærula vexit,
Et procul Herculeas deduxit ad uſque columnas
In mea tecta? ſinus emenſa interrita tantos
Tethyos undivagæ, puero quidnam petis iſto?
Fare age: fixus adhuc amor eſt. Cui talia contra
Colomelidis ad Oceanum Oratio.
Diva refert: Hic ille tuo Rex magnus aquarum
Sanguine conceptus puer eſt pulcherrimus Idas.
Conjugioque tuo quondam dignata ſuperbo,
Quem poſtquam Ænariæ peperi ſub rupe repoſta;
Ipſa ego per virides actas Crateris & undas
Nutrivi, & numeros, & carmina blanda, fidesque;
Et varia edocui, piſcantis munera, & aſtus.
Verùm ne patriis fraudem virtutibus, illum
Ad tua tecta tuli; doceas quæcumque natantum
Sit natura, genus, connubia, prælia, & iræ.
Si qua tibi reſtant monumenta, & gratia facti.
Quin decet & Divis genitum majora doceri,
Atque humiles hominum ſe ſupra attollere ſortes.
Oceani ad illam reſponſio.
Hæc dedit: & Regni contra Rex magnus aquoſi
Hæc reſponſa refert: Faciam, formoſa, quod optas,
Et regnatorem decet æquoris: omnia diſcet
Egregius puer undoſi ſecreta Profundi.
Dixit: & extemplò paſtorem Protea juſſit
Acciri, ſparſumque mari compellere in unum

Squa-

Squamigerum genus omne. Throno mox Divus eburno
Descendit, Diamque unà, puerumque reducit
In mille intertexta nitentibus atria conchis,
Turbinibusque (1), (2) Aulisque, & purpureis (3) Neritis.
Hìc ubi cæruleo conspergit limina rore,
Crebraque subsiliens placido sonat unda susurro,
Constitit ante aditum Nymphâ Deus, & puer Idas.
Hinc, atque hinc denso glomeratæ Najades Orbe,
Et circumfusæ Nereides, & Thetis ipsa
Adstarunt, lætaque Deos cinxere corona.
Et jam turrito scopuli de vertice pastor
Ingenti Proteus inflabat murmure concham,
Cærulei spumosa vocans ad tecta tyranni
Dispersas pelago gentes. Vix murice ab alto
Insonuit cantu cava buccina: protinus omnia
In turmas, aciesque ruunt squamosa natantum
Agmina diversis è fluctibus: ultima mundi
Qui vada Hyperboreo currunt subjecta Trioni:
Quique secant Indi maris æquora, quique repostæ
Ammerices lustrant pisces freta ditia gemmis:
Quique Erythræa colunt flaventibus æquora baccis:
Et fluctus qui, Persi, tuos tenuere rubentes:
Quos & clausa Thetis gremio fovet, Joniumque,
Adriaque, & Pontus cum turrigero Ægæo.
Haud mora fit, densis coëunt examina signis,
Moscososque tenent scopulos, & Protea circum
Agglomerantur: aquis candent spumantibus undæ.
Ac fremitu immenso venientum totus ab imo
Gurgite fervescit pelagus, latèque remugit.
Non secus ac rauco strepuere ut Martia cantu
Classica, confestim sonitu pulsata moventur
Castra, ruunt acies, ardentesque ære manipli:
Magnaque densati stipant tentoria regis.
Aspectu puer insolito conterritus hæsit,
Atque pedem, secura petens, referebat in arcem,
Cum divina parens, his orsa morata timentem est:
Ne timeas, Tyrrhene puer, quæ maxima ponti
Monstra vides, Patris imperio, nutuque reguntur:
Neve Diis inferre malum permissa potestas.
Siste gradum, Vatique animos adverte docenti:
Mira quidem populi disces arcana marini
Hac ignota tenus, legesque, & prælia gentis:

Proteus in unum pisces cogit.

Quæ

(1) (2) (3) Concharum species, de quibus lib. VIII. agemus.

Quæ te ſcire decet, quondam & meminiſſe juvabit.
Et jam diverſas acies, atque agmina Proteus
Ordine quæque ſuo vitreis procedere campis
Juſſerat: ipſe cavo deſpectat ſingula ſaxo.
Ac velut, hybernis primo cùm Vere relictis,
Măgnanimus campo Lotharus ſeſe intulit, & ſe
Accingit bello, ſociosque in prælia poſcit:
Stat ſublimis equo, cumuloque aſpectat ab alto
Agmina, dum pulchro procedunt ordine campis.
Quæque ſuas legio fulgentes ære catervas
Explicat, & denſis latè micat horrida criſtis.
Itque ſuis diſtincta notis: vexillaque certis
Intertexta nitent ſignis: nitet omnis in armis
Gens patriis, cunctique ducum poſt terga ſequentes
Æquato incedunt ſua per diſcrimina paſſu:
Helvetii, Cymbrique, bipenniferique Sicambri,
Saxones, & fortes Boii, Illyricique nivoſi,
Germanique, Italique, & pictis Pannones armis.
Haud ſecus æquorei veniebant ordine cœtus:
Quique ſuis ardent ſquamis, & præpete penna.

Piſcium omnium per ſuas ſpecies, turmaſque recentio.

Prima colorati ducebant agmina Mulli:
Pone Scari, denſoque ibant examine Percæ.
Hinc dextra Synodontes aquam, Fabrique ſiniſtra
Findebant curſu celeres: hos inter, & illos
Tollebant medio Pagri capita ardua criſtis,
Et (1) Sparus aurata fulgens cervice, rubræque
Phycides (2), atque Sudes, mixtique (3) Synagrides Orphis.
Indè ſequebantur Sargi, Blennique, (4) Lyræque:
Et fulvo ardentes auro, ſquamiſque coruſcis
Umbræque, Auratæque, & Julides, atque (5) Cinædi:
Et Melanuri, aliique tenentes ultima ſigna
Squamigerùm, totumque Aphyarum ignobile vulgus.
Jam læves acies properabant: prima nitentes
Agmina Trachuri implebant, Rhombique, Boveſque,
Ac nigris Coraces fulgentes tergora ſignis,

Et

(1) Neap. *Sparaglione*, Romæ cum Sargis, & Auratis confunditur, Maſſiliæ, & in Liguria *Sparlo*, & *Sparallon*, Hiſp. *Spargoil.* (2) Ab Olympicis piſcatoribus audio vocari *Cannuſa*. (3) *Prajo* noſtris, eſt autem capite duriore, & latiore, corpore verò veluti circino circumducto.

(4) Dicitur etiam Romæ *Peſce Forca*, nobis *Forcato*, Squamis veluti cataphractus, & hinc per antiphraſim *Mal' armato*. (5) Fortaſſe erit, quem Olympici vocant *Mafrone*.

Et (1) Clarias incana, (2) dicataque turba Lyæo.
Poſt pingues ibant Soleæ, Milvique rapaces,
Et Cithari, Rajæque, voracique ore Dracones:
Quos inter teretes findebant marmora Scombri:
Ranæque, & variis Torpedo plurima punctis,
Atque nitens maculis, & verſicoloribus aſtris.
Jamque ſecunda greges claudebant agmina læves,
Cum gravibus ſubeunt armati protinus armis,
Ac ſua cæruleæ ſectantur ſigna cohortes:
Ardentes minio Cancri, fuſcique Paguri,
Et Squillæ inſignes villo, roſeæque Locuſtæ,
Stipatusque ibat Leo plurimus, atque Elephanti.
Hic ſonus exoritur magnus, fremit omnis aquarum
Campus, & in tractis caneſcunt æquora ſulcis:
Ingentes acies, ingentia corpora denſis
Ordinibus glomerata, vado ſpumante, ruebant.
Hi nivei Delphines erant, Thynnique fugaces,
Orcynique graves, ſpiſſoque examina cœtu
Pelamydum, rapidique Canes, turpesque Zygænæ:
Quas inter longo Ziphiæ mucrone ſequuntur,
Haſtatumque cient agmen: diſcrimine parvo
Turpes immenſo veniebant corpore Phocæ,
Et Vaccæ maris Æthyopum, Ammericique Manates:
Piſtresque, Serræque, & duræ dentibus Orcæ:
Epotumque vomunt patulis è naribus æquor,
Ingentemque cient ſpumam: poſtremaque claudunt
Agmina Phyſether cum turrigeris Balænis.

Interea longo dum vadunt ordine turmæ
Squamiferùm, varioque ſonant diſciſſa natatu
Marmora, muſcoſo ſcopuli de vertice Paſtor
Et ſtudia, & mores cunctorum, & prælia, & iras,
Ingeniumque, dolosque, & dulces dicit amores.
Auribus illa puer ſpumoſo in margine ſidens
Attentis bibit, & memori ſub mente recondit.

Qui dum per legiones incedunt, illorum mores Proteus, legesque docet.

Verum ubi poſtremis abjerunt agmina ſignis,
Dicendique Deus finem dedit: ilicet alto
Exiliit ſaxo, & vitreis caput abdidit undis,
Poſt armenta cito feſtinans ire natatu.
At Dea cum dignas ſubmiſſo pectore grates
Cæruleo egiſſet tanto pro munere Regi,

Con-

(1) Pro Callarias metri cauſa. (2) Bacchus piſcis Baccho Sacer: ex Aſellorum genere eſt; non verò Mugilum, ut vult Plinius.

Confeſtim celeres ſpumoſa ad fræna jugales
Ire jubet, Calpeque retro: Atque Atlante relicto;
Europam propter puero comitata recurrit.
Inque ſinus ingreſſa legit quæ ditia (1) Pœni
Rura tenent: Malacæque urbem tranſmittit: & altum
Oſtendit puero (2) Caridemi culmen opaci.
Et quæ (3) Carthago fuerit, quibus illa Latinis
Expugnata armis memorat, terraque, marique:
Percenſetque duces, & quo ſub Conſule capta.
Quæ dum comemorat, dites transvectus (4) Alonas
Jam raucum currus (5) Sucronem præterit, & jam
Litus adit, ſteterat quondam quà celſa Sagunthus,
Quam Tyria cecidiſſe manu Dea dicit, in Urbe
Dum lentos diverſa tenet ſententia Patres.
Hinc & prætervecta, ſecat ſpumantis Iberi
Læva amnem, (6) Lunæque altas in montibus arces:
Et geminas dextra Balearidas ante relinquit.
Mox (7) Veneris delubra videt, celſamque Pyrenen,
Atque ſinum ſcindit ſpumoſa per æquora Gallum:
Quàque docet puerum Rhodanus delabitur, & quà
Maſſiliæ magno ſeſe curvamine portus
Pandit, inacceſſas & vertice detegit arces.
Et jam litoreæ procul advenientibus Alpes
Apparent, ſurguntque jugis ſuper aſtra nivoſis.
Hic lævum Dea pulchra latus perſtringit, & inde
Præterit (8) Auguſti, biga properante, Throphæa.
Heſperiam petit inde, ſonoraque flumina Vari
Nicæaque retrò fugiente, atque arce (9) Monœci,
Divitibus claram populis, luxuque ſuperbam
Oſtendens urbem Ligurum ſic fatur: Apricis
Collibus hanc (10) Genuus poſuit Saturnius urbem;
Imperiumque dedit magnum: nam claſſibus illa
Vecta mari magno fines pervenit Eoos:
Atque Palæſtinos, & Cypri regna ſubegit,
Et Chion, & Lesbon: ſupraque Propontida ſigna
Invexit, Tanaimque jugo ſubmiſit, & ipſos

Cym-

(1) Qui circa fretum in Hiſpania habitarunt.
(2) Hiſp. promontorium *Capo de Gata*. (3) *Cartagena*.
(4) *Alicante* (5) Hiſp. flu: *Xucar*. (6) Lunarium promontorium, & Scalæ Annibalis *Capo Toſa*. (7) Aphrodyſium *Capo Cruez*. (8) *Torbia* urbs in Nicææ (*Nizza*) ditione. (9) *Monaco* Urbs Liguriæ. (10) Saturni filius, à quo Genuam conditam ferunt.

Cymmerios: nunc ſola tenet tua litora, (1) Cyrne,
Proxima Sardoo quæ cingeris undique fluctu.
Sic mutat Fortuna vices, perituraque regna.
Intereà jam currus equis pernicibus actus
Hetruſcos præter fines vicina legebat
Oſtia, Tibri, tua, & felices (2) Anxuris arces:
Inque Dicarcheas tandem perlabitur oras.
Sic dulces thalami nexus, & prælia, rixæque;
Et ſtudia, & mores primum patuere natantum.
Sed jam lina mari, textosque immittere caſſes
Tempus, & æquoreæ venando inſiſtere prædæ.



(1) *Corſica* Inſula. (2) *Terracina*.



HALIEUTICORUM
LIBER QUARTUS.

Hactenus undivagæ mores, & nomina gentis:
Nunc artes, Neptune, tuas, tua, maxime Nereu
Dona canam; primi nam vos demittere naſſas,
Et medias linum docuiſtis ſolvere in undas.
Quare agite, & certum ſpirate in pectora carmen,
Ut piſcandi artes, quæ ſint, quæ cura adhibenda,
Quique dolus, quo falſa cadat gens ſquamea ponti,
Diſcat Olympiaca ſolers piſcator in acta.
Inprimis multæ ſunt piſcatoribus artes,
Variæ piſcandi artes. Inſidiæque, dolique, vagas quibus æquore prædas
Venentur, dulcemque ferant mortalibus eſcam.
Ac veluti in ſylvis non venatoribus unus,
Sed varius labor eſt, intricatuſque: Profundos
Hi circùm longà ſaltus indagine cingunt,
Includuntque feras: alii loca pervia, quà ſe
Ut venandi variæ ſunt. Solicitis agiles impellunt curſibus apri,
Objectu armati claudunt, ſtipantque corona:
Inſiſtunt alii curſu, & præeunte canum vi,
Per montana leves, & per ſylvoſa locorum
Veloces agitant lepores: hic retia ſummis
Applicat arboribus ſubter frondoſa, vel inter
Herboſos tendit campos: hic caſſe volantes
Captat aves: lentum ſpargit per gramina viſcum
Alter, & optatam gaudet ſe fallere prædam.
Non ſecus æquoreas inter piſcantibus undas
Eſt varius, multuſque labor, fugientia ſemper
Per longas maris ambages, cæcoſque meatus

Lu-

Lubrica Squamigerùm sectari examina cursu,
Et captare dolis, sparsoque includere lino.
Hic calamo, insidens scopulo piscator aprico,
Quæsitas avidis immittit piscibus escas,
Incautosque hamo venientes fallit acuto:
At piscosa alii per litora, perque sonantes
Fluviorum ripas, mediove in gurgite solvunt
Cæruleos casses, onerataque retia plumbo:
Eque mari pisces quæ mox ducentia ducunt.
Hi pelagi virgulta inter frondosa recondunt
E (1) Sinvessano contextas vimine nassas.
Arma illi, & duris exercent prælia monstris:
Hi noctu nitidis perlustrant litora flammis,
Explorantque freti loca cæca, & subdola ponti
Decipiunt armenta; feruntque ad litora prædam.
Sunt diversa simul pisces fallentibus arma: Variæ piscandi armamenta.
Quæ solers prius expediet piscator, & illa
Quo formanda modo paucis, adverte, docebo:
Qui prædas tremula perquirit arundine, tortum
Multiplici è pilo radium subtexat equino:
Ast alii è spartho faciant, restivè retorta,
Qui grandes cupiunt hamis comprendere pisces: Hamus.
Quique agitare gravi sueverunt agmina ferro,
Hi bifido armentur telo, duove (2) tridente.
Et longum capulo, lentumque hastile reponant;
Ocyus ut dextra vibretur fuscina, & ipsos Fuscina.
Veloces certo pisces transverberet ictu.
At labyrintheis si fortè erroribus udam
Prendere amas prædam, facilemque impendere curam,
E junco casses, & vimineos labyrinthos Nassæ.
Intexes cono simile, cui vertice summo,
Intus ut imponas escam sit circulus, utque
E nassa inclusum valeas educere Mullum,
Aut nitidum squama Pagrum, Liparimve, Lyramve,
Et fundo ex imo pariter tibi conus in auras
Assurget medius, medioque in vertice coni
Os etiam spissis intexes undique juncis,
Qui proni interius flectantur, ab æquore piscis
Cum cæcum, illectus præda, se trudit in antrum:
Inde fugam prohibere queant, cum pastus in altum

(1) Sinvessa *Sessa*, unde optimum deportatur vimen ad nassas texendas. (2) *Lo Lanzaturo*, Gallis, *Tridens*, & *Lansquenet*.

Retia, & quàm varia.

Liber adire parat. Verùm quibus humida lina
Versandi studium, non est labor omnibus idem,
Hi (1) Jacula expediunt manibus, pars altera (2) Gryphis
Æquora circumdant: alii (3) Sphæronas aquosis
Extendunt latè campis, divesque (4) Panagrum:
Ingentique trahunt conatu ad litora pisces.
Ast (5) Hypochas illi medio de lintre remittunt.
Gangama (6) & his trahitur, piscosum (7) Dictyon illis;
Quæ diversa tibi subtexet arundine conjux
Retia, casta domum dum servat, & ubera circùm,
Et circùm dulces dependent oscula nati.
Tu vel, Olympiaco dum litore lentus ad umbram
Considis, Solemque tibi defendis, & æstum:
Aut rigidam duras Hyemem, ventosque malignos.
Præterea robustus erit piscator, & olli
Non vigor emoriens, non sint torpentia tristi
Membra lue, vel obesa, aut pingui tarda sagina,
Sed levia, & volucri veniant aptissima cursu;
Nam fortes acies, & dura lacessere monstra,

Qualis esse debeat piscator.

Cor-

(1) Expeditissimum retis genus, quod unus piscator jaculi instar jacit: nostri *Iacchio* indigitant, illius autem usus circa ostia fluviorum maximus est, & ubi vadum breve est.

(2) Alterum retis genus longum passus quadraginta, altum verò sex: hoc verò passus triginta a terris extenditur; Nostratibus appellatur *Rezzolla*. (3) Sic dicti, quia in orbem circumducuntur, & fortasse erunt ea retia, quæ stataria dicuntur, nostris *Rezze di Posta*, longa passus centum quinquaginta: solvuntur in altum quingentos à terra passus. Vespere autem jacitur, & per totam noctem stat mari, cum verò prima erumpit diei lux educitur. (4) Inter retia maximum, dicitur etiam Sagena, Nostris *Sciabica*, quo omnia piscium genera capiuntur. Longum passus quingentos, ad mille verò à terris jacitur: nec nisi à litore denis piscatoribus educi potest. (5) An sit quod nostri vocant *Tartana*, non ausim affirmare, verisimile mihi tamen videtur: est autem rete longum passus sexaginta, omne piscium genus concludit, etiam qui intra limum latent, radit enim limum, & arenas: illius usus præcipuus matutino tempore est. (6) Nostris Græco vocabulo etiam *Gangama* nuncupatur. (7) Erit fortasse quam Nostrates indigitant *Tartarone*, longum passus ducentos medio in mari solvitur, & à quatuor piscatoribus extrahitur secundo maris fluxu, & die illucescente.

Corpore magna quibus vis eſt, animique feroces,
Nativi ſpumoſa tenent dum cærula ponti:
Interdumque leves opus eſt æquare ſequendo.
Nunc verò in medios ſcabro de pumice fluctus
Mittere ſe, pelagoque diù durare profundo,
Ingentesque ſecare vias: ac ſub ſale vaſto,
Ceu terris habitare, graves & adire labores.
At nunc ex imo rurſus ſe reddere ponto
Saxa ſuper ſaltu, prædamque inferre caniſtris.

Quin etiam rerum ſit ſolertiſſimus uſu,
Ingenioque ſagax multo piſcator, ut omnes
Conjectare queat, fraudesque, dolosque natantum, — Et quam ſolers, & ſagax,
Retia cum ſubeunt, atque irremeabile textum.
Sitque manu promptus, caſuque interritus omni:
Vividus, ac ſomni patiens, patiensque laboris: — Et laboris patiens,
Atque Hyemem, rigidumque Jovem, ventosque malignos,
Et rapidos tolerare æſtus condiſcat, & imbres.
Æquor amet, nullumque recuſet inire laborem:
Mercurio ſic charus erit, ſic divite ſemper
Lætus erit præda. Sed jam quo tempore felix,
Expediam, captura. Fores cùm Veſper Olympi
Pulſat, vel primo cùm Lucifer emicat ortu — Quò tempore captura felicior,
Autumnum ſub pampineum venabere piſces,
At ſi Bruma riget, ſparſo dum lumine Mundus
Panditur, incipies ipſo cum Sole laborem:
Sed ſi Ver nitidum, laxandis commoda linis
Tota dies: ſummo ludunt nam gurgite piſces
Vere novo, & circùm cautes, & litora curſant,
Conjugii ſtudio, charæque cupidine prolis.
At verò ut Zephyris ridet vocalibus Æſtas,
Lina priùs pelago, quam ros fluat æthere, mittes.

Nec minor, alato ſpiret qui flamine ventus
Cernere cura: levis ſi ſit, placidoque flabello — Ventorum ratio habenda.
Oceani vitreas impellat leniter undas;
Horrida namque greges oderunt murmura muti:
Nec ſuper albentes ſpumis, ſtrepituque ſonantes
Ludere amant fluctus, ſcopulosque, & litora propter
Errare. At vento felix captura ſalubri
Semper erit; placidos optant examina ventos.

Inſuper, id non te lateat, gens ſquamea fluxum — Piſces adverſis aquis, ventoque natant.
Advenientis aquæ, & ſpirantia flamina contrà
Tendit iter, facilique ſecat ſtrata æquora curſu.
Quales adverſo perrumpunt aëra roſtro
Obnixæ ſub vento volucres, curruntque citatæ:
Nam ſecus à tergo premit aura, fugamque retardat. — Hinc quò ſitu ſolvenda retia.

Ergo

Ergo ubi Sythonio Boreas de litore ſpirat,
In medium piſcoſa diem jace lina: nivoſum
Sed contrà in Boream, rauco ſi murmure ſtridens
Finibus è Mauris Notus irruat: inque rubentem
Auroram, ſonat è nigro ſi Veſpere ventus:
Inque domos Zephyri, roſeo dum creber ab Ortu
Veloces citat Eurus equos, cœlumque ſerenat.
Nam ſic innumeri venient ad retia piſces
Sponte ſuà, gratoque gement ſub pondere ciſtæ.

His animadverſis, inſtat jam tempus aperto
Ire mari, & molles captare indagine prædas.

Piſcandi primus labor per naſſas.

At primus, facilisque labor demittere in altum
Vimineos caſſes, eſcamque includere junco.
Principiò naſſas pelago detrude profundo,
Atque ubi cæca dolum ſylvarum protegit umbra:
Nam ſecus undoſæ detecta fraude cohortes

Quibus in locis demittendæ.

Effugient; illis quando mens callida, & acre
Ingenium vitare dolum piſcantis, & aſtum.
Nonnumquam refert naſſam ſaxoſa ſecundùm
Litora, ubi denſis frondent arbuſta viretis,
Condere; namque illùc correptæ frondis amore

Quo tempore, & quando educendæ.

Sæpè ruunt acies, circùmque frequentiùs errant.
Quas veniente die demittis in æquora naſſas,
Has tu ventura pariter ſurgente reduces.
Veſpere ſi jacias, ſero jam Veſpere tolles.
Profuit interdum geminos ſub Doride Soles
Deſerviſſe; graves nam ſic venere ſub auras,
Et longam captura moram penſavit opima.
Nonnumquam quæ Sole vadum petiere cadente,
Illo etiam ſurgente, graves de gurgite ſurgant.

Sed quibus illecebris eſcarum, atque ubere ſucco

Quibus eſcis onerandæ.

Coniferos oneres caſſes dicamus. In igne
Carabon (1) edomitum, Polypumve, Chrominve doloſo,
Piſcator, junco impones: nam piſcibus illa
Eſca placet, gratoque ſimul nidore trahuntur.
Et ſale perdomitas multo detrudere Sardas;
Engraulesque potes: nihil eſt jucundius iſtis,
Fragranti quorum piſces capiuntur odore.
At ſi muſcoſo mittes de vertice filum,
Ipſe tibi figendus erit (2) lumbricus in hamo.

Et quibus armandus ſit hamus.

Quem priùs undoſa ſubter, venator, arena

Per-

---

(1) Cancri genus. (2) Vermis, quæ ſub arena naſcitur, *Verme del mare*.

Perquires scopulosve inter, scabrosaque propter
Saxa, frequens ubi cæruleo de semine surgit,
Quin etiam molles Aphyas, Squillasque rubentes
Pro dulci impones esca, illecebrisque dolosis.

Præterea cunctis non una est piscibus esca
Gratior, in prædam quamvis ruat ore voraci
Squamiferùm genus omne. Trahit sua quemque voluptas. Diversis piscibus variæ sunt escæ.
Loligo Caneris capitur, (1) Carideque Labrax:
At Thynnum Coracinus agit, Callychthida Thynnus,
Mænides Auratam: minio qui fulgurat Orphum
Dat miserum fato Mullus, dat Hiatula Sargum.
Insano in Polypos currit Muræna furore;
Anthias inque Lupum, mollemque Orcinus Asellum:
Et socium perdit Melanurum, & (2) Cyrrhida Perca.
Dat (3) Phagrum fato Channis, dat Carcinus illam.
At (4) Bocas Synodontes amant, Hippurus Iulum:
Hippurum Ziphiæ, Glaucumque ad flumina Mugil
Sponte trahit. Sic quisque suo se perdit amore.

Nunc age diversas fallendis piscibus artes
Præcipiam tibi, Piscator, fraudesque, dolosque: Varii piscandi astus.
Mugilis & primùm quæ sit captura docebo.
Ante tibi Mugil medio quærenda profundo
Fœmina, cui tenui lignum transfige labello, Et primum quo
Quo spartho religata trahi per marmora possit. Mugil fallendus.
Sed cave ne morti dedas, namque aptius illa
Tendet viva dolos, sociosque in funera pellet.
Hinc postquam in pelagus deduxsti è litore cymbam,
Remigio bini insistant, solertior alter
Captivam de puppe trahat per cærula filo:
Proximus huic alter ferro venator acuto
Stet vigil, atque data promptus re fortiter uti.
Eminus ut sociam spumosa è Doride Nestes
Aspexere, ruunt stimulis, æstroque furentes,
Collectique una circumstant undique, fraudis Mugilis nimia salacitas.. *Oppianus*, &
Ignari, luduntque hilares, blandisque morantur *Ælianus*.
Illecebris, majorque obtutu exæstuat ignis.
Interea, qui puppe sedet piscator in actam
Imperet urgeri lintrem citus, atque ubi pontus
Sub nitidis splendescit aquis, ut & agmina possit

Con-

(1) Parvæ Squillæ. (2) Idem qui Adonis à flavo colore sic dictus. (3) Idem ac Pagrus. (4) Eædem ac Boopes à boando dictæ. Box scribitur per ω magnum, Boos per o parvum. Lumbrici nobis etiam *Iscoli*.

Conſpicere, & certo ferrum intorquere rotatu.
Ut ventum eſt, remos inhibete: atque ilicet unus
Vimineam adducat reſtim: mora nulla, ſequuntur.
Igne mares acti ſociam, denſaque caterva
Deproperare illis amor eſt, dominamque tueri.
Tu jaculum citus interea, venator, acutum
Expedies, multamque feres de gurgite prædam.
Nam rigidus, quamvis iteres in vulnere vulnus;
Ob quam nece plectitur. Ac totum rubeat mare ſanguine, non tamen illi
Saucia terga dabunt, nimio ſed amore furentes
Sponte ruent, pulchramque petent per vulnera mortem.
Sævus amor, quid non hominum molliſſima coges
Pectora, ſi tantum torques prædura ferarum!
At non prætercam, quo certius agmina ferro
Aſſequerere: ſudem puppi defigere longum
Animadverſio quo facilius piſces feriantur. Cura tibi, circus capiti cui ferreus inſit:
Quo reſtis tranſmiſſa ſimul cum piſce trahatur
Longiùs è pinu: nam ſi ſtipata natantum
Turba peti certo poterit felicibus ictu.
Si ſecus, ipſa teget ſquamoſas cymba cohortes.
Non tu diſſimili, Piſcator, callidus arte
Aſtus non diſſimilis, quo Scari capiantur. Per ſpumoſa Scaros venaberis æquora pictos,
Dum captiva tibi candenti fœmina vinclo
Ore tenus raptatur aquis, non longius alter
Gibboſam juxta naſſam ferat, ilicet ingens
Turba Scarum properabit opem latura ſorori,
Qui & maximè ſalaces: *iidem Anthores*. Inſanæ Veneris ſtimulis agitata malignis.
Aſt ubi jam denſà puppim cinxere coronà,
Vimineam in fraudem captivam protinus infer;
Fatiferum ſubter dominam deſcendere caſſem,
Ut videre, dolorum ignari, actique furore
In labyrintheos contexti viminis orbes
Sponte mares adigent ſeſe: cœtuque frequenti
Captorum impletur latè irremeabile textum:
Difficileſque aditus, portæque arctantur hiantes:
Quin etiam affectat ſocium prævertere curſu
Quiſque ſuum, & cæco primum detrudier Orco;
Uſque adeo miſeros dementia torquet amantes.
Ergo adeunt latebras, maculoſaque texta volentes;
Et charam denſi circùm glomerantur amicam:
Fraus altera quo decipiantur. Sic & amore juvat periiſſe. Doloſus & alter
En modus: æquorea naſſam ſuperintege myrto
Plurimus, aut muſco: captiva hic fœmina plexis
Libratur juncis, ſcopuloſque abſconditur inter,
Quos celeri ſuevere Scari percurrere curſu,

Ut

Ut lætos carpant frutices. Hic illa frequentes
Advocat ad naſſam ſocios, quos Cypridis aura
Mollè agit, & teneros ſub pectore ventilat ignes.
Aſſiduè circùm perluſtrant undique naſſam,
Ignarique dolum perquirunt, & ſua Fata.
Ut tenuere aditus, & ineluctabile ſeptum,
Ilicet inſiliunt omnes, ceu cardine rupto,
Obſeſſam miles ruit interfuſus in arcem.
Ac veluti ſolers ſi quando texuit auceps
Ut aves ad fœminæ cantum.
Alitibus fraudem, densàque in ſepe canoram
Occuluit volucrem, quæ cantibus aëra complens
Dulce melos iterat, ſociosque in frondea texta
Allicit, inque dolos: accurrunt ilicet illi
Fœmineo acciti cantu: rapidoque volatu
Spontè dolos ſubeunt, vitamque in vimine ponunt.
Haud aliter maculoſa Scari ut venere ſub antra.
E quibus ignari ſuperas ſe mittere ad auras,
Venanti ſtant præda: cavo qui lætus ab alveo
Educet dextra piſces, ciſtamque replebit.
Quin etiam vel muſca Scarum trahit una: tenaci
Capiuntur etiam muſca infixa hamo.
Illam fige hamo, & pelago jace, namque reducet
Captivum tibi capta Scarum. Sed candida lacte
Sepia deproperat, quam non tibi vimina ſepti,
Ut capias oneranda, mari nec lina profundo
Qua arte Sepia fallatur,
Demittenda; ſuo quoniam capienda furore,
Quo flagrat infelix, ultro venit obvia. In undas
Devincta è curva laxetur fœmina puppi.
Haud mora, conſpectà properabunt cominus, & ſe
Cujus mirus in conjugem amor.
Implicitæ circum gyris glomerantur amicam.
Ac veluti innuptæ longo poſt tempore quando
Abſentem rediiſſe patrem videre puellæ,
Occurrunt lætæ venienti, & brachia tendunt
Colla per, & charos humeros, & mollia libant
Oſcula; ſic teneris illæ complexibus hærent,
Quas tu vel dextra capies, piſcator, amica.
At quia difficile eſt, medias ut viva per undas
Sepia de puppi filo devincta trahatur:
Animadverſio ut felicior actus ſuccedat. Accepta à Tarentinis.
Populea idcirco mirà confingitur arte,
Quæ veram forma referat, niveoque colore,
Innectuntque duo vitri fragmenta coruſci,
Clarior ut tremulo ſplendeſcat lumine Lunæ:
Utque mari credunt, chryſtalli lucida fundo
Obvertunt fragmenta: procul quo lumine viſo,
Accelerant ſponſi curſum: vicina tenentes
Piſcator circo citus apprimit: excita vitro

Nam si populeam conspectet Sepia fraudem,
Continuò fugiet numquam capienda. Sed illa
Inprimis sit cura tibi, venator, habenda,
Nimirùm Luna venatum exire nitenti,
Certius ut nitido discernas lumine veram.

Quo tempore Sepiarum piscatio.

At quo Signiferi veniat sub sydere major
Captura, expediam paucis: cùm portitor Helles
Surgit ab Oceano stellato in vellere fulgens,
Et cùm vicinus prætendit cornua Taurus,
Vere novo (nam vere ineunt connubia) prædam
Quæsitum venies tranquilla per æquora: verno
Vimineis illas venari tempore nassis

Astus alter illas decipiendi.

Sæpè potes, viridi nassas si fronde myricæ
Aut crebri frutices, densusque oleaster obumbret;
Namque dolos subeunt virides, & fronde sub ipsa
Mutua connubia, & dulces celebrant Hymenæos,
Donec captivæ in siccam ducantur arenam;
Vitæ ubi jam miseræ, cessantque cupidinis. O! qui
E patriis egressus aquis per litora repit;
Inque oleas inter intendit? vestigia nosco,
Cirratasque manus. Mira natura sagaci
Indidit ingenium Polypo, qui litora saxis
Dura tenet, Cœloque interdum gaudet aperto.

Mirus illius in oleā amor. Ælianus, & Oppianus.

Ardet amans oleam, glaucæque cupidine frondis
E patriis periturus aquis emergit ad auras,
Arboris insano (mirùm) torquerier igne,
Et desiderio rami, cui pectore nullus
Sensus inest, dulci nec responsurus amori est.
Sed quæ non miseros cogit malesana cupido!
Frigida sæpè, fera, & quæ non pateremur, amamus.

E mari egressus in oleam ascendit.

Quà refluos juxta fluctus, & litora propter,
Palladiæ surgunt oleæ, baccisque renident,
Osmylus arcano ruit irritatus ab æstro.
Ac velut obliquos gressus, & lustra ferarum
Per juga vestigant rapidi sylvosa Molossi
Nativis acti stimulis, & naris odoræ
Indicio, & damam, cum jam tenuere propinqui,
Dentibus apprendunt subiti, stringuntque tenaces.
Non aliter glaucam Polypus deprendit olivam,
Quoque loco vireat: vitreoque è Tethyos alvo
Emergit lætus, siccisque obrepit arenis,
Dives ubi baccis splendescit ramus olivæ.
Et cùm jam truncum propior successit, amicâ
Ingenti exultat studio radice potitus:
Et tenet, & circum sese convoluit in orbem.

Par-

Parvus uti puer advenientem rure paterno
Nutricem petit, expansisque amplectitur ulnis.
Hinc sursum prætendit iter, ferturque sub auras:
Calyculis fixusque tenacibus herbida serpit.
Perque comas oleæ, viridique in termite gaudet: *Perque ramos lætus obrepit.*
Atque hunc nunc ramum, nunc & complectitur illum.
Ceu quis ab externa in patriam Tellure reversus
Una omnes ipso collectos limine amicos
Excipit, inque ruens gremium circumfovet omnes,
Ac velut implicitæ, crebroque volumine quercus
Per medias serpunt hederæ, lætæque per omnes
Extensæ ramos ima ab radice plicantur:
Sic glaucam Polypus oleam strictissimus ambit:
Lætaturque sacro sub palmite. Tardus ad undas
Hinc se deducit patrias expletus ubi omnis
Palladiæ jam frondis amor, pelagoque quiescit.
Hunc morem Polypi edoctus, piscator, olivæ
Innectes ramo plumbum, mittesque sub æquor.
Assurget sacræ conspecta fronde Minervæ *Hinc olea capitur.*
Confestim ex imo Polypus, suctuque tenaci
Apprendet prædam lætus, mox præda futurus:
Scilicet è medio tolles si gurgite ramum:
Quem non dimittet, pereat licet, usque canistro
Quo positus, charo linquet sub termite vitam,
Non aliter peregrinus agit trans æquora Sargos,
Seù sit amor, mentisve furor. Verum est amor omnis
Vel dulcis furor, aut captæ fallacia mentis.
Hi teneras miro sectantur amore capellas. *Mirus Sargorum amor. Iidem Authores.*
Quis credat? socio discordes fœdere gentes
Jungit amor, surdosque vocat ad litora pisces.
Ergo ubi sylvoso descendit vertice montis,
Inque sinus, & curva greges ad litora Pastor
Pressat agens, vitreo loturus flumine Capras,
Sol inclinato cum jam temone rubentes
Pingit aquas, nimiusque Canis deferbuit æstus.
Ut simas raucà balantes voce capellas,
Accipiuntque sonum pastorum, sive cicutam
Aure bibunt, medio properantes gurgite Sargi,
Ad litus denso festinant agmine cursum.
Exiliuntque mari celeres, fusique per actam,
In teneras miscentur oves, saltuque petulco *Ad litus natant, caprasque excipiunt.*
Lascivos agitant lusus, festasque choreas.
Interea non visa stupet miracula pastor:
Piscis & ingenium, & mirum miratur amorem.
At non invitæ excipiunt squamosa capellæ

Agmina, nec vitreas renuunt ſpectare choreas.
Sed non lætitiæ Sargis modus: humida jactant
Corpora ludenti ſimiles, riſuque petulco
Oſcula lanigeris libant furtiva capellis.
Non tantùm caulis incluſi matribus hædi
Aſſiliunt, circùm diſtenta per ubera fuſi,
Cum pingues ſero redeuntes Veſpere paſtu,
Accipiunt geſtu læti, plauſuque coronant.
Verum cæruleo lotas de flumine capras
Paſtor ubi jam ſerus agit, proh mira cupido!
Lugentes denſo capras tum pone ſequuntur
Agmine, quæque valent mæſti dant ſigna doloris,
Ut calido piſces rorari flumine credas.
Neve ſequi ceſſant, ni cum venere natatu,
Litus ubi placido ludentem Tethya riſu
Accipit, & refluo cautes à rore madeſcunt.
Ceu cùm mæſta virum patria Tellure per altum
Inſequitur conjux abeuntem, atque ultima dicit,
Multa gemens, largoque humectat lumina rivo.
At miſeros tamen hæc Sargos inſana cupido
In fraudem trahit, & nimius nece plectitur ignis.
Ergo peregrino piſces in amore furentes
Hoc tu decipies aſtu, piſcator: ovilla
Pelle tuos operi, mos ut paſtoribus, artus:
Et gemina in geminis mox tempora cornibus apta:
At prius è Cerere, & caprino viſcere pultem
Conficies, cui gratus erit pinguedine nidor.
His actis, viridi florentes germine cautes,
Et quæ turrito conſurgunt vertice juxtà
Litus, & aurato ſplendeſcunt lumine Solis,
Quasque inter medio Tethys perlabitur æſtu:
(His etenim Sargi ſcopulis, & lumine gaudent)
Nudus crura pete, apricoque cacumine ſide,
Hinc hamo affixam duro da piſcibus offam.
Confeſtim pelago revocabit ab uſque profundo
Gratus odor Sargos, mentitaque ſigna capellæ.
Qui vitreo circum luſu, feſtoque natatu
Ignari accipiunt hoſtem, plauduntque rapinæ.
Aſſultantque alacres, & amicæ viſcera capræ,
Ore petunt, avidique bibunt cum fraude venenum:
Atque infelices transfixi guttura, tandem
Pro Paſtore lupum pellita in veſte latentem,
Pro tenero durum deprendent viſcere ferrum.
Ocyus abducto tremulis è fluctibus hamo,
Divite tum præda gaudebis Olympice: & omnes

Abeuntibus mox capris, dolent.

Hinc quo aſtu capiantur, & eſca.

Fortu-

Fortunata tuos scindet captura canistros;
Si velox operi incumbas, fraudesque dolosæ
Ignaros lateant pisces; si forte dolum quis
Percipiet, cuncti fugient, nec saxa, neque ullas
Amplius affectant escas: odere capellas,
Atque cibos odere, & aprici litoris oram.
Usque adeo violata fides se vertit in iram,
Inque odium deflectit amor: sed jam dolus alter
Insequitur, cautos possis quo fallere Sargos:
Et miseris amor ipse doli fabricator. Aperto
Lumine dum verno splendescunt tempore Soles,
Purpureusque calet sanguis per viscera, & omne
Alituum, pecudumque genus, turbæque natantum
Nativis intus stimulis, atque ignibus actæ,
Et desiderio prolis connubia quærunt,
Tunc non æqua mares exercent prælia Sargi.
Quique alios vitreo confregerit æquore victor,
Gallus uti, cunctis hic vir præponitur unus:
Fœmineoque præest cœtu, quem caute reposta
Occulit, æquoreis circùm qua frondibus ingens
Lentiscus floret, vel odoro germine muscus.
Quæ cùm sic habeant sese: de vimine textam
Has inter petras florentes occule nassam,
Atque aditum viridi myrto, laurove corona.
Nam postquam bello victor, prædaque potitus,
In scabrosa gregem compellit saxa, dolosa
Conspiciens sub fronde domum viridante cavatam,
Illuc fœmineum deducet nescius agmen.
Hoc subit: ipse fores custodit, & inter amicas
Non alium sinit ire marem, sed territat omnes
Horridus aspectu: cùm jam tentoria Nymphæ,
Implexosque dolos petierunt, ultimus ipse
Ingreditur, visitque specus lacrymabile Ditis.
Ac velut ad caulas, cum deserit Hesperus Oetam;
Lanigeri rediere greges: stat limine pastor,
Et numerum censet venientum, & singula lustrat;
At postquam immissis plenum est præsepe capellis,
Ultimus ipse subit caulas, atque ostia claudit:
Sic ubi fœmineæ nassam subiere cohortes,
Insilit ille, suo infelix periturus amore.

Nunc age, jam pernix hamo fallendus, & astu
Hippurùm properat chorus omnis. Inania ponto,
Quæ fluitant fragmenta ratum, quas horrida nimbis
Tempestas disjecit, & æquore sparsit aperto,
Hippuri inquirunt alacres: inventaque ligna

Detecta fraude, fugiunt, numquam fallendi.

Alter dolus quo decipiantur.

Et quo tempore.

Sargorum bellum.

Ælianus, & Oppianus.

Hippuri piscatio;

Ut Ratum fragmenta quærunt;

Agmine

Agmine sectantur denso: si dictya circum
Miseris, extemplo turba potiere frequenti.
Et ut capiantur. Sed tibi ne veniat prædæ tam dira cupido,
Ut levius periisse feras Aquilone carinas.
Hanc maris undisoni, & Cœli pia numina pestem
Navibus avertant, & amica luce benigni
Tyndaridæ: tranquilla rates per cærula currant,
Et semper ventis sinuentur lina secundis.
Quare alios meditare dolos, quibus humida fallas
Agmina, turritæque secent placida æquora pinus.
Fragmento è multo tabularum, aut vimine fascem
Falluntur fascibus vimineis, quos amāt. *Citati Authores.* Vorticibus super imponas, quem pendula subter
Saxa trahant, unaque vadis agitentur aquosis.
Hippuri ad notas imis è fluctibus umbras
Ilicet accurrunt læti, densique residunt
Fasce super viridi, atque umbra potiuntur opaca.
Tum ferro citus accurres, escaque dolosa:
Ignarosque neci dedes. Sub imagine Cymbæ
Et Pompilus sub Cymbæ umbra. (Namque olim piscator erat) hoc Pompilus astu
Fallitur, & Sortem rursus sibi sentit iniquam.
Disce, puer, molles sinuosi ad litoris oram
Turrito insidens saxo, vel in arbore longa,
Quo loco, & astu Anguillæ capiuntur. *Oppianus.* Quam crebrò excussam vectarunt flumina Coris,
Anguillas extis immisso occidere vento.
Pinguia caprarum, cubitisque extensa quaternis
Intestina mari demitte, orique supremo,
Quod teneat tibi dextra, puer, priùs insere frustum
Non longum calami. Conspectis ilicet extis,
In prædas Anguilla fame ruet acta voraci:
Apprendetque leves hamatis dentibus escas.
Intestina peti cùm senseris, illa tumenti
Protinus ore cava replebis arundine vento,
Anguillæ in fauces qui cùm pervenerit, omnes
Confestim prohibet vitales ætheris haustus,
Seseque intrudit violentus: at illa tumescit,
Et satura infelix aliena deperit aura.
Fallere si cupies hamo, lumbricus adunca,
Vocalisve tibi figatur cuspide rana.
At magnum Batavis capturam terreus affert
Ut à Britannis fallantur. Lumbricus, multos glomerato colligit orbe
Piscator, noctisque udo sub sydere subter
Mittit aquas, subitæque leves ad pabula currunt
Anguillæ, & teneros complexæ dentibus angues,
Sese ipsas, læto dum gaudent, viscere perdunt.
Sed Mamertinà qua nunc venaberis acta

An-

Anguillas hastu, puer, accipe: Creber ad undas
Ionias devexus, aquisque uberrimus amnis
Extremo passim præterfluit Apennino:
Inque Thetin trahit Anguillas, queis divite vena
Rhegini pinguent amnes, & amœna fluenta.
Hæ sale cæruleo, spissaque uligine ponti
Ubere pinguescunt læto, dulcique sapore,
Quo vel Chaonios pullos, & Phasidos ipsas
Laudatas Grajo vincant sermone volucres.
Jam verò instructus cono Sicana subito
Litora, ubi molles (1) Apyreni crebriùs errant.
Nam Sicula, ut perhibent, per saxa frequentiùs atrum
Attondent limum, & refluis lactantur ab undis:
Hesperium rarò lustrant latus, unde profectæ
Trinacrios prono subjerunt flumine fluctus.
Atque udo quoniam somnos in litore carpunt;
Quæsitum prædam venies, cum sydera Cœlo
Labuntur, tacitoque volat vaga Delia curru:
Et tædam tibi læva feret: pes unus & undas
Vix ciat, & tacitus vix supprimat alter arenas.
Utque soporatam deprendis lumine, circum
Desuper impone, & dulces una excute somnos.
Namque excita sono, facibusque exterrita textum
Anguilla in conum fugiet peritura: cavato
E trunco capies astu, piscator, eodem.
Sæpè etiam poteris dentato figere ferro.

Nunc age, torrentes inter, rivosque sonantes
Pinguis ubi Anguilla, & fæcundo nascitur ortu
Plurima, qua solers fallas, puer, arte, docebo.
Arboreis hinc inde comis, seu vimine denso,
In medio geminas attolles flumine sepes,
Quæ se inter spatio distent majore supernè,
At stricto inferiùs coëant mucrone, ubi textu
Compactam tenui excipulam, nassamve locabis:
Nam cùm devexo descendent fluminis alveo
Anguillæ, pleno replebunt agmine cassem.
Non tamen id te prætereat, purissima longo
Principio turbanda tibi sunt flumina conto.
Nil puris piscamur aquis: dant turbida prædam
Flumina. Sed, Cœli veniat quo sydere felix
Expediam, captura. Cavis da flumina nassis,
At-

Freti Siculi Anguillæ optimæ.

Ut illas piscentur Siculi.

Quo pacto excipulis capiuntur in fluviis.

Quo tempore uberior proventus.

(1) Anguillæ exosses, quæ loco spinæ cartilaginem habent, eamque teneram adeò, ut in cibos etiam appetatur.

Attolluntur aquis cùm Plejades Atlanteæ:
Aut cùm ſe vitreo redeuntes amne recondunt:
Nam tunc cæruleo turbato è gurgite limo,
Inſincerus aquis decurrit in æquora rivus,
At quoniam celerem ſalſa de Doride cymbam
Egimus, & dulces fluviorum currimus undas,
Non te, Trutta, ſinam rivis impune vagantem.
Autumno, molles dum preſſat vinitor uvas,
Mitiaque agreſtes decerpunt poma coloni,
Autumno Truttæ fœtificant. Cùmque frequens captura; vado ſuevere ſonanti
Exiguas aperire ſcrobes, quibus humida ponunt
Pignora, dum radio fulget Lucina benigno.
Et qua tunc arte perquirantur. His igitur ſcrobibus tenera cum prole latentes
Fulgentem referens tædam, ſub nocte profunda
Aggredere: actutum ſtupefactæ lumine Truttæ
Immotæ caveis hærebunt: tu citus arma
Expedies, ſtolidasque neci da plurimus. At cum
Ut manibus à Britannis capiantur. Seſe jam dubiæ rupere crepuſcula lucis,
Ales & invitat cantu criſtatus Eoum,
Dite domum præda venies. Diviſa Britanni,
Qui trans Oceanum, gelidoque locata ſub Axe
Regna tenent, manibus Truttam de flumine carpunt,
Dum ſe flumineæ condunt radicibus alni,
Aut virides inter ſalices, cannasque paluſtres.
Paulatim digitis piſcator molliter alvum
Defricat, & ſenſim palpando repit in ipſas
Cæruleas branchas, ſubitusque apprendit; & illa
Blanditiis decepta viro fit præda Britanno.
Muſcas amant, *Geſnerus.* Præterea miro muſcæ capiuntur amore
Pellectæ radiis, & verſicoloribus alis:
Idcirco per ſumma volantes flumina muſcas
Venari Truttis amor eſt; quas veſcier auro
Auro etiam veſcuntur. Interdum perhibent, roſeumque inhiare colorem:
At quia punicei pariter cum luce rubores
Diſpereunt, caſſas oderunt lumine muſcas.
Confictâ falluntur muſcâ. Idcirco roſea muſcas effingere lana
Proderit, & virides gallorum adnectere plumas,
Aut pictas auro paleas, ſeu lucida Serum
Vellera, & efficta ferrum celare volucri:
Nam ſic mentita captabis imagine Truttas:
Ut Thymallus. *Geſnerus.* Et viridem læto capies Semptembre Thymallum;
Namque etiam muſcas perhibetur amare Thymallus:
Non ſecus Auſtrini currunt qui cærula Nerei,
Ingentes fallunt Amias, quæ Doridos Afræ
Regna ſecant alio Mundi projecta ſub axe.

Illis

Illis, ut perhibent, amor unus, & una cupido
Summa per Oceani volitantes æquora (1) pisces
(Qui cycnos alis, cycnos candore lacessunt:
Et si vocales potuissent vincere cycnos)
Venari, captisque frui felicibus escis.
Tales idcirco fingunt mentita volucres
Corpora, quæ puppi ferro defixa redunco
Appendunt. Amiæ conspectis ilicet ollis
Accurrunt alacres, captæque cupidine prædæ
Veloces ipsas resequuntur ad usque carinas:
Ficta ubi pennati capiuntur imagine piscis.

Tachardus in itinere Indico.

Sed neque, (2) SANBLASIDE, sileam felicia (3) Crathis
Dona tui, Truttas: nec qua piscator amicam
Arte tibi Calaber prædam petit. At mihi carmen
Suffice, namque potes: felicior indita quando
Vena tibi, nostrisque volens da rebus honorem:
Dum te Crathis habet regnata ad flumina, & ipsæ
Inter læta tibi properant convivia Truttæ.

Ad Sanblasidem apostrophe.

Auratis distincta notis, & viscere dives
Trutta secat flavo currentem flumine Crathin:
Puniceis & aquis, & fulvo pascitur auro,
Idcirco vivo per tergora fulgurat auro,
Sudaque cæruleo radiat velut æthra colore.
Hanc ut Piscator comprendat, flumine vallum
Excitat è saxis, ripamque extendit ad ipsam,
Qua fluit obliquus, retròque revertitur amnis:
Hic placido velut in portu tranquillior unda
Sternitur: inque illum fluvio obluctata recurrit
Trutta sinum: ferro quam mox Piscator acuto
Sive manu, linove capit. Per flumina calcem

Crathis Truttæ.

Ut illas piscentur Calabri.

Utque calce stupefactæ capiantur.

 Dis-

(1) Pisces ex Hirundinum genere, qui anseris magnitudine, cycnis rostro, & colore similes circa ultimum Africæ promontorium, nobis Acronoton, vulgo *Bonæ Spei* dictum frequentes sunt, ut ad Brasiliæ litora; imo & in toto Atlantico mari. (2) Ignatius Sanblasius, & generis splendere, & literis conspicuus: nec non & Latinis, Hetruscis, Patriisque Musis facundus: ab hoc Vates Consentiæ primùm, cùm junior humanis literis juventutem erudiret, mox Neapoli severioribus addictus studiis, summis beneficiis affectus est: idcircò hoc grati animi monumentum, quodcumque sit, posteritati ponit. (3) Calabriæ fluvius Consentiam interfluens, cujus aqua loti flavent capilli: cujus & uberrimæ Truttæ sunt.

Dispergunt alii: qua Truttæ protinus ictæ
Dispereunt, cassæque super nant lumine rivos.
Calcis odor Truttis gravis est. Sed amica canentem
Vulturni ad virides compellant flumina ripas,
Et pingues Capuæ campi, collesque Typhatæ,
Quo tempore, quove modo Alosæ capiantur. (Partheniis quondam statio dilecta Camœnis)
Et Majo captare graves hortantur Alausas.
Has, puer, excipula primùm venare capaci,
Aut nassa. Texto sed si comprendere lino
Mens avet, expediam paucis, artemque, modumque.
Principio geminos, curvosque adnecte tigillos,
Inque crucem compone, quibus sit desuper alter
Adnexus nodo medius, truncoque revinctus
Machinæ descriptio. Transverso: in longum, qui parte extenditur illa,
Quà ripa firmatur, aquis quà mergitur udis,
Illum fune liga & paxillum fige virenti
Margine, vel medio surgit quà flumine vallum:
Machina cui nexu sociatur nobilis arcto.
Quatuor extremis tignorum adstringe quadratum
Mox linum, puer, & gemino duo cornua fune
Ultima devinci: paloque crepidine fixo,
Extensos religa funes, qui retia firment.
Ergo ubi piscatum fluvio descendis, in undas
Retia mitte, puer, juxtaque in lintre sedebis,
Aggere vel medio valli: lorumque teneto,
Machina quo trahitur, & quo demittitur alveo.
Cumque gravem prædâ cassem deprendis, in altum
Attolle, & captam textu citus arripe Thrissam.
Demittes iterum mox retia. Verùm age fluctus
Æquoreos prono rursus torrente petamus:
Anthiarum piscatio. Tempus & Anthieon mirandos dicere mores,
Et qua fraude Cilix, celebrem qui navibus urbem
Corycium (1), clarique tenet (2) Sarpedonis actam,
Et scopulos qui lustrat odoriferos (3) Elæusæ,
Non uno pictos comprendat flore natantes.
Principio vivis resonantia saxa cavernis,
Ut dociles primum reddantur. Et latebra observat piscator scissa frequenti,
Quæ circùm læti cursu Callichthides errant:
Huc agit ille ratem de litore: & orbibus altum

Fa-

(1) Vulgo *Churco*, dicitur etiam Corycus, urbs Ciciliæ, quæ Barbaris dicitur *Caramania*, patria Oppiani.
(2) Promontorium Ciliciæ propè ostia Calycadni.
(3) Insula contra Corycum quæ & Elæussa, vulgo *Corcu*.

Fagineis ciet illisa de puppe fragorem:
Quo pisces gaudent strepitu, subitique recurrunt,
Et circum turba lintrem glomerantur ovanti.
Haud mora, vir Percas, nigrosve in cærula Corvos,
Pabula grata, jacit, primùmque his fallitur hospes
Muneribus: vorat ille dolosam dentibus escam,
Et decaptori risu blanditur amico.
Id facit assiduè veniens ad saxa: neque unquam
Intermittit opus, nec pabula cessat aquosis
Hospitibus præbere: citi qui gurgite ab alto
Accurrunt, noto veluti rectore vocati.
Non scopulos quærunt alios, non pascua; sedem
His certam fixere locis: velut inter ovile
Hyberno clausæ stabulantur tempora capræ.
Ergo ubi pernici prospectant abiete cymbam
Eminus altricem properare à litore, ponto
Confestim ex imo surgunt, cœtuque frequenti
Accurrunt hilares venienti, & per vada summa
Nutrici applaudunt choreis, festaque corona.
Ac dulcem veluti pullis implumibus escam
Garrula cùm Zephyris, & prænuncia Veris hirundo
Devectat: nido consurgunt ilicet olli,
Atque leves fundunt voces, plausuque parentem
Excipiunt, rostroque petunt de divite prædam.
Haud secus in media faciunt Callichthides unda,
Cùm properat piscator, opimaque fercula vectat.
Hic manibus mulcet blandus, palpatque natantes,
Et docet oblatis animos mitescere donis.
Et parent illi faciles, & jussa capessunt:
Obsequiosa duci velut agmina: quàque jubebit
Vertere se, celeri certabunt ire natatu.
Hos ille in puppim contendere præcipit: illos
In proram: refluisque alios succedere saxis:
Ante sed hos cymbam consistere: Protinus omnes
Aspicies, veluti pueros, dum membra palæstris
Exercent, pronos noto parere magistro.
Ast ubi blanditiis docti auscultare vocantem,
Atque ætate graves, niveoque abdomine læti:
Tempus & impensum quæstu relevare laborem:
In fluctus saxum vir projicit: ilicet omnes
Ore petunt prono fundum, prædamque requirunt:
Nam prædam de more putant: tùm desuper unum
Quem grandem puer, & felicem fumine vidit,
Stare jubet, Percaque latentem porrigis hamum.
Anthias in noxam ruet ocyor: ille sed uncum

Extrahit, & præda gaudet festivus adepta.
Sic reliquis potietur, erit si callidus astu,
Et citus educet medio de gurgite ferrum:
Nam si forte dolum deprenderit unus, ibi omnes
Effugiunt, scopulosque odere, & pabula, & undas,
Et fraudem piscantis. Age te bella docebo,
Alter piscandi modus.
Grata magis si bella, brevemque impendere curam
Præstiterit. Gemino ferrum mucrone rigenti
Expedies, validoque ligabis vimine ferrum.
Inque lupum medio pinguem mucrone locato,
Qui tibi vivus erit: fuerit si mortuus, ori
Suppones plumbi cubum (cognomine dicunt
Delphinum) sic ille caput demittere pronum,
Et similis vivo poterit nutare per undas.
His actis, ubi conspectâ de gurgite præda,
Anthiæ ab Oceano consurrexere frequentes,
Tunc socios celerare fugam, sensimque reduces
Ipse manu funem: confestim ponè sequentur
Spe prædæ, & celeri sese prævertere cursu
Certabunt squamosa manus: velut æquore aperto
Festinant læti juvenes contingere metam.
Quem nitida ardentem squama, & pinguedine latum
In ventrem, puer, aspicies, comprende dolosis
Artibus, hamatam demittens fluctibus escam.
Ille avido bibet ore necem: sed protinus hamo
Ut se discerpi sentit miser, æquore toto
Indignatus agit magno stridore procellam:
Et furit, & bifida discindit marmora cauda:
Nititur inque imum descendere, vique rudentem
Scindere: tùm socios jubeas incumbere remis:
Et quamvis stridat tibi funis, & undique sanguis
Distillet, ne cede, trahitque è gurgite quantùm
Vi piscis, contrà è puppi tu nitere tantùm.
Robore quò tandem domito, captivus ab unda
Auratarum piscatio.
Concedat tibi præda. Sed ubere dives odoro,
Insignisque notis Aurata, & concolor auro
Piscantem vocat, & trepidis se subiicit alis.
Ergo pares ubi Libra diem partitur in horas,
Quo tempore fiat.
Quotque dedit Phœbo, totidem dat habere sorori:
Et juxta sequitur splendenti Scorpius astro:
Cumque æstu tumet æquor, & altius invehit undam,
Et simul aggestæ cumulos devectat arenæ,
Qua arte.
Paxillos, veluti ramos, in litore fige:
Frondibus & lætis illos redimire memento.
His actis, discede. Novus cum defluet æstus,

Im-

Imbelles feret Auratas, ſtagniſque remittet.
Hinc verò ut fugit, alternumque reciprocat æquor,
Deſerit in ſicco nudatos litore palos;
Et refluens rauco frondes agit unda ſuſurro.
Territa quo mediis hærens Aurata lacunis,
Non audet patrio rurſus ſe reddere ponto.
Tu trepidas invade, puer: his artibus omne
Squamigerùm genus Arctois venantur in oris,
Quà crebrò fugiens cum Nereos unda reſedit,
Piſcator nudos miratur litore piſces.

Sed quo decipitur, quo ſe defendit & aſtu
Cæruleus contrà Paſſer, non carmine multo
Expediam: primò piſcantem ut ſentit, in imum
Gurgitis immerſus deſcendit, & hæret arenis.
(Terreus ipſe color favet aſtu) & verbere caudæ,
Ne videatur, aquas perturbat: acerbaque vitat
Fata: puer tali contra ſed decipit aſtu:
Qua Tellus demiſſa ruentes æquoris undas
Accipit, & molli circùm ſtipatur arena,
Ille hic, rauciſonæ cùm jam ceſſere procellæ,
Detumuitque vadum, preſſis veſtigia palmis
Imprimit, & foveas Telluri plurimus udæ
Altius inſculpit. Vicino à gurgite Paſſer
Ut venit, foveis ſeſe abdit: tutus & atrum
Attondet limum, roremque epotat amarum:
Mox inter ſomnum diffuſus carpit arenam.
Tum vigil è ſpecula puer advolat, & tenet illum.

Non aliter (1) Pſeptas, & duris (2) aſpera ſaxis,
Quæque rigent denſis Rajarum (3) corpora ſpinis,
Viſuroſque ducum captant convivia Rhombos;
Plurima, quos Tethys dat Belgica, datque bicornis
Rhenus in Oceanum præceps quà labitur, & quà
Reddit aquas, urgetque ferox vicinia Scaldis.

Sed qua Loligo capiatur, fune ſagittam
Contorto facies, cui crebros deſuper uncos
Inter ſe adverſo nectes mucrone propinquos:
Pendenteſque æris celabis Iulide morſus.

Paſſeris aſtus.

Qua fraude capiatur.

Loliginis piſcatio

Inde

---

(1) Alii Rhombum, alii Paſſerem ipſum faciunt: erit fortaſſe ex illorum genere: niſi Pſetta genus ſit ad utrumque; nam ambo ſub Pſettæ nomine ſæpè veniunt: & Græci noſtri temporis Rhombum Pſettam vocant.

(2) Raja clavata, noſtris *Raja petroſa.*

(3) Altera ſpecies ſpinoſa, *Raja ſpinoſa.*

Inde mari virgam suspende: voracior escam
Dum capiet Loligo dolo capietur, acerbumque
Haud equidem fugiet, quamvis sit pallida, Fatum.

Ejusdem altera.

Alter, oliviferas didici quem nuper ad oras,
Optata dum pace fruor, Phœboque favente,
Piscanti faciles veniunt ad carmina Musæ,
En, puer, astus, erit multo qui fertilis usu.
Populeum, parvumque prius compone cylindrum,
Subter & incurvis munito plurimus uncis:
Anchora ceu radiis circum stipatur: & illum
Longior accipiat non uno linea nodo.
Hinc ubi piscatum pelago procedis, agrestis
Unge bovis multo tornatum abdomine lignum.
Namque illecta ruet Loligo, ictuque cruento
Pulsa cadet, radios dum propter ludit acutos.

Et Sargorum alia.

Hic etiam, dum saxa frequens muscosa pererro
Ingenuos inter juvenes, & frigora capto,
Edidici, Sargos nautæ qua fraude requirant,
Queis nostri è (1) strictis fecerunt nomina labris.
Et labor est etiam jucundus, ut omnis in illo
Exercere queat sese vir nobilis, oti
Gaudia dum ruri liber genialia carpit.
Non longam puer umbroso de vertice virgam
Cædit, & alterutrum ferro caput armat adunco.
Atque Aphya tegit æra: quibus sic ritè paratis,
Undosos quærit scopulos, latebrosaque saxa,
Quæ Sargi coluere: foramina perque canora
Callidus intrudit virgam: quam Sargus hianti
Dum citus ore petit, vivo de pumice currens
Transfixus ferro capitur: lætatur & ille
Se multum facili quæstum fecisse labore.

Ut Acus bovum extis capiantur.

Si, piscator, Acos affectas fallere filo
Intestina bovum pro ferro mollia vinci:
Exta Sudes quoniam perhibentur amare: sed illis
Ut dente avidæ morsu fixere tenaci,
Haud facilè removere queunt, cum protinus alto
Piscator tremulam tollit de gurgite cannam.
Palladis ad rupes hac fallunt arte frequentes,
Qui Lubræ montana tenent, Pollique recessus,
Et qui Teleboùm pictis vicina phaselis
Salsa secant: generatur Acus quà plurimus undis
Grandis, odore fragrans, & viscere dives opimo.

In-

(1) Altera Sargorum species, quos nostri à strictis labris appellant *Saraco*, & *Sargo stretto*.

Interdum tantæ molis crevere (1) Belonæ
(Usque adeo fœcundus aquis Neptunus) ut ipsos
In Gladios mucrone ruant, cædemque minentur.
Dum Surrentinis felicibus otia campis
Læta traho, Cœloque fruor simul æger aprico:
Mane levi cymba cùm litora propter amœna
Ducentes socio ducentia retia pisces,
Dyctia post filum Nereo venientia mitto:
Si fors Mænarum Dentex correptus amore,
Aut Synagris, Sargusve hamis occurreret uncis:
Vix dederam: medio trepidare in gurgite suber
Aspicio: feror extemplo, restimque reduco.
Principio longum paulatim surgere truncum:
(Namque videbatur rostrum ceu truncus) & illum
Conviciis dum sector, aquæ fremere undique circum
Incipiunt, restimque trahi: tum plurimus ad me
Vi retraho, sociumque voco: citus ille tridentem
Acer agit venator: Acus transfigitur ingens.
Qui ni tunc subito cecidisset saucius ictu,
Vertissetve mari lintrem, funemve secasset.

Acus miræ magnitudinis capta.

Sit quamvis toto semper laudandus in anno
Mollis Acus, tamen Autumno dulcissimus ille
Venatus quando pariter Loliginis uber.
Tempore quo patriam non quisquam durus in Urbem
Me revocet, clamosa silet dum Porticus, & dum
Annua recessus Musæ solennia poscunt.
Est nitidæ queis urbis amor, gaudentque tumultu,
Tecta colant augusta, foroque licentius errent:
Et bibulas vanis pascant rumoribus aures.
Quique vaporiferi per rura ambusta Vesevi
Degere amat, gestitque locis, turbaque clientum,
Sosias (2) hunc habeat nigris circumsita lucis,
Et cœtus hilares sociorum, & jurgia (3) Pontis.

Quo tempore Acus, & Loligo capiantur.

Me

(1) Eædem qui Aci Græca nomenclatura. (2) Rus Colleg. Neap. S. J. cui à Divo Sosio nomen, ad Vesuvii radices, quà Nolam spectat situm: saluberrimi quidem cœli, solique feracissimi, ex quo generosissima vina, omnisq; generis fructus uberrimi proveniunt, inamœnus tamen, inelegans, atque inter densissimas populorum umbras, quibus vites maritantur, penè consepultus: quia verò à turbis semotus, victuq; comparando opportunis annuis vacationbus delectus. (3) Celeberrimus Sosiani pons, ex quo in hortum descensus patet, in hunc socii confabulatum conveniunt, eruditisque jocis, jurgiisque, hilariores indulgent.

Massæ ad delubrum laus.

Me Sanctum Elysium Lubræ, me' collis aprici
Prospectus, tepidæque juvent in vallibus umbræ:
Me scopuli, argutumque sonant quæ litora fluxu,
Udaque muscosis delectent rupibus antra.
Hic pax, hic niveæ inculpata licentia vitæ,
Et raros inter juvenes sincera voluptas.
Nam me non animi spes vanæ, & inania vota;
Nec favor instabilis vulgi, plaususque theatri,
Nec fœda ambitio movet, urbanique tumultus.
Gaudia pacis amo liberrimus: o! ubi, qui me,
Lubra, tuum nemus, & felices sistat ad undas
Regna (1) inter Sirenum, & fortunata Minervæ
Culmina; dives ubi fastu Natura superbo
Luxuriat, centumque simul miracula jactat;
Illa hic omnigenis depingit floribus arva,
Æternis colles oleis investit: & agros
Vitibus, & circùm pomis flaventibus ornat.
Hic nitidis lætas fœcundat piscibus undas:
Litora prætexit scopulis, scopulosque virenti
Gramine: & umbrosas in rupes excavat antra.
Hic vitreis, riguisque recurrit fontibus: atque hìc
Perpetuò Cœlum Zephyris vitalibus afflat.

Ubi sibi Vates otium optat.

Salve, ò læta parens pacis, mollissima Tellus;
Deliciumque animi, & custos secura quietis,
Solaque Pieriis domus opportuna Camœnis.
Te, dum vitali gaudebit spiritus aura,
Sancta colam Tellus Autumno divite, colles
Cum gravibus læti ramis umbracula texunt:
Cum placidi rident fluctus, & leniter auris
Aspirant Zephyri, rauci post longa Lycæi
Jurgia, donatus Musis, genioque paterno.
Lubra meæ semper Musæ, pacisque sequestra.
O fortunati, quibus accidit illa voluptas!
Nam seu per colles errent, & vertice ab alto
Omnem regifico spectent Cratera theatro:
Seu riguas inter valles, & opaca vireta
Aucupio fallant volucres: aût fronde residant
In viridi, fontes juxta, lapsusque canoros
Aure bibant: vel manè citi per compita cursent
Hortorum, & cujus quærant sint poma saporis:
Sive coronatis perlustrent litora lembis,

Atque

(1) Surrentum, quod olim Sirenas tenuisse ferunt, unde & nomen accepit.

Atque leves captent Zephyros: vel piſcibus uda
Inſidias de caute ſtruant fallacibus eſcis:
Quæ non concipient felici gaudia mente.
  Sed priùs exhauſtos curſu quam rupis ad umbram
Ire canes, paulumque ſinam requieſcere, aprici
Miſeni juvat in ſaltus penetrare repoſtos,
Dives ubi ſtat præda cavis concluſa lacunis,
At mihi tu dexter tanti ſub fine laboris
O adſis (1), THEODORE, novasque in carmina vires
Suffice; piſcatum ſi quondam venimus ambo:
Atque volens noſtro favit Fortuna labori,
Venatumque Deæ ceſſere Lucrinides amplum.
Hinc alta ſub rupe, vagique ad murmura fluctus,
Et virides juxtà ſcopulos convivia læti
Struximus, Actiacis non aſpernanda Camœnis.
Prima Palatini venere ad fercula Mulli
Purpureo dites villo: poſt inde marinæ
Perdices, Rhombique locum tenuere ſecundum:
Flavus odorato medium ſibi jure popoſcit
Scorpius, & caules immixti jure tenelli.
Hinc geminus Cerere incruſtatus Mugil opima,
Et pinguis ſucco, cannaque inſignis odora
Expectatus adit: poſtremaque venit ab igne,
Igne ardens patrio, & nativo vivida fuco
Aurata, & menſas eſt juſſa præire ſecundas.
Quas & odorifero Solenes jure madentes,
Oſtreaque, & roſeo prægnantes ubere Echini,
Et Balani fecere: quibus dant ultima finem
Ammericum latè ſpumantia pocula nectar:
Atque peregrino mens ægra levatur odore.
Nulla mihi, Muſisque dies celebratior illa
Illuxit: nec erit poſthac felicior ulla.
Intereà, quoniam labor inſtat, amica canenti
Nominis aura tui, juſſisque adſibilet orſis;
Claudere opus cœptum quo Vates poſſit oliva.
  Haurit inoffenſos ubi ſtricta per oſtia fluctus
Lucrinus (2), Miſene, tuos, ſtagnisque remittit,
Piſcator longos defigat gurgite palos,

Ad THEODORUM Apoſtrophe.

Elegantis prandii deſcriptio.

Ut in Lucrino piſces comprehendantur.

(1) THEODORUS Comes Barbovius vir factis, & genere illuſtris, ſummusque militiæ Præfectus: Lege Piſcatoria noſtra Ecloga XI. (2) Campaniæ lacus, in quem ſinus Puteolanus per Miſeni portum influit, maximè piſcoſus, noſtri quoniam inerti aqua ſilet *Mare morto* appellant.

Desuper & secto consternat robore pontem,
Hinc ubi tempestas piscatu prima refulsit
Opportuna (Et erit tibi tunc, cùm sydere ab alto
Trojanus retrò juvenis cratere refuso
Decedit, Venerique locum dat habere secundum)
Ingreditur cùm turba lacus squamosa Lucrini:
Fœcundumque inter limum, cannasque palustres
Luxuriat, pinguetque udum depasta viretum.
Ut primum cœtu fluctus subiere frequenti,
Defixos inter palos è vimine sepes
Tum, puer, aggesto facies, aditumque recludes.
Nam mox in patrium cùm pleno examine pontum
Incipient properare, tibi piscosa replebunt
Retia, vel nassas, si tu piscabere nassis.
Exin pande fores diffuta sepe, cohortes
Rursus ut æquoreæ Lucrini in stagna recurrant.
Utque iterum petiere, lacu nodosa recluso
Si solves tua lina, puer, spolia ampla reduces.

Et ut in Argide palude,

Non secus Armeniæ qui (1) stagna sonantia circum
Rura tenent, pisces vicino è flumine carpunt.
Montana de rupe fluit pellucidus (2) amnis,
Qui longo anfractu valles emensus opacas,
Immixtus liquida confunditur (3) Argidos unda.
In summis cum Vere jugis nix solvitur, & cùm
Dives aqua, magnoque celer ruit agmine rivus,
Argi, tuæ linquunt tum (4) Chalcides antra paludis,
(Chalcidibus forma similes perhibentur, & ostro,
Medorum qui stagna secant ditissima pisces)
Densisque irrumpunt vicina in flumina turmis;
Et pingui lætantur aqua, rivoque sonanti.
Quadraginta vagis ubi Soles cursibus errant.
Ut fluvium squamosa manus subit omnis, aquosi
Armenus extemplo rivi puer ostia claudit
Aggere vimineo, vel cæsa è fronde salicti.
Inde lacus patriæ repetentes Argidos, ipsis

Edu-

---

(1) Armeniæ, Mediæque palus Argis dicta, Straboni Mantiana: nunc barbaris *Lago di Van* ab urbe, quam alluit.

(2) *Bedmaci* incolis appellatur, qui in Argim se exonerat.

(3) Palus modo dicta. (4) Nonnulli Trichidas, & Sardas faciunt: ex quo genere sunt, quæ exiccatæ ab Oceano Germanico devehuntur, vulgo *Saracbe* dictæ, his similes Mantianæ paludis pisces sunt, ut refert Tavernerius in suis itineribus.

Educunt fluvio palmis, plenoque caniſtro.
Et quamvis ingens frugis proventus aquoſæ,
Vectigal nullum ſolvit gens libera; quando
Fas avidos quamquam vetat æs depoſcere Thraces.
Namque olim Odryſius cùm cogeret æra tyrannus
Pendere piſcantes, fama eſt, pro piſcibus angues
Lina venenatos turbato è fonte tuliſſe.
Scilicet indignata parens Natura tributum
Solvere, quæ cunctis communia fecit, in angues
Chalcidas ire jubet, dominoſque reprendit avaros.
Hinc ò vos avidi vectigal diſcite nullum
Ex his extorquere, quibus jus omnibus æquum eſt.
Sed jam venatu è multo revocare Moloſſos
Tempus, & optatam deſcendere rupis ad umbram.

Piſces præ avaritia in angues mutati.





HALIEUTICORUM
LIBER QUINTUS.

Nunc age, piscosum solvamus in æquora linum
Euboicum juxtà litus, dum murmure leni
Eoæ aspirant auræ, nitidaque quadriga
Perlustrat rediens totus Sol aureus Orbem:
Ipsi & spumoso venientes agmine pisces
Invitant: flavoque nitens de vertice crine
Phyllis odoratam poscit pulcherrima prædam.
Hic ego vos, Nymphæ Craterides, hic & apricæ
Vos quotquot, Divæ, lustratis Olympidos oram,
Præsentes optarim, agilesque in retia, quando
Est opus hic vestro mihi munere; plena profundo
Dyctia ut ingenti possim deducere præda.
Nec labor iste, Deæ, vos dedecet, ipse sub actam
Nudus crura tenus si jam descendit Apollo,
Et tetigisse manu non pœnitet humida lina,
Astrigeras nitidi currus qua flectit habenas,
Quaque diem, lucemque regit, quaque aurea pulsat
Fila lyræ, & totum mulcet concentibus Orbem.
Quin & Pierides, Permessi fonte relicto,
Idem omnes simul ardor agit versare rudentes
Pro jaculis, nervoque, coruscantique pharetra:
Et picturatos pro damis figere pisces.
Quare agite, & vitreas alacres descendite ad undas,
Et mecum teneris adducite lina lacertis.
Vestrum munus, opusque, Deæ, sit præda, marinis
Quam vobis Neptunus avet concedere sylvis.
Non uno quia capta perit gens squamea casse;

Plu-

Plurimus idcircò labor est piscosa per alta
Cæruleas laxare plagas. Qui grandia versant
Dyctia, quique ingens soliti tractare Panagrum,
Hi per arenosos distendant linea tractus
Retia, sub cæco cautes ubi nulla Profundo
Personat, & rari frutices, algæque virescunt.
Ergo age, litoribus primo jam fune relicto,
Remigio petat altum, ipsaque è puppe juventus
Vellera torta vadis, & retia rara, sinusque
Demittat: cursum mox circumflectat: & orbem
Circinet, alternum solvens in marmora cornu:
Inque sonora ferat postremum litora funem.
Hic aciem gemino pubes partita maniplo,
E læva, destraque valentibus humida palmis
Lora trahat, varietque vices statione frequenti.
At geminus vitreo madefactos rore rudentes
Excipiat, magnumque puer componat in orbem.
Alter at intereà piscator retia circùm
Lintre volet, saxisque frequens inclusa flagellet
Æquora, squamosus quò grex exterritus arctum
Carceris in gyrum descendat, & intima cassis
Lethiferi loca cœca petat, quà nulla potestas
Intextos vitare dolos: cùm denique litus
Prægravido, tardoque premit sinus ultimus orbe,
Cornua piscantes jungant postrema plagarum:
Et captiva alacres imponant corpora cistis.

Primus piscandi modus Panagro.

Saxea si propter nodosum litora cassem
Demittis, duro ne murice lina secentur,
Litoribus procul ex ipso pontone reduces
Squamiferum multo gravitantia pondere texta,
Insuper, ingentem laxas, si nauta, Sagenam,
Plurima Pelamydum qua perdas agmina, custos
Stet celsa sub rupe: citumque ut viderit agmen
Jam petiisse sinus, imo de gurgite tolli
Protinus in summum (1) muralia retia, longo
Quæ fixa hastili intersunt latus inter utrumque,
Imperet, & totum deduci ad litora corpus.
At propè raucisonam cùm jam descendit in actam,
Nudus in undosum juvenis salis æquor acuto
Armatus conto veniat, cervice suprema

Secundus Sagena, qua Pelamydes capiuntur.

Cui

(1) Quadratum rete, quod inter duo cornua extensum pisces concludit, ne dilabantur, fulcitur longa hasta, qua hinc, inde elevata, rete attollitur.

Cui priùs implicuit canentia lina: gregemque
Urgeat instantem palo, quò texta subintret
Ultima conversus lino grex territus albo.

Tertius per jacula.

Si levibus mutum Jaculis (subit altera cura)
Aggrediere pecus, latè dum roscidus Æther
Sudat, & Eoa gaudent aspergine sylvæ,
Expedies tua tela: greges ad pabula læta
Mane ruunt, gratoque fruuntur rore petulci.
At citus Oceano cum Sol emergit ab Indo,
Sparguntur diversa vagi, latèque recurrunt.
Sic bonus in prædam se matutinus agebat
Battus, Olympiacos inter non ultimus: & quem
Sanguine materno conjunxit Olympia Vati:
Fecit & insignem piscatibus: ille nepoti
Hæc olim recolens memini dixisse sub antro,
Mergellina, tuo, sacros quà sæpè solebat
Synceri roseo Manes conspergere nimbo.
Et, puer, inquit, eris, cum creveris, alter ab illo.

Quartus verriculo, seu Gangama.

At si (1) Verriculum tibi det, vel (1) Gangama quæstum:
Piscatoris erunt quæ pauperis arma: profundos
Adverso Manes cum Sol illustrat in Orbe,
At soror in medio nobis nitet æmula Cœlo,
Conjugis amplexus divelle, casisque relictis,
Gnatorum majore vago circumsona Nereo
Litora consociatus adi, pennisque fugacem
Piscatum impelles lintrem: medios ubi fluctus
Cymba tenet, tum lora manu cita contrahe: pontoque
Actutum ex ipsa mittatur Gangama puppi:
Vellus & in puppi quo post ducenda revolve:
Inde ratem tonsis iterum pernicibus urge.
Namque retrò obrepens undosa per æquora ponti
Ærato falx dente metet sata Doridos arva,
Squamosaque sinum detonsa è messe replebit.
Ac veluti variæ non uno è semine fruges
Quà surgunt, varioque nitent de caudice flores,
Mixtim falce secat violas, & lilia messor,
Atque crocum, atque apium, & ferrugineos hyacinthos.
Non aliter Percas, & Iulidas, atque rubentes
De-

(1) Constat hujusmodi instrumentum semicirculo ligneo, vel ferreo, cujus acies interior acuta instar falcis: huic alter semicirculus rectus insistit; utrique verò rete in coni formam adligatum est: similis machina describitur lib. VIII. cum de ostreis.

Demetet ore tibi ferrato Gangama Mullos,
Castaneasque (1), Onycesque, & mixtis ostrea Pinnis.
Cum puer insana procul urbe, gravique Lycæo
Otia materna captabam lentus in acta:
Solus & Actiadas, Phœbo comitante, sorores,
Et vitam teneras Acheloidas inter agebam,
Nostris sæpè ratis fundantibus acta lacertis
Innubi sub nocte, marique immissa profundo
Gangama, quæ plenas semper de gurgite prædas,
Ceu præsaga, tulit Vati celebranda futuro.
Ditia multigenæ sed postquam Tethyos arva
Orbe recurvato tenuaram plurimus, & jam
Lutea tollebat madidos Aurora capillos,
Lætior Actiacis referebam dona Camœnis,
Et tibi, Phœbe, pater, quem munere divitis undæ
Vel tunc posse capi didici: captumque per æquor
Ire plagis, calamoque vagas inquirere prædas.

Quo Vates se puer exercebat.

Perge, puer, tibi non postremam impendere curam
Convenit, ut stabili liquidos (2) indagine saltus
Obvalles: multi pereunt hac fraude natantes.
Ergo mari cassem perlongum extende, patentes
Queis hiscant maculæ, medioque in gurgite linque,
Cum ferrugineus depingit Vesper Olympum,
Et venti posuere: ruent qui nocte sub alta
Per tranquilla plagis occurrent æquora pisces:
Et maculis intercepti, tua præda, manebunt:
Nimirum, roseo cum purpurat æthra colore,
Si vitreos Nerei saltus, cassemque revises.
At verò ut multum penset captura laborem
Largior, in virides demittes retia sylvas,
Herbosos juxta scopulos, & sicubi muscus
Subter olet, fruticesque, & glaucis frondibus alga:
Namque illuc crebri venient ad pascua pisces.
Ignarique ruent in lina stataria: primo
Quos tu mane, puer, captos comprende. Sed artem
Accipe, disposito qua per discrimina crebro
Linea (3) fallendis armatur piscibus hamo.

Quintus piscandi modus statariis retibus.

Panacyri usus.

Ergo

(1) Echinorum species exiguæ magnitudinis, qui & colore, & spinis castaneis persimiles sunt, atque ob id nostri *Castagnole* indigitant. (2) Nostri hoc retis genus appellant *Rezze di posta*. (3) Hoc instrumentum nostrates vocant corrupto Græco vocabulo *Palangbisi*, quasi Panangyron; quia undique hamis munitur.

Ergo ubi prælongo radium de fune parasti,
Plurimaque è radio pendentia fila per æqua
Nexeris intervalla, gravesque appenderis uncos;
Suberibus multis illum munire memento.
Hinc cùm venatum petis æquor, acuta dolosis
Æra escis absconde, puer, radiumque resolve.
Hinc juxtà observans venientem ad pabula gentem,
Cum leve per summas trepidare frequentiùs undas
Aspicies suber, citùs advola: & æquore ab alto
Duc radium Synodonte gravem, Mullove rubenti.
Interdum, ex acta socii dum texta reducunt,
Et glometis. Ipse cito vectus post ultima retia, lintre
Piscibus interea sic insidiaberis unco.
Hespetos, Aphyasque, aut duro Mænidas hamo
Fige, marique illum revoluto (1) glomere, mitte.
Nam qui spe prædæ pisces post lina sequuntur,
Lætus inescabis. Surrenti nuper ad oras
Inque sinu (2) Colemeli, tuo, dum grata labori
Otia cum nostro carpebam plurimus Antho,
Artibus his nitidum Synodonta, Orphumque fefelli.
Ast illud tibi præcipio, concussa furentis
Linea fortè feræ ne vi rumpatur, ab imo
Gurgite, cùm properat, longo citus apprime cono
Multa reluctantem. Super ò qui Nerea piscis
Exilit, & tremula ludit festivus in unda?
Nosco equidem sacri speciem, ingeniumque natantis:
Quare, age, veloci curramus Tethya lembo,
Et præcedentem cursu Delphina sequamur:
Plebejos nam tempus Acos comprendere textu.
Philamarini Elogium, Huc, ò (4) PHILAMARINE, decus sublime tuorum,
Et jubar, & laus ò nostri memorabilis ævi,
Piscatum primos inter surgentis Eoi
Deciduos propera rores, aurasque salubres,
Dum te Lubra suis in saltibus, & vada propter
Parthenopes procul urbe tenet, curisque, foroque
Expertem, studioque vacas ignobilis oti.
Eja adsis, prisci seu temporis acta revolvis,
Seu nostrùm veteri confers doctissimus ævum:

Quan-

(1) Hoc instrumentum, *la Trabina* appellant, fortasse à trahendo. (2) Vide quæ fusiùs libro IX. (3) FRANCISCUS PHILAMARINUS, & genere, & doctrina nobilis, morumque gravitate conspicuus, Massam ad delubrum, & valetudinis, & liberioris vitæ studio per æstatem secedere solitus.

Quandoquidem luſus hic eſt te dignus: & ipſa
En placidos ſternit tibi Doris Olympia fluctus.
Mitis ubi flavo ſubriſerit uva colore
Autumnum ſub Pampineum, Solesque benignos; Mira Acus piſcatio duce Delphino.
(Namque uvis miſcentur Aci; gratiſſimus ollis
Ut ſapor, & lætus veniat pinguedine ſuccus)
Cum primis conjux Tithoni lutea bigis
Surgit, & ambroſium diffundit ab æthere rorem;
Corripere alta juvat, longisque inſiſtere remis,
Quà ſaliens Delphinus iter præmonſtrat: & illum
Cura ſequi ſemper tibi ſit, quacumque præibit:
Sive per Heſperium Mundi latus, aut per Eoum
Naviget, inque Notum, gelidamve Lycaonis Urſam.
Namque acies multas, ſtipatasque agmen in unum
Retibus immittet. Ruit ille cupidine prædæ,
Et celeres ſectatur Acos: hi protinus uno
Denſantur cœtu trepidi formidine monſtri; Delphinus Acos inſectatur: Et ut hæ ſe tueantur.
Ingentemque globum incurvant, ſeſeque tuentur,
E roſtro radios tendentes undique acutos.
Ille volat jaculo velocior, & ferus agmen
Circuit ore fremens, ſtimuloque impulſus edaci;
Quaquà adit, explorat vallum, via ſi qua pateſcat;
Qua citus irrumpat, victorque examina perdat.
Caſtra velut circùm confertus milite multo
Dux ruit ore ferox, ferroque minacior ipſo,
Si quà porta patens incuſtodita maniplis
Spem pugnæ, & palmæ pariter venientibus offert;
At magis agglomerantur Aci, ſtipantque viciſſim
Ordinibus: ſeſe nexis ceu monte ſupremo
Cum lupus impaſtus percurſat ovilia, denſo
Agmine ſtipantur trepidis cum matribus hædi.
Tu verò, piſcator Acos cum videris omnes
Collectos, citus è cymba tua retia laxa:
Quæ bini teneant è lintre: & nudus ab alto
Suſtentet puer unus, & alter in æquore ludat
Cum Delphine puer, verbisque appellet amicis.
Hinc ubi rara mari ſolviſti retia, & omnem
Denſatam aſpicies plebem, blandiſſimus ore
Dic Delphine, foras: ſubito, mirabile viſu, Delphinus piſcatori paret.
Tranſiliet caſſem Delphin parere paratus
Imperio pueri, & prædam concedet habendam.
Scilicet humano gaudet miteſcere cultu.
Dyctia, piſcator, medio tum plena profundo
Educes, multo venatu dives aquoſo.
Non ſic argento inſignes, atque ubere lacte

Regales piſcantur Acos, quos læta Pelori
Regales Aci, ubi naſcantur. Æquora progignunt, refluo qua flumine Nereus
Alternat curſum, & lunaribus æſtuat horis.
Scilicet Herculeus quà ſurgit ad æthera vertex,
Velligeræque virent ſylvæ quà Cænyos, & quà
Zanclæos ſub nocte aperit Pharos aurea portus;
Namque his, non alibi, regales fluctibus errent:
Inter Aci molles, & depaſcuntur arenas.
Nimirum vivo gaudent quia gurgitis æſtu.
Illarum deſcriptio. Lacteus eſt illis vigor, & cœleſtis origo:
Nam Cœlo cecidiſſe ferunt, cum regia Juno
Aſtra per, & nitidos mammis lac diluit orbes.
Pars major ſummo concrevit in æthere, & inſtar
Arcus per longum ſuccinxit ſydera flexum.
Dictus &, in Superos eſt quà via, lacteus Orbis.
At verò exiguas, quæ ſummo è vertice guttas
In Siculum fluxere ſinum, Dea Doris opimo
Viſcere lacteolos dedit eſſe per æquora piſces,
Quo vel cærulei gauderent munere Divi.
Inſignis candore, nitetque argentea, denſi
Cum per ſumma greges nant cærula: gratior illis
Non equidem Divis, non & mortalibus eſca eſt.
Piſcatio, & quo reti. Aſt age, concretum valeant quò ditia lacte
Æquora captivum tibi reddere, linea textu
Anguſto pateant, & crebris tenuja nodis;
Qualia ſunt Aphyas quibus intercludimus albas.
Nam ſecus effugiet piſcis Junonius: imo
Illis inſtar Aci forma eſt, veſtiſque nivali
Ingentes reti ſilices, Rhegine, ligato:
Qui totum Nerei perturbant pondere fundum.
Mirabilis piſcationis natura. Nam ſic aſcendent, commota Doride, piſces
Lactei, & immenſo replebunt agmine linum.
Mira ſed eſt ratio venandi: retia primo
Si jactu raros concludent orbe natantes;
Innumeros mox illa ferent ſcindenda ſecundo:
Nec tenuis terno veniet captura labore.
Id quondam Hærculea memini vidiſſe ſub acta;
Deſinit extremis ubi collibus Itala tellus,
Inflexumque ſinum latus efficit: atque ubi clivus
Aſcenſu ſurgit facili, latèque viretis
Conſitus, & pomis, & flavo lætus Iaccho:
Rus ubi Rhegina è Nympha Balanitide dictum,
Quæ multi ſtudioſa operis, patienſque laboris
Momi Elogium. Clara Philocomidæ fecit cognomina genti.

Hu-

Hujus ab illustri descendit sanguine (1) Momus:
Momus amicorum mihi maximus: unus & inter
Rheginos proceres salibusque argutus, & ore:
Officiisque potens animum vincire merendo.
Hic me lactifluos venatum indagine pisces
Invexit lembo quondam, lætamque recepit
In villam, & dignis hilaravit Apolline mensis.
Partheniæ memores idcirco carmine Musæ,
Quod possunt, ventura ferent in secula Momum.
Verum Rhegino de litore rursus ad oras
Euboicas me saxa vocant piscosa Vesevi,
Et pinguem præbent Stabiarum cærula Nestem
Fallendum per saxa levi viridissima musco.
Sed qui venandi potior modus, & quibus armis,
Accipe. Muscoso surgunt quà vertice cautes,
Lætus ubi Mugil flaventes demetit herbas,
Longa per incurvum laxabis (2) retia gyrum.
Alter & exterius plexo de vimine circus
Circumdet longo jactum curvamine Griphum.
Qui multa super intertextus arundine fluctus
Enatet, in longum ceu zona extensa per altum.
Nestibus ille fugam textu clausurus, ab arcto
Carcere cum saltu salient in aperta fugaci.
Hinc ut paulatim constringes retia: ubi illi
Transiliunt, latoque occursant protinus orbi,
Tum ferrum citus expedies, & funere plectes:
Aut ipsa potiùs fugientes arripe dextra.
At quoniam terno vivax sæpè aëra saltu,
Transmittitque plagas, & arundineum labyrinthum;
Idcirco longo cingit qui Dyctia gyro,
Fultus arundinibus longis sit latior orbis.
Præthereà multo quia Mugil callidus astu,
Cum venatores, intricatosque recessus
Aspicit, in scopulos se proripit, & tenet intus:
Quatenus eludat fraudem piscantis: at ipse
Fraudem fraude, puer, superabis, & artibus artem.
In duro bulbos Ciclamini marmore tunsos
Accipies, contoque illos præfige retorto

Quo rete Mugiles capiantur.

Mugilis insignis astus, & quo pati fallatur.

(1) Hieronymus Philocomus Patritius Rheginus carmine nobiliori dignus ob singularem in Vatem benevolentiam; quem in villam suam (*Valanidi*) hospitio recepit humanissimè, & perquàm lautè. (2) Hoc retis genus indigitant nostri *la Chiusarana*, quo ingens Cephalorum copia capitur.

Vimine: vique haſtam petris intrude cavatis;
Nam quia Mugilibus grave olet Ciclaminus; opaco
Ilicet ex antro, malegrato expulſus odore,
Proſiliet grex totus, acerbaque texta ſubibit.
Non aliter per ſtagna, ſonoraque flumina Neſtes;
Quà læti ripis, & dulci Najade gaudent,
Comprendes textu, vel acuta cuſpide. Sunt qui
Ut jaculo, & ære cavo Mugiles cædātur.
Dum ſalit interdum crebro ſuper æquora ſaltu
Mugil, & in vitreo feſtivus gurgite ludit,
Vel jaculo pernice petunt, aut ære tonanti.
Stridula quem certo ſi glans confecerit ictu,
Et ut cæſos canes ad litus ferant.
Velocem viridi dimittunt caute Moloſſum.
Ille ſecat fluctus, propiorque apprendit acuto
Dente vagam prædam, remeatque ad litora victor.
Non ſecus, & turpes per ſtagna ſilentia Mergos,
Perque lacus Fulicas pueri venantur, & una
Laudandas cervice Anates, & pectore molli.
Sic puer ad fluctus Aniani ſæpè ſub ipſum
Ver nitidum canna Fulicas venabar ahëna.
At qui rura tenent, læto quæ flumine Sarnus
Irrigat, & viridi præcingunt limite colles,
Populea de fronde caſam poſuere virenti
Ut à Sarni accolis intercipiantur.
Margine, quæ Solem pueris defendat, & undas
Umbret opaca, greges videantur, ut æquore ab alto
Cum fluvios læti ſubeunt: viſiſque ſub amnem
Ilicet extento torquent cita ſpicula nervo:
Veloceſque Lupos, & Neſtes funere plectunt.
Hinc filo è medio deducto gurgite, onuſta
Arma trahunt. Zephyri ſed quæ felicior aura
Me ſuper Oceani piſcatum cærula vexit?
Et quæ tanta animum fiducia firmat? amicum
Noſco omen: dextro me numine ducit Apollo,
Qui mecum, ſylvis Heliconis, & amne relicto
Amphryſi, ac Tempe propter Peneïa Muſis,
Gaudet in herboſis confidens rupibus hamo
In Britanniam excurſio, & Jacobi Regis Elogium.
Piſcibus inſidias moliri, & vimine texto.
Scilicet ut magni plauſus, palmaſque Britanni
Aſpicerem Regis, memorique in mente tenerem;
Quo tandem pelago egreſſus, levibuſque relictis
Litore jam naſſis, & retibus, ardua tanti
Facta ducis cantarem, & ſacri prælia Martis.
Numine qui magno Divum, atque ingentibus orſis
Primus Hyperboreis expellere finibus Hydram
Auſus, & inſanis inferre rebellibus arma:
Et potuit meruiſſe, Diis ut agentibus ipſis,

Imma-

Immanem ante pedes Hydram cervice videret
Abſciſſa, & primùm victos ſine cæde rebelles.
Ille ſacros iterum faſces, ritusque Latinos,
Corrupti mores quos gentis, avique libido
Inſana expulerat, Roma plaudente, reduxit.
Et licet extemplo res in contraria verſæ,
Sanctaque diſciderit gens vincula: totus & ima
E Styge concuſſus fremat Orcus, & undique gentes,
Concurrant, centumque trahant in bella carinas;
Atque acies centum populorum, & fædere jungant:
Nimirum ut cœptis nimium felicibus obſtent,
Pellere, & è ſolio Regem conentur avito,
Tarpejoque iterum ſejungant Orbe Britannos:
Spero equidem; nec vana fides (ſtant Fata Deorum
Inconcuſſa) throno reddendum. Dite ſubacto,
Inſignem pietate Virum, pœnasque daturos,
Quotquot ſpe regni, vel religione profana,
In Regem, & ritus conſpiravere Latinos.
Quare age, ne timeas, Rex invictiſſime: vertent
Fata vices, ſolioque iterum regnabis avito:
Et tecum Romana Fides, rectumque, piumque
Rurſus in Arctoo victrix dominabitur Orbe.
Non te dextra hominum, ſocii nec Principis arma;
Dii te reſtituent regno. Diis ire ſecundis
Omnia proſpicies, quorum pro Numine regno
Sponte tua cedis, ſceptrumque relinquis, & omnes
Urbis opes patriæ, & tot avorum inſignia regum.
Scilicet indignum populis dare jura putabas,
Quos eadem non lex, atque intemerata Deorum
Relligio veteri Patrum ditione teneret:
Digna nec auguſtam diademata cingere frontem,
Ni gemma meliore Fide intertexta niterent.
Quod modò ſi vicibus commutavere ſiniſtris
Fauſta ſecundarum Superi primordia rerum:
Nimirum fuit id, generoſo ut pectoris auſo,
Intrepidoque animo tot caſibus obvius ires:
Magnus & adverſis ſpectere, ut maximus olim,
Poſt victosque duces bello, gentesque ſubactas,
Victrices inter, nitidasque videbere laurus.
Tunc ego (nec fuerit longum expectare futuros
Eventus rerum, & fælicia) totus ovanti
Aſſurgam Phœbo, lætisque in carmina Muſis
Me major, plauſusque tuos, ò maxime Regum,
Et tua facta canam, clarosque è Dite triumphos,
Claraque non uno devicto ex hoſte trophæa,

Te-

Teque Quirinali trabea, lauroque revinctum
Emeritos inter plausus, & murmura ovantum
Ausoniam latè per magnam, Urbemque reducam
Victorem, & sacra Capitoli in sede locabo.
Et quamvis tibi non deerunt, qui dicere laudes
Per tua regna tuas contendant plurima Vates,
Teque sub Arctoa celebrent regione Britanni,
Attamen Euboicas non dedignabere Musas:
Munera nec Vatis, fuerint quæcunque, Latini.
Intereà sine piscatum me litora propter
Axis Hyperborei Campano currere lembo.

Salmones.

Principio rivi dulces, & opaca fluenta,
Atque tui Vatem invitant, (1) Telline, beati
Salmones: cultu mihi quos dum supplice Divûm
Præque sacros mos ire dies fluvialibus escis,
Atque olere, ingratisque fabis, laudare solebas,
Dum te Parthenope, dum densis consita lucis
Sosias, Autumno prælis spumante, teneret.
Grata tibi fuit & tunc commemorasse voluptas.

Quo reti, & quo pacto illos piscentur.

Et jam Vere novo pleno dum gurgite fontes
Cænosos vectant amnes, nituntur ab alto
Salmones, nigrasque secant audacius undas.
Aspice, ut adverso Tamesi, Rhenoque bicorni
Præda tibi properent. Bis denos retia passus
Consue tergemina: & fluvio mox crede capaci.
Nam licet in summo Salmones flumine nantes
Retibus effugiant, tamen opprimet instita multos,
Quæ propior gravis ima premit, cursumque retardat;
Verùm dum curva Salmonem indagine clausum
In ripam de fonte trahis, tum plurimus olli
Præduro caput osse teres, contove præusto.
Si secus, in fluctus saltu pernice redibit;

Salmones vivacissimi, & fortes.

Namque agilis nando est; & robustissimus omnes
Squamiferos inter Salmo, & vivacior ævo.
Idcirco, ut perhibent, ipsa si frixus in acta,
Ilicet & secto libetur viscere, vivum
Cor salit, & lætis hilarat convivia mensis.

Quando, & quomodo à Rhenicolis comprehendantur.

Sed quo Rhenicolæ, Majo florente, fugaces
Decipiant astu Salmones, accipe: paucis

Ex-

(1) Ignatius Tellinus Hibernensis S. J. vir moribus antiquis, & omni disciplinarum genere excultus, ingenio acri, & amœno, inque omnia promptissimo: cui Vates ob veterem necessitudinem hoc monumentum figit.

Expediam, facilis quanquam non machina dictu.
Rhenus ubi ripas mordet violentus opacas,
Quercubus è duris vallum molire, vel alnis:
Plurimus & ſaxis, & querno termite utrumque
Aggeſtaque latus circum firmabis arena.
Sic totus vallo incurſans ſtat gurges aquarum:
Atque repercuſſus retrò cedit rapidus fons.
At gremio in medio criſpantur leniter undæ
Fluminis, inque ſinum demittitur altior amnis.
Hic denſo tuguri compinges vimine tectum,
Quo capiti Soles, effuſosque arceat imbres,
Flumineo qui lintre ſedet piſcator, & ipſos
Noctes, atque dies obſervat flumine piſces.
His actis, ripas inter, vallumque Panagrum
Crede vado, & reti filum ſociare memento:
Illius & dextra caput obſervator habebit.
Ergo ubi ſcandentes fluvio obluctantur eunti
Salmones, rapidus devexi gurgitis æſtus
Objecto impingens vallo vi dejicit. Olli
Læva repercuſſi ſubeunt loca, mitior amnis
Quà fluit, & caſſes ignari protinus intrant.
Tum vigil ut filum ſentit Salmone moveri,
Paxillum puer evellat, piſcoſa ſub auras
Lina ut venantes multo Salmone reducant.

Et ut naſſis inter prærupta fontium.

Quin etiam prærupta ſonant quà flumina ſaxis,
Atque cavas inter convalles altius undæ
Labuntur, puer, auratos venabere piſces.
Si tu decipulam juxtà, naſſamve locabis.
Nam cum remigio Salmones præpete certant
Exuperare vadum, ſeſeque per aëra vibrant,
Sæpè plagas proni ſubeunt. Aſt indita piſci
Saltandi vis mira: recurvus in ora reflectit

Ut mirum in modum ſaltent.

Cæruleam caudam, rictu ſtringitque tenaci,
Inque orbem ſeſe glomerat, mittitque per auras
Ocyor, ut jaculum, & reſonantia flumina tranat.

Atecides.

Sed ruit Arecidum glacialis ab æquore ponti
Plurima vis, latosque replent examina fluctus:
Immenſum lætis quæſtum latura Britannis.
Ut Sol æſtiferi percurrit ſydera Cancri,
Et nimius terram calor urit, ab Axe nivoſo

Illarum natura, & mores, *Inſtonus*.

Signa movent, pulchroque incendunt ordine turmæ,
Inque Caledonii ſe primum litoris oram
Invectant, poſitisque ſedent hic agmina caſtris:
Et virides circum frutices populantur: & omnes
Stirpe nova gaudent ſoboleſcere. Plenus ubi jam

Au-

Autumnus pomis ridet flaventibus, & jam
Mitior Herculei se fregerit ira Leonis,
In Tamesin devexa fluunt, latèque vagantur
Per Batavos, Cimbrosque, in Balthica & usque recurrunt.
Ast ubi raucisonæ ponto incubuere procellæ,
Et jam Bruma rigens ventos molitur, & imbres,
Agglomerant sese rursum, pelagusque Britannum,
Ordinibus lustrant densis, cursantque frequentes
Oceani per aquas, & saxa virentia propter.
Cumque novæ terris Jani rediere Kalendæ,
(Quis neget ingenium Naturam piscibus, anni
Tempora quo scirent ventura, vicesque dedisse?)
Ocrini per curva ferunt se litora, & omnem,
Perque latus geminum, circumspatiantur Hibernen.
Tandem Vere novo superant terrasque, fretumque
Extremam præter Thulen, præterque sonantes
Orcadas, & patrio reduces se gurgite condunt.
Lætæ ubi concipiunt non uno semine partus;
Impleat ut ponti fluctus numerosa propago.

Cum veniunt, densæ quoniam stipantur, in æquor
Minimè capiendæ, cum veniunt. Dyctia ne solvas, multa sub mole natantum
Haud dubio scindenda: nocet felicior ipse
Proventus: nec multum uber dat copia quæstum.
O quoties avidi, largæque cupidine prædæ
Correpti, longos conati incidere funes,
Ipsaque cum magnis amittere retia prædis.
Sed cum se Autumno dispergunt. Ergo sub Autumnum cum se dispergere cœtus
Incipiunt, circumque vagi freta cærula cursant,
Aggredere: effusam poteris tum perdere gentem.
Non secus è nigra cum se Mæotide fundunt,
Transque Scythæ Tanaim prorumpunt, lataque denso
Agmine decurrunt campestria. Lechus in ipso
Interea vallo se continet: ast ubi turmas
Partiti, latè campos populantur, in hostem
Effusus ruit, & sparsos cæditque, capitque.

Insuper his, quoniam splendenti lumine gaudent,
Tæda prælucente. Solertes curva tædas è puppe nitentes
Attollant pueri: viso fulgore catervæ
Confestim densæ venient; linumque subibunt:
Ipsæ etiam tremula radiant è Doride, summa
Obversa nantes alvo cum cærula sulcant.
Ut latè innumeris veluti mare fulguret astris.
Se quibus indiciis tibi produnt: vescier unda
Arecides fama est, ipsaque uligine ponti.
Puniceo velut ipse, nitet qui viscere, Salmo:

Nam

Nam vacuus venter, perhibent si vera, repertus.
At tibi lenta trahis si felix otia turbis
Insanis procul, & nitida semotus ab aula
Per solos montes, & inambitiosa beati
Rura soli, propiorque colis, vir nobilis, undas,
Expediam paucis artem, torpentia solers
Otia qua valeas, & dulces fallere pisces.
Et simul ærumnis animum relevare molestis,
Quem versæque vices rerum, semperque dolenda
Florentis patriæ clades, ritusque Latini,
Atque pii Regis tot vexavere labores.
Et tibi gratus erit modus hic, (1) GALVÆE, tumultus
Sive lates inter Tamesis, seu præpete cursu
Per montes fugitivus, & invia lustra pererras:
Sive tuæ sospes tetigisti litora Hibernæ,
Magnaque pro Sacris, & Rege pericula tentas.
Ergo age, si vacat, & fas est descendere ad undam
Arctoo propera mihi dexter ab usque recessu:
Adde, & Olympiaco Vati, GALVÆE, decorem.
Intorto primum lino contexere conum
Præcipe, & iliceo, conum succingere circo.
Circulus impositus sua per discrimina cono
Ternus erit: terno religetur vellere summus,
Inque unum coëunt ubi funes vertice nodum,
Longior alter erit, pendet quo machina: longam
Inde trabem ripa figes viridante sub ipsa,
Objice vel medio fluviorum: & desuper asser
Rectus in extremo radiis nectatur acutis:
Transversoque unà firmetur uterque tigillo.
Crux Germana velut, miseri quà funere fontes
Plabejo commissa luunt: transversus & asser
Pendentem accipiat trochleam: cum deinde marinæ
Te prædæ accinges, curvum transmissa per orbem
Linea sustentet conum, qui fluctibus extet
Altior, atque illum complebis plurimus esca.
His animadversis, refluo cum Nereus æstu
Assurgit, ripasque tumens infundit, & amnem
Impellit retrò veniens, tum piscis in orbem
Irrumpit, scombrisque famem vincitque, fugatque.
Ast ubi jam refluo rediens pede mobilis undam

Jucundus piscandi modus, quo se nobiles Britanni exercent.

(1) Jacobus Galvæus S. J. Hibernensis Vati inter familiarissimos primus, & ob candorem, variamque eruditionem gratissimus.

Subrahit Oceanus, nudataque litora linquit,
Squamosas cœco volucres de casse reduces.

Non dissimilis, quo Tarentini utuntur.

Lubrica dissimili non arte examina fallunt
Oebalii. Curvos quà septem infusa per arcus,
Septeno veluti rivo se Doris in altum
Devehit, & magno jungit commercia ponto,
Tempora dum Lunæ per certa reciprocat æstus:
Hic, ubi piscantum speculæ stant ponte repostæ,
Ante arcus geminam fundant in marmore cerrum:
Atque illam multo religatam vimine firmant.
Coniferum longa labyrinthum cannabe cerris
Associant (viridi mixtus, flavoque colore
Conus erit, piceæque simillimus) incita cursu
Exin sub noctem: (nox est accomoda fraudi:
Et color ille dolum potis occultare; sub umbris
Namque est, ut perhibent, obtutus piscibus acer)
Externas cum prona Thetis procurrit in undas,
Vitrea piscoso committunt cærula cono.
Quotquot devexa veniunt tum Doride pisces,
Sponte sua subeunt maculosi carceris antrum.
At verò ut reduci jam se missura per arcus
Est iterum pede Tethys, ovanti murmure conum
Educunt, prædamque hilares ad tecta reportant.
Si secus, adversum venientia marmora textum
Impellent, fugientque citæ per aperta cohortes.

Statisque temporibus certos venantur pisces.

Tempore quemque suo capiunt hac arte natantem.
Cum Chiron retrò vacuus dat terga sagittis,
Altaque dum terris nox est, tum lumine captas
Cum Congro rapiunt (1) Anguillas: frigida sed cum
Alget Hyems, Soleas, & primo Vere requirunt.
At tres Autumni, totosque ex ordine menses
Mixta Sparo rosei venantur tergora Mulli.

Quo quisque piscis tempore capiatur.

Hic neque prætercam cœli quo sydere certo
Singula squamiferùm lucis veneris aquosis.
Ut nitidum Ver pingit agros, & crine novello
Investit latè sylvas, tum Scorpius uda
Lina petit cupiendus, & igni plurimus ardens
Astacus, atque Elephas, inflammatæque Locustæ.
Hos etiam, rapidis candet dum Solibus Æstas,
Retibus, aut nassis piscabere: tunc & opimas
Engraules, Thrissasque, & viles viscere Salpas.

Ast

(1) Has Tarentini vocat *Anguille orbe*, quod cœcæ videantur, suntque suavissimi saporis.

Ast Aphyas æstu in medio, cum fervidus urit
Arva Leo, capies turmatim; è gurgite quando
Semine non jacto crescit numerosa propago.
Læta per Octobrem Loligo, perque sequentes
Autumni menses, quo pinguis tempore Dentex
Fallitur illecebris escarum saxa secundùm.
At Polypus dum Bruma riget, cum Mænides, & cùm
Sphirænæ, nitidæque Umbræ captantur, & Orphi.
Datque Autumnus Acos; dat, dulcia fercula, Mullos;
Quos etiam progignit Hyems, atque herbiferum Ver.
Cum geminum Divæ surgens Amathuntidis astrum
Emicat, & raris Aries nitet ignibus, uber
Muræna, & dulci captatur nectare Conger.

Quid leviora sequar? superest via multa per altum
Exuperanda: Noto spumant cum regna Profundi,
Pulsatæque gemunt cautes, & litora plangunt,
Venandi quæ cura tibi, piscator, habenda,
Jam nunc præcipio, quando terraque, marique
Improbus est miseris labor impendendus, iniquam
Quo saturare famem, duramque levare caducæ
Pauperiem vitæ valeant; quibus haud bona Fati
Principio dat Sors, nec blando lumine Cœlum,
Ortaque nec nutu riserunt astra benigno.

Qua arte inter procellas piscandum.

In primis solido subtexes (1) Dyctia spartho:
Lataque sint maculas, nexisque tenacia nodis,
Ultima & Oceani campos visura marinos
Instita sit multo gravis ære; tumentia verrant
Ut vada piscosi casses, prædamque reportent.
Nonnulli extremo sua per discrimina textu
Præduros silices, & grandia saxa reponunt.
Cætera persimiles sint retibus: hos ubi casses
In navi, puer, imposuisti ritè paratos,
E portu solves animosus: & æquor in altum
Piscatum venies, quamvis illisa reclament
In scopulos freta pulsa Notis, & desuper ingens
Porta tonet Cœli, refluatque nigerrimus imber.
Ergo ubi veloces tenuerunt alta carinæ,
Albentes inter fluctus da retia ponto.
Hinc geminum gemina firmabis cannabe cornu
E prora, puppique, globum ne fortè sub unum

Rete describitur.

Et piscatio quo pacto instituatur.

 Con-

(1) Hoc rete, quod à Gallis primum inventum ferunt, estque familiare Gajetæ, Prochytæque incolis, nostri appellant *Tartana Francese*.

Concurrant, nullos gremio captura natantes.
Proderit & longas utroque à vertice fagos,
Brachia tenta velut, valido vincire rudente:
Extremis quorum cervicibus insere funes:
Et nodis constringe; retro piscosa capaci
Orbe trahent, largisque onerabunt retia prædis.
Inde sinus humiles velorum expande, recurvum
Inque latus deflecte, vagæ quò Tethyos amnes
Spumantes transversa recurrat cærula pinus.
Sic secreta colunt qui Nereos antra profundi,
Et raucos pelagi pisces odere tumultus,
Captivi venient in retia: plurima cursu
Postquam velivolo cava trabs per cærula fugit,
Collige vela: graves & aquoso è gurgite casses
Duc super: innumeras squamosa è gente cohortes
Aspicies, mixtimque plagis hærere, sinuque.
Lætus & ingentem cumulum versabis in alnum.

Saxa, sylvæ, & arenæ vitandæ.

Id tamen in primis cura majore cavendum
Ne piscosa trahas per duris aspera saxis
Retia, nec saltus inter, spumosaque lustra,
Nec quà per densas sublucida Tethys arenas
Sternitur: at mollis quà limus, & undique densum
Stat sabulum, celsa solves de puppe Panagrum.
Ni facias, duræ lacerabunt Dyctia rupes,
Hærebuntque inter sylvas implexa marinas;
Aut gravibus repleta sinus scindentur arenis.
At mihi, quis, Divæ Nereides, æquora primus
Ingressus spumosa, nova piscarier arte
Ausus, & horrendos nimbo contemnere ventos,
Dicite: vos illum resonantes ire per undas,
Et spumas inter miratæ solvere linum:
Atque omnem obscura revocate ab origine famam,
Si vester tanto meruit jam carmine Vates.

Ut primum rete inventum.

Exoriens pluvio tristaverat æquora nimbo
Phyllirides Chiron, vultuque minante, sagittas
Imbriferas arcu torquebat, & undique ponti
Tollebat Cœlo freta pulsa procacibus Austris.
Et jam Luna cavum bis luce repleverat orbem,
Bisque nova rediens sinuarat cornua fronte:
Attamen abruptis nondum turbata procellis
Æquora, non & saxa vadis clamosa quierant.
Intereà Lycidas Miseni in rupe sedebat
Piscator, Prochyta vectus qui nuper aprica
Venerat Euboico quæsitum gurgite prædam.
Oscus erat, Prochytæ sed dudum Chlorida Nympham
Duxe-

Duxerat, & quatuor fœcundo femine natos
Jam pater ex illa totidem fufceperat annis.
Hic quoniam finis non tempeftatibus ullus,
Nec pluviæ modus, & ventis, his ora refolvit
Secum multa gemens: Læfi quæ Numinis ira
Tot tempeftates pelago, tot murmura fylvis,
Diluviumque undarum, atque horrida fulmina terris
Intorfit, totumque involuit turbine Cœlum?
Credo equidem Divûm offenfis, & Virginis ira
Infuetum fpumare vadum, fcindique trifulco
Igne polos, ventofque unà certare furentes.
Scilicet ut ventis tumefacta furentibus irent
Æquora Tellurem vel fubmerfura Profundo,
Vorticibus claffem feu dejectura profanam:
Quæ fors invitis fecat indignantia Fatis
Æquora, bella facris, Diis impia bella ferentem.
At mihi quis mifero deferta hac rupe moranti
Pauperiem relevet? gnatis, charæque forori
Quis victu vitam fubftentet paupere tecto?
Ter deni fluxere dies fine Solibus, ex quo
Vela dedi, & mæfta natos cum conjuge liqui.
Ah dulcis conjux! dulciffima pignora, nati!
Quis vos intereà vacuo nutrivit in antro?
Tu Virgo; quoniam curas mortalia Virgo,
Aut miferis vitæ fer victum, aut marmora placa:
Hactenus infanas potuifti perdere puppes,
Et patrio è regno fceleratam avertere gentem.
Aut verò infames fi jam tetigere carinæ
Litora, tu nutu poteris difpergere turmas,
Atque pio Regi, populoque afferre falutem.
Hæc dum multa gemit, fomno defeffus amico
Opprimitur, mollique caput declinat in alga.
Et vix prima quies obrepferat: aurea fummo
Cum Cœlo veniens affulfit Olympia Virgo
Ingenti fub luce: velut pulcherrima Solem
Præcurrit croceis Aurora invecta quadrigis.
Lumine quo totum, penitifque in rupibus antrum
Emicuit, rofeoque fimul fpiravit odore.
At Virgo hæc Licydæ divino ex ore locuta eft:
Ne dubita, puer, infames fi perdere claffes
Mens fuit, & regno gentes prohibere profanas,
Sacra Deûm, ritusque, patresque ultura Latinos,
Haud ftudiofa tui ceffit mihi cura, tuæque
Conjugis, atque tui funt & mea pignora nati:
Namque pios fervare Deos quifne ambigat? Ecquis
De-

Despectum vidit justum, meminitque relictum,
Illius & tenuem natos perquirere quadram?
Verùm age, si tantum potuit meruisse benignis
A Superis animi pietas, & candida morum
Simplicitas, inter spumas, fluctusque sonantes
Quaque inter ventos possis piscarier arte,
Accipe: mox placido juveni sermone retexit
Difficiles artes, memorique in mente locavit.
Inde volans sese in nitidum dedit æthera Virgo;
Quàque dedit, niveo tractum candore reliquit:
Lactea ceu summo subtermicat orbita Cœlo.
Hic Licydas somno excutitur, latèque per antrum
Aspicit insuetum terris fulgere nitorem:
Ambrosiamque auram, & divini floris odorem
Afflatu sentit Superùm spirare beato.
Aurea sed nusquam prospectat Virginis ora.
Pronus humi labat, & sic incipit: O bona Diva,
Quis tibi nunc tanto solvat pro munere grates?
Quandoquidem nostras non aversaris amica
Aure preces, summoque humiles dignaris honore.
Sed cur ætherias, Regina, citissima sedes,
Cœlicolumque choros, & Olympia regna petisti!
Credo equidem, tanta non Tellus Virgine digna est.
Hæc dedit, & patriam, pacata Doride, venit.
Instituitque novas artes, & munus ad aram
Fixit Olympiaco in templo, versuque notavit,
Quæ sibi divino monstrarat lumine Virgo.

Cessandum cum sine more sæviunt venti.

Verum si pluviæ descendant amne perenni,
Et venti immanes tollant sine more Profundum:
Tum rigidas durare Hyemes, piscator, in antro
Convenit ante focum, parcèque absumere fruges:
Et circumfusis chara cum conjuge natis,
E Sinvessano subtexere vimine nassas,
Currere cæruleum plena vel arundine linum;
Omnis durando quoniam Fortuna ferenda est.
Cumque vetat majora sequi, ne mitte virili
In parvis animo solertem impendere curam:
Quæque negat Fortuna, tibi solertia penset.

Calamitosi anni 1688 descriptio.

Haud secus elapsum miseri duravimus annum,
Quo magis infaustum, aut pejorem secula nunquam
Progenuere; dabunt, speramus, secula nunquam
Post ventura alium. Quid non miserabile terris,
Et quid non dignum lacrymis spectavimus illo?
Vidimus immensos Cœlo descendere rivos,
Ac toto insanum se fluctibus Æolon antro

Mit-

Mittere præcipitem, frænumque furentibus Austris,
Et rapidis laxare Euris, Corisque, Notisque,
Undique raucisonis vertentibus æquora nimbis.
Vidimus immenso venientes rupibus amnes,
Ire palatinas dejectum gurgite moles,
Exhaustumque homines, ipsasque à vertice sylvas,
Quin etiam versasque vices, & quattuor anni
Tempora: nec sua per vestigia volvier Orbem,
Atque alium rebus Fata induxisse tenorem.

Anne parum Superis visum est, quod nuper ab imis
Cardinibus latè Tellus concussa remugit,
Et tot cum miseris evertit civibus urbes?
Ut rabies etiam Neptuni insana tumentes
Tolleret in Cœlum fluctus, rueretque refusis
Vorticibus terras, urbesque haustura superbas:
Insuetumque ageret Sol ipse, & sydera cursum:
Scilicet ut sua non per tempora diffluat annus.
Vix lacrymas retinere queo, dum funera cogor
Illius & sævi cladem meminisse diei;
(Atra dies, atro semper signanda lapillo,
Quam semper tristem, Dii sic voluistis, habebo)
Cum Sol informi faciem ferrugine tinctus,
Usque reluctantes, nigraque in nube latentes
Egit equos, radiisque oriens affulsit opacis.
Nimirum puro ne infandam lumine stragem
Aspiceret, magnique daret præsagia luctus.
Ipsæ etiam brutæ pecudes, ipsæque volucres
Signa mali, ut perhibent, tanti manifesta dedere.
Quin & sub cæcis undæ sonuere cavernis,
Et pigros retrò flexerunt flumina cursus.

Jam Sol è medio fugiebat pronus Olympo,
Præcipitesque ipsi rapiebant fræna jugales,
Insolitam afflantes auram, lucemque malignam,
Cum venti posuere: sed æquora visa repentè
Altius attolli, montesque assurgere aquarum:
Ilicet excussis radicibus undique Tellus
Concutitur: totis & concita fundamentis
Immugit, magnumque ciet tremefacta fragorem.
Ipsaque succussa pariter Tellure Deorum
Delubra, atque ædes, lunataquæ mœnia, & altæ
Confestim turres, unà convulsa ruina
Subsiluere: cita mox & vertigine terræ
Nutavere latus, jam jam casura, supremum:
Mortalesque omnes casu oppressura repenti,
Atque necem pariter, pariterque datura sepulchrum.

Terremotus prædicti anni enarratio.

Ne

Ne caderent pietas intactæ Virginis una
Obstitit, irato rapuit quæ tela Tonanti:
Nam secus ingenti gemuisset mersa dolore
Parthenope: & nusquam staret felicior illa
Thyrreni regina maris, regnique beati:
Clara armis, & clara viris, æquataque Cœlo
Molibus immensis atavorum, & divite luxu.
Sed lapides tantum foret, & lacrymabile bustum.
Bustum ubi divitiæ tot, opesque, aurique talenta,
Millia totque hominum saxis oppressa jacerent.
Vix & momenti flevissent secula luctum,
Vix & momenti reparassent secula damnum.
Una tamen (lacrymis quis temperet ora?) Tonantis,
Insignis Tholi Ecclesiæ S. J. ruina. Telluris trepidante sinu domus alta supremo
Culmine procubuit concussa, tulitque ruinam
Ingentem, sonitumque dedit. Pulcherrima quondam,
Proh dolor! è nostra cecidit cervice corona.
Illius descriptio. O ubi sydereo vertex æquatus Olympo,
Et nivei lapides, & pulchro Dædala textu
Marmora, & ex auro muri flammante corusci!
O ubi spirantes viva sub imagine vultus
Divorum, pictique arcus, & mille figuris
Intertextus apex, & mille coloribus ardens,
Et rutilis ardens gemmis, & iaspide fulva!
Mirum opus in terris, & moles æmula Cœlo.
Æmula nam superùm felicia tecta Deorum
Auratus, pictusque Tholus referebat: & ipsa
Numina nativo veluti radiantia Cœlo
Divina sub luce, & majestate videnda,
Felicesque dabat cœtus, & gaudia Divum,
Et dias auras, & dii luminis haustum.
At potuit cecidisse: jacet, miserabile visu,
Maceries aggesta loco deformis in uno.
Ergo tot annorum moles sudata labore,
Tot manibus, studiisque hominum, cui barbara Memphis,
Cui Rhodus, & Carum pendentia Mausolæa,
Altaque cessisset Babylon, quis crederet? uno
Telluris nutu, & momento proruit uno.
Et tu Romani (1) monumentum insigne decoris
Tyn-

(1) Magnificus Templi prospectus: quod Apollini primùm à Neapolitanis dicatum, mox instauratum à Tiberio Augusto liberto maris Prætore Castori, & Polluci consecratum est.

Tyndaridis quondam geminis, Phœboque dicatum
Tiberio Prætore, mari quo tutior alto
Curreret, obstrictis, pacato Numine, nimbis,
Mille per annorum cursus, & secula septem
Casibus è tantis servatum concidis: uno
Abripiens tecum Fato decora alta vetusti
Temporis, & seclis numquam renovanda futuris.
Discite, mortales, ædes, & tecta superba,
Atque triumphales patrum contemnere moles.
Quicquid, grande licet, positum sub Sole caducum est.

Tiberianæ molis casus.

Sed quæ tunc facies, proh Numina! qualis & horror
Rebus erat! quantumve dabant concussa fragorem
Liminaque, murique domûm, & sublimia tecta!
Pars stetit exanimis: tenuem pars altera vocem
Vix ciet attonita, & celerem quà tendere gressum
Haud videt in loca tuta, fugaque avertere mortem
Instantem dorso jam jam, & crudele minantem.
Ille fugit, refugitque, & nusquam certa saluti
Apparent: quocumque ruat, se perdere certum est:
Sub pedibus nam terra tremit, circumque labantes
Horrendum nutant ædes, murique dehiscunt:
Desuper imbre pluunt pinnæ, convulsaque tecta.
Sulphure permixtus nec jam spirabilis ipse
Aër est, vitæque negat, dum sufficit, haustus.
Clamorem attollunt alii, veniamque benignos
Exorant Superos, & pugnis pectora tundunt.
Omnia terror habet: miseros premit horrida cunctos
Formido, luctusque & plurima mortis imago,
Urbs tota immugit strepitu, mæstisque virorum
Cuncta sonant lacrymis, & fœmineo ululatu.
Non aliam rebus faciem sub fine futuram
Crediderim Mundi, Cœlo cum lapsus ab alto
Plurimus igne minax, & majestate tremendus,
Stipatusque aderit tot millibus arbiter Orbis:
Cunctaque verba hominum strictim pensurus, & acta;
Inque pios feret astra, malosque ad Tartara mittet.

Attonitæ urbis descriptio.

At non irati Samnitibus ira pepercit
Numinis; abrupti montes, patefactaque Tellus
Non uno conspecta loco: latèque dehiscens
Oppida cum villis, magnasque absorbuit urbes:
Millia totque hominum Fato fera perdidit uno,
Ingentesque evertit opes, quas plurima quondam
Ars dedit, & longo pepererunt secula censu.
Informes passim cumuli spectantur, ubi olim
Mœnia, turritæque arces, urbesque manebant:

Edita in Samnio ruina.

Obruta sub propriis non agnoscenda ruinis.
At meus insigni servatus munere Divum
Aggere saxorum, mediusque è pulvere cœco
Lidorus servatus. Evasit (1) Lidorus, erat qui forte sub alto
Fornice, qui quanquam ruiturus: at usque pependit,
Quò puer egressus campo se misit aperto,
Atque iterum Cœli prospexit sydera sospes.
Chare puer, nivei te mores, & pia Virgo,
Cui niveus cordi pudor est, & candida vitæ
Simplicitas Fato incolumem servavit acerbo.
Sed non hic modus ærumnis: majora dolemus:
Scilicet abrumpi cursum felicibus armis,
Cæteræ anni calamitates censentur. Et spem tot bellis partam, clarisque triumphis
Incidi, & virides sensim languescere laurus.
Nimirum invidiæ stimulis agitata malignis
Alecto armavit reges, & fœdera rupit:
Fœdera Principibus non rescindenda Latinis,
Nuper ad Eubœam frustrà rugisse Leonem
Adriacum læti Thraces sensere: sub una
Totque duces, & opes, & vires Chalcide fractas.
Gavisique leves ultrò decedere Moschos,
Et malè Sarmaticas Lechum posuisse secures.
Parte alia socio spumantem sanguine Rhenum,
Dejectasque igni, ferroque audivimus arces,
Et desolatas passim deflevimus urbes.
Insidiisque peti Regem, ritusque Latinos
Everti, effrænesque palam strepere arma rebelles,
Et conjuratas Batavorum accersere classes:
Accendique omnem fatalia bella per Orbem.
Bella triumphales nullos visura curules:
Attamen Odrysiis non despicienda tyrannis.
Scilicet Ausonidum, Scythico quæ plurima fecit,
Hæc prædatori reparat discordia regnum.
Sed jam lethiferum tenebris caput abdidit annus:
Sperandum nunc læta novo: procul (2) ære fugato
Infor-

(1) Vatis alumnus, qui Beneventi juventutem Latinis Literis erudiebat: cum verò modestiæ consulens ne puerum solus in gymnasio alloqueretur, in atrio versaretur, terræmotus repentè obortus est, corruitque gymnasium: atrii vero fornix etsi undique scissuris pateret, stetit tamen;

(2) Vetus moneta à sceleratis tonsoribus adeò corrupta, ac detonsa, ut intolerabilis planè esset.

Informi, trepidæque minis Telluris, & undæ,
Jam populis ſtudioſa ſuis (2) Argentea cudit
Secula Parthenope; quæ, ſit modò Juppiter æquus,
Aurea Saturni Fato meliore ſequentur.



(1) Nova excuſa, quæ arduo primum conatu incœpta, felici tandem eventu initio anni MDCLXXXIX. ſummo plauſu pervulgata eſt.



HALIEUTICORUM
LIBER SEXTUS.

HAc piſcoſa tenus per molles retia ſaltus,
Vimineasque plaga, & acuta tetendimus uncis
Fila, quibus pelagi volucres mactavimus: at nunc
Sunt ferro, Neptune, tuo, quo ſpumeus ira
Fundamenta quatis terrarum, & cærula Ponti
Bella vagis tractanda feris. Age numine dextro,
Dive, adſis, primæque fove præludia pugnæ.
Nec minus ò noſtri decus ævi, te duce quando
Squamoſam in gentem non ludicra bella movemus,
Annue, Cardenide, cœptis, viresque miniſtra
Bellanti, ut victor donatus tempora myrto,
Heroam affectem per Martia prælia Laurum.
Non te dura manet, Piſcator, lucta, minorum
Sternere veloci jaculo genus omne natantum:
Seu vafer in campum ruat Oſmylus, aut Synodontes
Fuſcinæ uſus. Occurrant, rapidique Lupi, Neſtesque fugaces:
Namque uno poteris configere protinus ictu,
Vibrando ſi dexter eris, ſub cærula telo.
Hinc tibi præcipio teneris aſſueſcere ab annis
Spicula ſæpè manu, ſæpè & verſare tridentes,
Non ſecus ac juvenes venturi ad prælia, primum
Exercentur equis, campoque excurrere diſcunt:
Atque habiles ſeſe pilis, levibusque ſagittis
Afficiunt, mollique ſtudent præludere arena.
At quoniam piſces per ſaxa frequentiùs errant,
Quibus in locis. Ut nitidum læto carpant de vertice muſcum,
Idcircò viridi florentes gramine cautes,

Et

Et scopulos, Piscator, adi, quos undique Tethys
Alluit: hic rimis Saxorum, aut margine in udo
Depascens herbosa pecus venare tridente.
Interdum cymbà poteris, dum curris, ab ipsa
Lubrica per liquidos Nerei ludentia campos
Agmina conficere: aut molles dum projicis escas:
Quas circùm subitò cœtus glomerantur aquosi.
Verum, ut per cœcos saltus, spumosaque lustra
Clariùs undosas acies, populumque fugacem
Aspicias, domiti guttas, venator, olivi
Plurimus infundas Pelago: sic cærula fient
Lucidiora vitro, quò cernere detur opacæ
Quicumque in gremio Thetidis grex squameus errat.

Oleo infuso clarior aqua fit.

Quamquam Sol radiis dum totum amplectitur Orbem,
Atque operi insistit genus omne, hominumque, boumque
Et campis spatiantur oves, & pascua lustrant,
Ipse suum possit Piscator inire laborem,
Opportuna tamen magis est, & commoda fraudi
Humida nox: faciles vestrum sub nocte laborem
Exercete, viri, cursentque per æquora lintres,
Et tacitos non una secet cita palmula fluctus.
At si quærere amas, per opaca silentia prædam,
Vel piceam, tædasve ferat splendore coruscas
Curva tibi puppis: viso nam lumine longè
Hærebunt medio stupefacti gurgite pisces.
Ceu densas inter tenebras, noctemque profundam
Si quis Avernales Erebi conspexerit umbras.
Attonitum tu cæde gregem. Sed singula nostro
Carmine percurram belli præcepta gerendi:
Nam varios non una neci dat machina pisces.

Non piscationi opportuna.

Noctu faces adhibendæ, quibus pisces stupefacti hæreant.

Et primò ingentem Neptuno credere textum
Invitant Siculos ludentes æquore Thynni,
Pelamydumque chori, & læta Pompilus in umbra:
Et jam bella jugo clamat speculator ab alto.
At sinuosa priùs quàm litora linquimus, & quàm
Lethiferas per lata plagas vada solvimus, omnem
Accipe rem populi, Piscator. Aquosa per alta
Perpetuo Thynni cursu fugiuntque, ruuntque
Turmatim: Grajo Dromades hinc nomine dicti:
Cursores Latio nostri vertere vocantes.
At licet assiduè percurrant Nerea, nunquam
Ordine ni certo, quadroque sub agmine Ponto
Incedunt, veluti Delphines, ut acriùs hostes
Irrumpant densi contrà, pugnentque feroces.
Ætheriæ partem sortiti mentis, & acre

Thynnorum natura, & mores.

Ut quadro incedant agmine.

Inge-

Ingenium, ventos, & nubila, & uda serena,
Et vices anni, ventosque præsentiant. Prænoscuntque vices, & tempora mobilis anni.
Ut primùm è gelidâ Boream Mæotide flantem
Præsensere, citi venientes agmina jungunt.
Hinc Ponto sua castra movent, ventisque secundis
Bosphoron invadunt, præterque Propontida vecti,
Per maria excursus. Ægæis miscentur aquis, latèque per omnia
Inclusæ Thetidos vada salsa, sinusque pererrant.
Ast ubi jam properans nimbo comitata sonanti
Bruma rigens illos comprenderit, humida figunt
Illic castra, ipsoque Hyemem sub gurgite durant:
Tempore, quo nimium pinguescunt ubere succo.
Sed cum ver nitidum caput effert, summa revisunt
Tethyos alta, vagisque flagellant marmora castris.
Donec Sol nimiis fervoribus increbrescens
Exiguas nemorum faciat pastoribus umbras:
Redeunt in Euxinum æstate. Nam tunc Euxini repetunt freta, perque tepentes
Æstatem fluctus, & inhospita litora ducunt.
Ast illud mirum est: subeuntes cærula Ponti
Threjiciam dextrâ ripam stringuntque, premuntque:
Bythinum levâ litus, perque æquor Abydi
Euxino egressi mediam labuntur in Hellen.
Lævo oculo obtusiores. An quia nimirum lœvo caligat in igne,
Acrior obtutus dextro? Sub lumine Lunæ
Interdum dulces imâ sub Doride somnos
Dormiunt. Conciliant, mollique reclinant corpus arenæ:
Durus ubi longo Piscator sæpè tridente
Sopitos ferit, & morti dat plurimus atræ.
Voraces sunt. Ventris inexpleti rabies insana voraces
Acriùs exercet Thynnos: cogitque sub alvum
Mittere perpetuo quodcumque occursat: & ipsos
Nonnumquam fœtus, atque ova recentia mandunt:
Ut nec fœtibus suis parcant. Nec pietas movet ulla feras. E piscibus alter
Haud equidem Thynno sceleratior, humida lustrat
Æquora. Pelamydes, socium genus, omnia servant
Palamydes cum Thynnis meant. Thynnorum studia, & mores, connubia, & ignes:
Ordinibusque meant junctis, & fœdere pacto
Cuncta tenent omnes eadem, victumque, Laremque.
His animadversis, instat jam tempus acutum
In validum Oceani pecus intorquere tridentem,
Antè sed opportuna tibi quærenda profundo
Quibus in locis Thynnorum piscatio fiat. In medio sedes, ubi figere castra licebit.
Optima censetur, prono quà flumine Nereus
Profluit, & magno curvantur litora flexu
Post virides colles, & Promontoria longa.

Talia

Talia ſunt Thetidis Lilybeïa ſaxa Sicanæ,
Et refluæ Neſidos aquæ, Stabiæque vetuſtæ,
Eſt & Sardoi ſinus æquoris, atque repoſtæ
Trans Calpen Gades, & (1) Tingi litora, & omnis
Herculei tractus Pelagi, Niliquc fluenta,
Præter & Ægæum quà fluctibus obſtrepit Helle;
Et quà devexi venientes accipit undas
Boſphorus Euxini, latèque Propontis inundat,
Auriferum juxtà (2) cornu, quà è colle ſiniſtro
Leucopetram (3) denſo fugientes agmine currunt,
Dum Vere è nigra veniunt Mæotide Thynni.
Sunt aliique ſinus, quos fama obſcura recondit:
Quippè ferunt tenues operoſa in retia prædas.
Nunc age, cum primùm Maii fulſere Kalendæ,
Et læti rident non unâ Chloride campi,
Quæſitam in ſedem venies, Piſcator & undis
Hic primùm demitte (4) Crucem, que quattuor Orbis
Quattuor oſtendat radiis partesque, ſitusque.
Indè oblonga mari ſociatis (5) inſula lembis
Creditur auſpicio Divorum, & murmure læto.
Crux ubi miſſa, plagas terrarum, & ſydera monſtrat,
Aulai (6) medium deſcendat: & una tepentem
Pars petat Occaſum, pars altera vergat Eoo:
Anchoraque è ferro tibi plurima firmet adunco
Carceris alti gyrum, & lethiferum Labyrinthum.
Aſt ubi jacta, natans leve ſignet in æquore ſuber,
Profuit interdum durâ pro cuſpide, ſaxa
Mittere; namque etiam fundantur retia ſaxis.
Inſuper, extremæ Zephyrum qua reſpicit Aulæ
Angulus, intextusque (7) Procœton jungitur olli,
Illinc Thynnagrii vicina in litora (8) Caudam
Extendes, ærata mari quam dente tenaci
Anchora, vel jactæ ſubſtentent gurgite rupes:

Quo tempore in ſtituenda piſcatio.

Quove ſitu demittenda retia.

Et anchoris firmanda.

In

(1) Africæ portus *Tanger*. (2) Bizantii promontorium, Auricornu, Plinius vocat à copioſo proventu Thynnorum.
(3) Albicans in mari petra ad ripam Chalcedoniam, cujus aſpectu territi Thynni ad Auricornu, vulgò *Chryſoceras*, deflectunt, ubi eos Byzantini capiunt, Chalchedonenſibus vero ferè nulla piſcatio. (4) *Crociato*, rete in crucis formam contextum, quo mundi cardines quatuor cuſpidibus indicantur. (5) Totum Thynnagrii corpus, quod noſtri *la Tonnara* vocant. (6) *La Sala*, retis centrum.
(7) *Anticamera di Ponente*. (8) *La Coda della Tonnara*.

In transversa ferant Thynni, ne fortè ruentes;
Dum celeres urgent vaga signa, citantque natatus;
Extremà pariter Septem quà parte Triones
Eoum (1) Conclave petit, prælonga sub Arctos
Inque latus dextrum, sedemque reflexa rubentem
Retibus è solidis extenditur altera (2) Cauda:
Et saxis, ferrove simul munitur adunco.
Vertice in extremo Caudæ sinuosa revolve
Eoam in sedem contorto (3) Dyctia gyro:

Thynni dextro oculo terram spectant.

Namque oculo spectant dextro quia litora Thynni,
Dum placidum læti pingunt salis æquor; & illis
Os tenerum Natura dedit (mirabile dictu,
Unius impatiens contingi pollicis ictu)
Idcircò occurrunt dum retibus, ora reflectunt;
Atque retroversi sua per vestigia, textum
Spontè dolum subeunt, & ineluctabile fatum.
Non secus Euronoton quà respicit insula, rete
In latus intorques geminum Conclavis Eoi.
Nimirum roseo surgens quà sibilat Ortu
Eurus, & imbrifero quà turbine personat Auster;
Et quadro pariter deduces retia plexu:
Inque altâ firmabis aqua, quà Vesperis atri
Aspectat gelidam Conclave Lycaonis ursam.
Nam Tartesiaco qua Sol caput amne recondit,
Thynnagrii protensa jacet pars (4) ultima; pisces
Collectos Piscator ubi cæditque, capitque.

Thynnuspex quibus signis ex alto venientes Thynnos deprehendat.

His super in lembo non longè à retibus ipse
Thynnuspex (5), cui forte datum observare Cybias
Agmine densato venientes, atque canoris
Carminibus dare signa, vigil consistat, & illi
Assiduè latus omne maris prospectet, aperto
Ludentes vario thynni si fortè natatu
Incipiant Pelago descendere. Tum citus omnes
Imperet, ut pueri properent, cymbæque fugaces;
Sed quibus indiciis cete deprendere possit,
Expediam: tranquilla silent dum marmora ventis
Si cani fluctus, vitreique per aëra rores
Spargunt, Delphines arant, Thynnive Profundum;
Aut verò Engraules si denso examine currunt,
Cæruleis vel salsa super volitaverit alis

Mer-

(1) *La Camera di Levante.* (2) *Il Codardo.*
(3) *Il Ritorto del Codardo.* (4) *La Camera della morte.*
(5) Piscator ille, qui venientes Thynnos observat.

Mergus, & è saxis cantu compellat amicas
In prædam Fulicas, pleno descendere cœtu.
Thyrinidas aspicies; quoniam pacata per alta
Ducere amant choreas, & lento ludere Ponto:
Atque inter lusus amor unus, & una voluptas
Venari Trichias, ventrisque explere latratum.
Et Trichias (2) mergi pariter, Fulicæque marinæ
Sectantur, replentque escis felicibus alvum.
At quia prædantes Engraulem impunè per æquor
Nativis norunt stimulis agitare Cybias;
Cetibus idcircò volitant de litore visis.
His actis, ubi jam tempus procedere in armis
Bellatum campo pubem, & spolia ampla referre,
Veloci ternus lembo (2) Cetarius adstet
Pervigil Eoi conclusa ad limina septi.
Quò puer, ut magno properare sub agmine Cete
Conspicit, adducto confestim vimine, valvam
Pandat, ut ingressæ reserata per ostia turmæ
Carceris (4) Eoi medio stipetur. Ab aula
Verum si soli venient, ne clausa relaxet
Limina, per maculas quoniam postrema subibunt
Retia spontè sua. Læva qua parte patescit
Ampla Procœtonis, sed stricto janua textu,
Stent seni gemina in cymba, qui carceris arctent
Ostia, cum densi vallum petiere manipli:
Inde (5) ducem subiti moneant: qui lintre recurrens
Inclusos textu pisces agat agmen in unum:
Atque hinc in dextrum mittat conclave coactos.
Non secus Occiduo seni stent carcere lembi,
Et solers agat excubias (6) Thynnarius antè
Hesperium Septi limen: sed plurimus aula
Enatet in media linter; cumque aspicit intus
Orcynos hinc, inde vago procurrere cursu,
Nec tandem in geminum se se detrudere cassem,
In medium conversa diem quæ lata patescit,

Thynni Trichias insectantur.

Ut & Mergi, Fulicæque.

Quomodo Thynnorum venatio peragenda.

(1) *Smergo*, aves marinæ à mergendo dictæ: ut sunt etiam Fulicæ. (2) *Tunnaroto*, qui piscationi Thynnorum dat operam; Thynni enim Cete appellantur; cum ex illorum genere sint. (3) Vulgo *Porta Chiara*.

(4) *Camera di Levante.* (5) Qui operi præest, *il Raisi* Arabica nomenclatura indigitatur.

(6) Idem, qui Cætarius: quasi Thynnorum venationi insistens.

Ocyùs occludat (1) portam, nec ſtricta repandat
Oſtia, ni cœtus ſit carcere clauſus utroque.
At verò Superis cùm præda faventibus ingens
In textum ruit, atque omnis latè inſula fervet,
Thynnagrium pueri, junctis ad munera lembis,
Deprimere in fluctus certent, quibus incubat: & ſex
E duro torti ſpartho, domitoque ſub undis
Dyctia prægrandes teneant, longique (2) rudentes,
Quos & ſuberibus multis, mixtimque plicatis
Nantia ſex totidem ſuper alta volumina fundent.
Binaque Thynnagrii fluitantes gurgite valvas,
Suſtentent pariter glomerata volumina nodis.
Quod ſupereſt, ubi veloces ad retia cymbæ
Convenere, virique una certare parati,
Bis deni portam, ſubductis funibus, Aulæ
Occludant ſenis delati lintribus: ipſe
Sed qui operi tanto dux aſſidet, (3) arbore vectus,
Et quatuor ſociis comitatus, retia circum
Excurrat, celerique fuga ſimul omnia luſtret.
Cenſeat & numerum (4) Tritonum, & corpora pendat,
At ſi quà retis diſſuto vimine corpus
Spectat hians, ſocios ſarciri protinus illud
Imperet: interea prora piſcator ab ipſa
Palladiæ ponto guttas infundat olivæ,
Ut magis undoſi clareſcant tecta profundi.
At ſi parcere amor liquido, venator, olivo:
Erue, dum capitur, criſtallina lumina Thynno:
Inque avulſa vadum radio demitte: repente
Tota ſerenato fiet nitidiſſima fundo
Tethys, & in penitis cernes, quæcumque latebant:
Interdum filo ſuſpenſum proderit orbem
In medias nitidum collidere ſæpius alnos;
Nam depicta gregem tibi deteget Iris opacum.
Hæc cum præſtiterit dux impiger, agmen in unum
Per longos latè caſſes errantia cogat
Armenta: hinc fortem bellatum accedere pubem
Imperet, & dictis nutantia pectora firmet.
Extemplo lapidum jactu, & clamore ſecundo
Ex Oriente fugent, furvique ad Veſperis oram,
Inque Procœtonem compellant agmina Nautæ.

Ducis ſolertia, cum cædendi jam Thynni.

Huc

(1) *Faratico* Siculis dicta eſt. (2) *Napuni*.
(3) Hanc cymbam Siculi *Muſciara* nuncupant.
(4) Sic appellantur magni Thynni.

Huc ubi perventum, reserata per ostia claustri,
Perque aulam cogant mediam succedere lævum
Carceris in septum, cœtus quò cogitur, & quò
Cum lapidum jactu, sonituque exterritus omnis
Devenere, citi juvenes lata ostia claudant,
Hesperium lethi queis se (1) conclave cubili
Adnectit: tali piscantes nomine dicunt
Ultima Thynnagrii loca cæca, tricuspide ferro
Sævus ubi captum perdit Cetarius agmen.
Hinc geminæ claustrum ingressæ lethale carinæ:
Hæc levis ad claustri valvas se sistat: & illa
Adversa statione, ipsoque in limine septi.
Mox geminos imo tolli de gurgite funes
Continuo pubem dux imperet: inde rudentes
Quattuor & reliquos bini subducere lembi
E latere adverso conentur, ut omnis ab alto
Muralis ceu tela mari consurgat in auras
Thynnagrii moles, & recta supernatet undis.

Qua diligentia attollenda sit machina.

Post hinc alato dux circumvectus in alno
Singula Thynnagrii cursu loca præpete lustret,
Atque animos dictis accendens excitet iras:
Spondeat & prædam ingentem, pretiumque labori.
Mox faciat belli signum, Divisque vocatis,
Ipse manu primus velocem intorqueat hastam.
Exemplo ducis in Thynnos generosa juventus
Tela citi jaciant, iterentque in vulnere vulnus:
Atque obluctantes latè cædantque, necentque:
Et cæsa in socias deducant corpora cymbas
Æratis apprensa uncis, ferrove bicorni.
Ast ubi jam multâ lembi sub cæde fatiscunt,
Optatam læti vectent ad litora prædam.
Qualiter adversos cum jam stetit agmen in hostes,
Spumanti subvectus equo dux singula visit
Cornua, & ardentes districtis ensibus alas:
Pectoraque irritat dictis, & sufficit iras:
Speque novas addit vires, animumque ministrat.
Hinc ruit, & primus ferro stipata lacessit
Agmina, lethalique volans furit ense tremendus.
Confestim post terga ducis succensus in hostem
Præcipitat se miles, acutaque spicula vibrat:
Dispergitque acies, cæsoque ex hoste superbus
Ingentes in castra trahit victricia prædas.

Ducis oratione firmandi animi: Et exemplo dato jam belli signo, venatio peragenda.

(1) *La Camera della Morte.*

At non OEbalia Thynnum Piſcator in unda
Tam magno captat ſumptu, tantoque labore.
At quibus (Herculeo nam me vidiſſe Tarento
Cum dites peterem Daunos, & Iapygis oram,
Jam memini, tantique juvat meminiſſe laboris)
Artibus expediam. Dextro tu numine Vati.
Da faciles auras (1), FRANCISCE, tuisque ſecunda
Auſpiciis, quæ magna loves incœpta Camœnæ
Partheniæ conantur: age & tu Phœbus Apollo
Caſtalios aperi fontes: totumque repoſtis
Ex adytis Helicona, nemusque repande beatum
Cantanti, & ſacri venias tu carminis author:
Tu trepidæ Cynoſura ratis: tu Tiphys: & ipſe
Piſcanti læto niteas felicior aſtro.
Namque Phalanthæi magnus ſi paſtor ovilis
Paſcis oves terris mox transmiſſurus Olympum:
Ipſe etiam formoſus oves ad flumina paſtor
Delius Amphryſi pavit ſub Theſſala Tempe:
Qui modo non calamos, non dedignatur & hamos:
Fors erit (ò utinam fortunent Numina vota)
Ut poſt emenſas Alpes, Arctoaque regna:
Aut, placeat magis, ad Regem Legatus Iberum
Veneris, & Patris dederis reſponſa Latini,
Auſoniam ſoſpes, dominamque reverſus ad Urbem,
Romuleo fulgens oſtro, inſignisque Galero
Accedas plectro Vati cantandus eburno.
Interea bonus æquoreas ne deſpice Muſas.
Ut primùm è ſummo recinit cuſtodia ſaxo
Lubrica ſtipato properare ſub agmine Cete,
Ingenti textu compacta è cannabe torta,
E geminis hinc inde gripis de puppe juventus
Retia ſolvit: erunt queis margine nexa profundo
Grandia ſaxa gravi pro plumbo, ut fixa ſub imo
Pon-

Qua arte Thynnos Tarentini piſcātur.

Ad Tarentinum Archiepiſcopum Apoſtrophe.

Piſcationis modus exponitur.

---

(1) FRANCISCUS PIGNATELLUS Archiepiſcopus Tarentinus Vibonentium Ducis, Hiſpaniæque magnatis ter maximi Germanus. Vir tot, tantisq; virtutibus, egregiisque animi dotibus conſpicuus, ut meritò ambigas an majorem à nobiliſſimo ſanguine traxerit gloriam, quam ſibi ſapientia, vigilantia, comitate, prudentiaque, ac regia pene munificentiâ comparaverit: ad omnium animos ſibi officiis promerendos unicè factus: & propter ſingularem in Vates, ac literatos homines humanitatem, ac benevolentiam immortalitate digniſſimus.

Pondere ſtent fundo graviore: frequentiùs amplo
Hinc ubi jam circo magnos cinxere Cybias;
Et ſimul in curvo fundarunt litore funes
Hinc, illinc; coëant ne retia forſan in unum;
Ingenti in terras niſu ſinvoſa reducunt
Dyctia, quæ litus cum devenere propinquum,
Si per arenoſos tractus, mollesque trahantur,
Interius textu cingunt ſquamoſa ſecundo
Agmina, & anguſto concludunt Thynnida gyro;
Hinc primò mediis in fluctibus orbe relicto,
Ne qui fortè cito dilapſi indagine ſaltu
Evadant breviore, graves ad litora caſſes
Adducunt, terras quæ cum venere, ſub æquor
Piſcantes nudi deſcendunt corpora, Thynnis
Ceu luctaturi: caudamque valentiùs ipſam
Vi multa apprendunt dextrâ, ſtringuntque tenaces: Thynni cauda fortiſſimi.
Quandoquidem cauda pollent fortiſſima Cete.
Inque (1) gripos lævâ trudunt, validoque lacerto.
Verùm ſi duris ſint aſpera litora ſaxis,
Lethiferum Ponto dictum cognomine (2) rete
Credunt: èque ipſis retrahunt de gurgite cymbis;
Hoc, velut extensâ reſupinos ſyndone Thynnos
Accipiunt: onerantque optato pondere lintres.
Quin etiam OEbaliis mos eſt in carcere captos
Orcynos ſervare diù: cumque ipſa petit res, In ipſis retibus longùm aſſervantur.
Educunt, vænumque ferunt caſtella per alta.
Illud at intereà cura majore cavendum,
Ne noctu ardentes tollantur vertice tædæ:
Nam nitidâ Thynnus face territus, ilicet omnem Territant Thynnum faces.
Disrumpet latè textum, quo liber ab arcto
Carcere diffugiat, lucemque evitat iniquam.
Idque mali pariter metuendum, ſpumea ſurgat
Tempeſtas ſi fortè mari: fluctuque canoro
Pulſatæ reſonent cautes, & litora plangant:
Nam rauci fugit impatiens ſtridoris, in altum
Thynnus, & objectum disrumpit corpore vallum.
Sed Palatinis digno me viſcere menſis
Uſque peregrinis revocas, Acipenſer, ab undis,
Qui quondam Grajo fueras ſermone Silurus:
At nunc Germanis Sturio, Gallisque vocaris;
Quo cive Auſtriacus decurrit ritè ſuperbus Quibus in fluviis verſetur Acipenſer.
Iſter,

(1) Genus cymbæ piſcatoriæ apud Tarentinos.
(2) *La rete della Morte.*

Ister, & in tanto jactat se Rhenus alumno,
Et Padus, & Liger, & Mæotidis unda paludis.
At quæ regali species, Thyrrene, natanti;
(Namque etiam Tibri est, domina donatus & Urbe)
Accipe. Devexos tereti qui corpore fluctus
Illius descriptio. Exuperat cursu, & fugientia flumina tranat,
Oblongusque, scaberque cutem, & cervice quadrata:
Gibber & in dorsum surgit, viridique smaragdo
Concolor argento: sed lævi candicat alvo:
Armaturque gravi rostro, rostroque decora
Pendet barba, nitent roseo ceu vellera Mullo:
Verum purpureo flavescit viscere dives:
Totus & officulis durescit corpora, cœtus
Frustra ferro quæritur. Flumineos inter non ultimus ille Silurus.
Quem frustrà, rigidus quamquam, venaberis hamo,
Piscator; lato quoniam non devorat escam
Gutture: sed tenuem lambendo fugit ab illa
Humorem: vel subter aquis cænosa profundis
Effodit ore, suis de more, cibumque requirit.
Interdum rore, & limosâ pascitur undâ.
Retibus capiendus, & quo modo. Casse igitur magno, validoque sonora secundùm
Flumina decipies solertior: at priùs illud
Mente tibi multa curandum: retia piscem
Ne claudant adversa: latus stipentque, premantque:
Nam secus herbosam veniens captivus in actam
Dyctia disrumpet quamvis fortissima: tantùm
Ingens illi vis. Olli robur, aquas fluvii dum potat amici.
Insuper in sicco dum ventri innititur, ingens
Vis, piscatorem rigidæ quò verbere caudæ
Sternat humi feriens, & forti dividat ipsos
Interdum palos ictu, contosque valentes:
Percussoque simul de marmore decutit ignem.
In latus idcircò, puer, inclinare memento.

Sed quibus Eridano in magno, Rhenoque bicorni
Quo astu à Rhenicolis capiantur. Artibus inquiras prædam, Piscator, opimam,
Da faciles aures, res est non multa, docebo.
Tres, quatuorve cito descendant remige cymbæ
In fluvium molli de margine: mox ubi nantem
Incertum hàc illàc per flumina lata Silurum
Conspexere, ruant taciti post terga sequentes:
Donec odorifero florentes gramine ripas
Lætus habet propior, seseque crepidine sistit,
Quà brevis unda, vadoque sonans effunditur amnis,
Tunc magno clamore strepant, sonituque lacessant
Sydera confestim nautæ, quo territus actam,

In-

Inque vadum sese pellat, quà nulla potestas
Remigio vitare manum piscantis, & hastam.
At qui Danubii potant vada, quique Tibiscum,
Sopitos molli ferro jaculantur arenâ.

Per totum quamvis Acipenser nobilis annum
Captetur, flavoque exornet nectare mensas:
Solstitio tamen in medio, puer, herbida propter
Flumina quære illum solertior; ubere quando
Pinguescit læto, dulcissimus, inter ut ipsa
Magnorum apponi possit convivia Divum,
Pro dia ambrosia, & divini nectaris haustu.

A Pannonibus fuscina feriuntur.

Quo tempore felicior piscatio.

At neque te patiar grassantem impunè per Istrum,
Glani: Sed in viridi cædam te cuspide ripâ,
Aut hamo potiùs. Hùc ò tu, Myse, docendus
Campano propera Vati, si multa cupido
Extimulat prædæ pectus, vel gloria tangit.
Principio, curvoque jugo, binisque juvencis
Danubium ad magnum venies, quà commoda sedes
Fallendis tibi visa feris. Hic sub juga primùm
Mitte boves, medioque jugi mox vellera nodo
Torta liga, capitique adverso funis acutum
Cum tosto tauri nectes pulmone tridentem.
Hinc fluvio demitte: sedensque crepidine ripæ
Expectare juvat venientem Glanida fundo.
Cumque atram tenet ore necem, tu vimine torto
Avertes à fonte boves: mora nulla, tremendum
Aspicies bellum: malè sano saucius ictu
Hinc Glanis validus funem trahet, inde juvenci
Adnixi cervice ferent: hic pulvere campus
Excussus fervet: spumis hinc concitus Ister
Albet, & horrisonis reboant stridoribus undæ.
At tu nè cesses stimulis urgere juvencos,
Donec vi multa veniet, fractusque dolore
In viridem Glanis ripam captivus ab Istro.

Glanidis venatio

Perge, tridentiferi rursus spumosa petamus
Regna Dei, vitreæque sonantia Doridos antra,
Flumineis egressi è fluctibus: inque feroces
Bella Canes, Galeosque truces horrenda feramus.
Quæ loca Centrines habitant cænosa, Canesque
Lintre petes, plumbumque mari demitte, retorto
Cui catulus filo patria de gente revinctus
Albus erit, vivus caudâ qui verberet undas.
Ut catulum spectant Galei, volat omnis ab imo
Agglomerata choros Galeorum, & dira Canum vis
Auxilium latura: gravi tu cuspide turbam

Et Canum.

Dede

Dede neci, aut lino potiùs comprende, rotundo:
Quorum mira in suos pietas. Nec captura levis; totam dispergere gentem
Aut Hypocha, aut ferro poteris; namque omnibus unà
Mens est, inviso socium subducere letho.
Si nequeant, periisse juvat, pereunte sodali.
Tantus amor generis servandi, & gloria gentis.
Non secus adverso Regem si Marte cohortes
Hostiles inter delapsum, inimicaque tela
Conspexere, volant excussi fulminis instar,
Densatæ sociorum acies per tela, per hostes,
Vique viam, ferrove secant, mortemque lacessunt:
Defendant ut Fata duci: quod iniqua negabunt
Si Divum decreta, & non revocabilis ordo,
Jucundum cum Rege mori, & laudabile ducunt.
Hic amor, hæc dominoque fides præstanda. Sed ò qui
Nunc mea vocali ludentes murmure venti
Vela implent, patrioque averrunt litore puppim?
In medium fert aura diem: retroque sonantes
Pæstani fugiunt fluctus. Age nota Pelori
Gladiorum piscatio. Æquora, (1) Scyllæumque, sinumque petamus Orestis:
Nosco omen: Ziphiæ jam me mucrone lacessunt:
Egregiamque parant belli sub fine coronam.
Hùc mecum properes, nostræ spes inclita Musæ,
Ad Ruffiaden. RUFFIADE (2) generose, precor: Sunt hæc mihi quando
Auspiciis incœpta tuis. Tu prælia, & arma,
Et Gladiorum iras Vati narrare solebas,
Dum vectus picto Rhegina ex urbe phaselo,
Scyllæum, te visurus, tua regna, petebat.
Quare age, quas olim properanda in carmina vires
Spontè dabas, Vati modo suffice: te quoque possit
Tollere ut æterno ventura in sæcula cantu.
Et Cardeniden Apostrophe. At tu Partheniæ decus immortale Camœnæ
Adsis, CARDENIDE, pugnæ bonus arbiter: idemque
Auctor: & ipse mihi per te sit dexter Apollo.
Quin etiam magnis si mentem avertere curis,
Et juvat ingenti rerum subducere mole

De-

---

(1) Oppidum Calabriæ contra Pelorum a Scylla dictum, ex quo Siculi æstus exordium: vulgo *Lo Sciglio*.

(2) FRANCISCUS M. RUFFUS Scyllæi Princeps, Sinopolis Comes, &c. ex antiquissimo Equestri ordine, & fascibus, & majorum gestis illustris: vir moribus antiquis, pietateque conspicuus, dignus qui aureo Italiæ sæculo nasceretur: cui se plurimis adstrictum beneficiis Vates profitetur.

Defeſſos interdum animos, hunc protinus infer
Magnanimos greſſus; nam ſunt te Principe dignâ;
Quæ modo cæruleis dabimus ſpectacula ſcenis.
  Poſtquam Thynnaridæ vultus texere decoros,
Solſtitio properante, leves ad pabula currunt
Turmatim Ponti præter vada, perque ſonantes
Ægæi fluctus Ziphiæ, trans Joniumque
In Scylléa vago contendunt marmora curſu.
Subter ubi denſis frondeſcit ſylva viretis,
Aſſimiles Quernæ bacchas quæ plurima glandi
Procreat, & longos extendit in æquore ramos.
His Gladios veſci baccis certiſſima fama,
Utque ſues læto nimium grandeſcere ſucco.
Quin etiam veſca perhibent hac Thynnida baccâ
Pelamydem, Orcynumque, atque hac gaudere Cybias.
Ergo ubi jam candens aperit bipatentia Cancer
Limina portarum, chelisque rubentibus ardet
Bellatum campo venies, Piſcator, aquoſo:
Sed quibus armatus telis, condiſce priùsquam
Inſcius alta petas: bis ſenis miſſile palmis
Fac haſtile, cui pennatum conſere ferrum:
Illius & geminæ valeant inflectier alæ
In ſe ſe, pernix dum piſcem tranſigit ictus.
Sic facilè irrumpet, penitusque in viſcera monſtri
Deſcendet, pennisque tenax hærebit hiulcis.
Funis in adverſa laxandus parte ligetur,
Ut ſemel intortum revocare à gurgite ferrum,
Captivamque unà poſſis deducere prædam.
His ſuper oblongam, velocemque inſtrue cymbam;
Quà citus in campum veniat jaculator: & illam
Quattuor impellat pubes fortiſſima remis,
Sint geminique breves, reliqui ſe corpore longo
Extendant, quibus ipſa volet velocior Euro,
Inque latus verti poſſit, volvique carina,
Altior in medio conſurgat malus ad auras,
Cujus in extremo venator vertice ſidens
Omnem latè aciem, & tumida æquora circumſpectet;
  His actis, ſummo vicini è culmine montis
Excubias ſpeculator agat: qui pervigil omnem
Exploret latè tractum, & maria alta: natantes
Quotque ruant Gladii ponti de vertice: vel quo
Denſati canum depingant ordine marmor:
E Mundique plaga curſu quà præpete currant.
An lævam, dextramve ſecent: veniant ne Pelori
Anguſta de fauce, nigrique è finibus Auſtri:

Quo tempore Gladii ad pabula veniāt.

Sylvæ marinæ ſcylleo in mari.

Ex quibus baccas Gladii, Thynnique depaſcuntur.

Quo tempore incunda piſcatio.

Teli deſcriptio.

Et cymbę.

Cuſtos excubias habeat.

Venantem moneat unde Gladii ruant.

An Borea comitante Poli de sede nivosa:
Anne æstu saliant adverso, an flumine prono
Descendant, celerine petant cava litora saltu;
Argolico signet cantu, numerisque canoris;
Argolico quoniam concentu, & carmine Grajo,
Mira quidem, Ziphiæ ducique, trahique feruntur.
Scilicet hi quondam Sigæa ad litora missi
Mirmidones fuerant socii armipotentis Achillei:
Fraude venenato quem postquam perfidus ictu
Occidit Paris orantem ad delubra Minervæ,
Conjugii falsa spe captum, protinus illi
Vulturi manes defuncti Regis, in æquor
Insilvere Phryges contra, Regemque superbum.
Cum verò in campum nollent descendere Troes,
In subitam pulsi rabiem, cæcumque furorem,
Præcipites undis se demisere marinis.
At quæ Sigæo tunc litore flebat Achillem
In pisces miserata Thetis mutavit, & ensem
Jussit habere, manu quem tunc pugnante tenebant:
In longumque acie rostrum conflavit acuta.
Sed jam clara dies, Zephyrique loquacibus auris
Invitant, summoque canit custodia colle
Adventare feras: curva è statione sub altum
Confestim juvat ire, marique excurrere aperto:
Et nisu Ziphias, & acuto figere ferro.
In primis, speculator iter quà carmine monstrat,
Remigio sociorum impulsa citissima pinus
Corripiat per salsa fugam: celerique sagitta
Sibilet, atque Euro velocior: ipse supremo
Venator malo insistat, partesque per omnes
Se vertat; si fortè feram conspectet: & alto
Qua Ziphias properare monet de vertice custos,
Imperet intendi cursum, pelagoque volari.
Sive iter ad dextram carpendum, sive sinistram:
Seu sit opus rectâ Gladios perstringere puppi.
Cum propiora tenet Galeota, citissimus ipse
In proram malo saltet venator ab alto:
Rectus & insistat: cui mox fortissima stringat
Dextera, velocem jam jam missura sagittam.
Hinc ubi jam teli jactum stetit obvius intra,
Et fluctus suprà Ziphias subsultat, ibi hastam
Expediat nisu valido, glomusque resolvat
Ilicet è cymba, ferrumque in vulnere linquat.
Continuò furet ille, latus transfixus, & irâ
Fervidus insurget bello: totusque cruento

Qui grajo cantu capi feruntur.

Mirmidonum in Gladios metamorphosis.

Venationis exordium, totaque acies describitur.

Gladii lucta cum sauciatur.

Inten-

Intendet mucrone minas, latèque per undas
Spumeus ore, velut turbo, volvetur, ab Auſtro
Cum ruit, & rapidis freta turgida ſubmovet alis.
Inſiliet, ſalietque; latusque adverſa frequenter
Excutiet, membris ſi fors lethale venenum
Evomat infelix: fruſtrà tamen: uſque tenaci
Cuſpide defixum hæret ineluctabile telum.
Hàc, illac igitur rabie, impulſusque dolore
Multa furens ſeſe devolvet, & acrior hoſtem
Exerto mucrone petet: tu ſedulus arce
Remigio puppim celeri: ſecus ille biſulco
Aggreſſus tenuem ſcindet mucrone carinam,
Aut multo latus obvertet violentior ictu.
Sed jam laſſus ubi languet, ceditque dolori:
Atque minas ſenſim ponit moriturus, & iras,
Ilicet aggredere, & revocato è gurgite lino,
Vi nulla exanimi plauſu potieris ovanti.
Non ſecus ac magnum mediis in ſaltibus aprum
Cum venatores denſi petiere ſagittis:
Confoſſus jaculo fremit ille: & dente minaci
Excurſat circà rapidus, ſi fortè virum quem
Appetat audaci morſu, cædemque reponat.
Contrà illi longo tendunt venabula ferro,
Horriſonoque arcent bombo, & clamore ſecundo;
Quo tandem curſu exhauſtus, fuſoque cruore
Stratus humi jaceat moriturus: ibi agmine facto
Aggrediuntur aprum denſi: loriſque revinctum
Optatam gaudent ſub tecta reducere prædam.
Sed ruit interea, ruit implacabilis æſtas:
Atque iterum Ziphiæ freta per concluſa Pelori
Deſcendunt, patrii repetentes æquora Ponti:
Perque latus Siculum ventoque, æſtuque feruntur.
Trinacriam idcirçò venies, piſcator, ad oram
Litore ab Auſonio, & Scyllæa ab ſede profectus,
Cum jam torret agros ſitientes Syrius, & cum
Fervidus ingenti irarum Leo fluctuat æſtu:
Victor ubi Gladios longo inſectabere ferro.
Aſt humiles quoniam, longèque à litore colles
Intonſi ſurgunt, refluo natet æquore Pinus,
Illius èque ſinu ſeſe longiſſimus auris
Malus agat: mediusque inter carcheſia cuſtos
Humida proſpectans Neptuni regna, monebit,
Quaque ruant Gladii: & quà ſcindere Nerea tonſis
Conveniat, longos & circumflectere curſus.
Sed prius à Zephyris, quàm murmure pulſa ſecundo

Quo tempore ad Siculum litus fiat venatio.

Insignis venationis ab Authore visæ descriptio.

Vela legam, ditesque obvertam ad litora puppes,
Non quam Scyllæo prospexi in gurgite quondam,
Indictam nostro transibo carmine pugnam.
Puniceis invecta rotis Aurora coruscum
Extulerat caput Oceano, latèque rubebat,
Cùm sociis comitatus (erant Lidorus, & Anthus,
Florentes pueri ætate, & virtutibus ambo:
Carminibusque potens Anthus, Lidorus avena.
Hos Vati ingenui mores, & amica juventæ
Simplicitas, geniusque pio copulavit amore)
Invectus picto Rhegino à litore lembo,
RUFFIADE, tua regna peto, visurus aquosæ
Tethyos in campo miræ spectacula pugnæ.
Hic primum te convenio, tectumque superbum
Manè salutatum subeo: tu limine in ipso
Occurris, Vatemque sinu amplexaris amico:
Lidorumque unà, & pulchrum complecteris Anthum.
Inde domi multo postquam sermone locuti,

Regii lembi descriptio.

In litus læti properamus: ubi aureus undis
Innabat lembus, cælatus & undique signis
Dedaleis, latèque auro fulgebat & ostro.
Quattuor in media surgebant sede columnæ
Cæruleis signis intextæ, & floribus aureis:
Plurimus inque auro cælatus desuper asser
Transversum impositus, mollemque inflexus in arcum
Fornicis instar erat: rubroque imbuta veneno
Strata dabat supra tactum Mœlibœa coruscum
Purpura, Phœbeos longè pulsura calores:
Perque latus fulvo contexta è vellere Zona
Inferiùs demissa, ligataque plurima tæniis:
Plurima & insertis fluitabat lucida villis.
Ipsa etiam roseo pubes fulgebat amictu,
Prompta coloratis impellere cærula remis
Æquora, & alatos cursu prævertere ventos;
Sed jam Regali suscepti Nerea lembo
Sulcamus, camposque citi properamus in udos;
Multus erat venator ubi pugnare paratus.
Continuò signum speculator ab arce suprema

Venationis hypotiposis.

Fecit, &, ad dextram sulcate, ò Dorida, dixit.
Corripiunt iter extemplo, dextraque profundum
Adductis vertunt pubes generosa lacertis.
Spumea jam longo canebant marmora sulco
Pulsa retrò: socii, tùm, lævam currite remis,
Protinus exclamat custodia: nec mora, nautæ
Continuò lævamque tenent, & Nerea verrunt;

Ut

Ut propius ventum eſt, Ziphias ſeſe citus aufert,
Atque iter in Zephyrum deflectit: vertice ab alto
Tunc Zephyrumque peti cuſtos, rectàque ſecari
Admonet: in Zephyrum fuga fit, pelagoque volatur:
Hinc ubi jam retrò Gladius ſua colla reflectit:
Et curſum retrò flecti jubet, inque rubentes
Auroræ properare domus: mora nulla, juventus
Intorquet curſus, & litora ſtringit Eoa.
Vix tantum pelagi puppis confecerat æquor,
E duro quantum nervo volat acta ſagitta:
Cùm prora inſiſtens jaculator conſpicit hoſtem
Inſtantem celeri ſaltu, & propiora tenentem.
O, inhibite fugam, citus inquit: & ocyor ipſe
Intorquet dextra ferrum læthale: ſed ictus
Incaſſum cecidit: ſubitò quia ſub freta ſaltu
Immerſit Ziphias pronum caput: ille repentè
Indignatus aquis haſtile educit ab altis;
Utque iterùm ſaltu rediit Galeota ſecundo,
Emittit ferrum: laterique infigit: ibi omnis
Spectantum favor exortus, plauſusque theatri
Et mirus centum celebratur laudibus ictus:
Dignus cui plena circùm ſpectante corona
Plauderet Auguſtus Cæſar, Patrumque Senatus,
Et plebs, victor io, ſtreperet Romana, triumphe:
Sed graviora vocant belli ſpectacula Vatem.



HA-



HALIEUTICORUM LIBER SEPTIMUS.

NUNC age, trans Calpen piſcatum immania Cete
Ire juvat, gelidumque Poli penetrare ſub axem.
Vos mihi, vos Divæ, quibus alti marmora ponti,
Et prona obſequiis ponti gens horrida paret,
Pandite ſepoſtum ſpumoſi gurgitis antrum,
Quo Cete, & turpes Phocæ ſtabulantur, & Orcæ:
Quos & per liquidos campos, ſaltusque profundos
Neptuni paſtor Proteus armenta reducat:
Et piſcatorum vos prælia dicite, & arma.
Tuque adeò, qui vaſta regis miracula Nerei,
Et dictis, iram ſpumantia, pectora placas,
O adſis mihi, SABFRIDE: tu numine Vatem
Inſpira, & magnis jam nunc allabere cœptis.
Oceani in primis quæ ſint Neptunia monſtra,
Quàm varia, & quantis veniant diverſa figuris:
Qui mores, vitreæque colant quæ Doridos antra,
Belluarum deſcriptio. Expediam: (1) Cete ſunt grandia corpora: quales
Inſu-

(1) Animantia univerſa, quæ in aquis degunt vel branchias habent, vel pulmonem, quæ branchias, quia ob ſanguinis paucitatem frigidiuſcula ſunt ſola aqua indigent, ut reſpirent; hinc illis branchias ad reſpirandum natura dedit: iſthæc autem omnia piſces appellamus. Quæ verò pulmonem habent ſanguine abundant, atque ob id calidiora ſunt, quapropter aëre, opus habent, ut aliorum ſanguineorum more ſpirent, nec diutiùs, quàm par eſt, in aqua contineri poſſunt, quin ſuffocentur: idcirco ſupra aquam ſæpè emergunt ad aërem attrahendum: dormiuntque erecto capite: hęc autem Cete vocant, Latini belluas etiam, & feras marinas nuncupant.

Insulæ Ægæo in magno, quæ gurgite quondam
Ex imo (si fama patrum fert vera per aures)
Emersere: diuque vagæ per cærula nantes
Europes circum errarunt, atque Asidis oras.
Talia inaccessis in rupibus haud creat horrens
Caucasus, aut Rhodope, Riphæaque, non Erimanthi
Umbrosus vertex, nigrique cacumina Tauri:
Non & Carmani saltus, Hircanaque tellus:
Arida nec Lybie desertis nutrit arenis,
Quamvis illa parens sit portentosa ferarum.
Usque adeò magnis fœtum est animantibus æquor: Magnæ in mari belluæ.
Et fœcunda feras, & monstra immania Cete
Progignit vastis in fluctibus Amphitrite.
Sunt quæ se longa dum vectant mole per undas,
Quinquaginta patent cubitis, mirabile dictu.
His & adhuc majora sinu Thetis inda profundo Magnitudo ingens.
Condit, & Arctoo pascit sub gurgite Proteus.
Jugera terna maris (quis crederet?) occupat ingens
Bellua: majores etiam tenuere (1) quaterna. *Plinius.*
Non densis horrent squamis intecta: neque illis
Aspera pellis, apro veluti, cui plurima setis
Terga rigent: solido sed convolvuntur amictu
Intexto è corio præduro: lora reciso Corio teguntur.
Quo fiant magnis ducendis molibus apta.
Immensum caput, ætherias ceù turris in auras
Tollitur, horrendum visu: cui fistula summo
Est apici, assiduè potas quæ devomit undas
Ingenti clangore: velut de rupibus altis Fistula qua aerem attrahunt.
Cum per depressas labuntur flumina valles.
Naribus his tenuem Cœli spirabilis auram
Accipiunt: nimio quia turgent sanguine Cete,
Ætheris afflatu vitam ducuntque, foventque.
Non multo reliqui perfusi sanguine pisces
Cæruleos sorbent squamosis follibus amnes.
Subter aperta patent horrentia dentibus ora,
Antra velut: longi referunt hastilia dentes:
Hinc alios resupina petunt, sua pabula, pisces.
Consilio factum naturæ, ut grandia vertunt
Dum se monstra, citi fugiant è faucibus illi.
Provida ni mater fecisset, edacia Cete,

Quæ

(1) Massarius interpretatur nongentorum sexaginta pedum longitudinem.

Quæ nimium malesana fames exercet edendi:
Tempore non longo pelagi genus omne necassent.
Cætera membra, quibus formantur corpora, solers
Interius, humana velut, Natura creavit.
Interiora humanis simillima. Immenso pulmone bibunt spirabilis auræ
Particulam, multusque ambit præcordia sanguis.
Grandia prædurus succingit pectora thorax,
Cui vel (1) sternon inest, vertebra, & musculus: hepar
Est quoque quadrupedum similis, formamque, coloremque
Et nervi, nimiaque caro pinguedine turget.
Balænæ motu desides. At Balænarum pinguissima corpora, pisces
Continuò quoniam prælato gutture mandunt,
Ignea vis illis est plurima: neve labore
Exercent sua membra: maris sed gurgite cæco
Otia longa terunt: ceù magna sub ilicibus sus
Prona vorans glandes, & quæ se volvit eodem
Pigra luto: fœcunda suis Campania quales
Nutrit agris: numquam verò concrescit aquosa
Pinguedo; diluta magis quia fervet ab igne.
Plurima gignendi vis est, nubuntque frequentes
Catulos pariunt, & educant. Et lætæ gaudent utero grandescere matres.
Conceptos edunt maturo tempore fœtus:
Charaque distentis lactant sua pignora mammis.
Solicitè matrem per cærula ponè sequuntur
Pernices cursu catuli: ceù florea propter
Rura capram teneri sociant balatibus hædi.
Et tuentur. Illa suis, mirandus amor, circumtegit alis,
Imbellemque fovet sobolem, incursuque tuetur
Hostili, ponitque suo pro pignore vitam.
Quam varium ferarum genus. Hinc & digressus, quotuplex genus omne ferarum;
Et sua cuique insit generi quæ forma, docebo.
Ingentes primò præcellunt corpore (2) Pristes,
Et (3) Physeteres cum turrigeris (4) Balænis.
In-

---

(1) Sternon Græcis dicta inferior pars thoracis, quod Cete è piscibus tantum habent.

(2) Græci à secando vocant, vel, ut aliis placent, à flando.

(3) Quasi Flator, quia scilicet nimbosam aquarum illuviem afflando è fistula evibret. Nostris utraque hæc bellua *Capodoglio*, dicitur. Hispanis, & Santonibus *Marsoba*, Gallis *Mular*, & *Calderon*.

(4) Italis *Balene*, Gallis *Bleno*, Hisp. *Vallena*.

Inde truces (1) Orcæ, (2) Phocæque, horrendaq; (3) Serra,
Phocænæque (4) leves, & cærulei Delphines.
Grandis cyaneo fulget Balæna colore: Balænæ descriptio.
Marmoreum candet pectus, lita tergora nigris
Interdum punctis spectantur: & humida fronte,
Non exerta tamen, duplici stat fistula hiatu:
Et pinnas, utrinque unam, tenet: altera dorso,
Ala velut magna, inserta est: qua dirigit omnem
Corporis immensi molem, curritque per æquor.
Lunatam extendit caudam, temonis & instar
Hac totum inflectit corpus, cursumque gubernat.
Qui magnus mole insequitur, patet ore tremendo Et Physeteris.
Physeter, magnosque illo imbres afflat aquarum,
Navigia alta quibus citus obruat: alaque dorso
Nulla sed interdum tollens se rectus in auras,
Antennas super assurgit, nebulosaque longè
Atque abrupta velut rupes spectatur, & horrens:
Territat & nautas, & Cete territat ipsa.
Dentibus infrendet magnis, nervosaque lingua,
Qualiter immenso truncus se prodit ab antro.
Horrida quæ longo, & serrato bellua dorso Quæ sit Pristis.
Occurret tibi, piscator, cognomine Pristin
Grajugenæ dicunt, celeri quia marmora cursu
Lata secat fugiens, volucrique simillima vento est.
Ast Indi Oceano in magno, gentesque repostæ
Vivellam, ut memorant, Serram dixere Latini;
Serrato quoniam præcellit plurima rostro.
Sex pinnis alata volat: stant corpore binæ
In medio, binæque insunt sub podice, quinta
Extremo erigitur dorso levis, ultima tandem
Desinit in caudam: cutis aspera: fuscus in alto
Tergore stat color, & patulo sub ventre nivalis:
Os tenue, at duri, & præacuta cuspide dentes.
Est etiam fera sæva mari, quæ fronte sub alta

(1) *Orca* & *Capidoglio*, Hisp. *Tinet*, Gallis *Oudre* à crassa utris forma, & *Espandars*: ad Oceanum vero Gallicum Orca, Phocæna, & Delphinus *Marsuin*, vulgo appellantur.

(2) Nostris *Vitello marino*, Hisp. *Lobo de la mar*; nimirum lupus marinus, Gallis *Veau de mer*. At Provincialibus, & Liguribus *Bove marino*. (3) Pistris species, quæ in capite serram habet. (4) Tursionem alii vocant: Delphino similis est, etsi minor, speciemque Delphini faciunt; eodemq; appellatur nomine.

Oceani Serra barbata.

Horrendam sursum prætendit in aëra serram:
Qualis Atlantei quondam per cærula ponti
Visa fuit, faciemque tremenda, hirsutaque barbam.

Orcæ descriptio.

Quæ subeunt, Oryges Grajo sermone, Latino
Appellant Orcas: pingui quæ mole tumescunt
Corpora: sed simæ rostrum, sursumque repandum:
Cætera Delphino similes, pinnamque, cutemque:
Quæ tota est glabra, & nimio lævore polita:
In dorso livet, canetque in ventre, rubetque:
Cæruleumque latus, lunataque cauda nigrescit.

Quibus in locis belluæ nascantur.

At nunc quæ maria alta ferant vastissima Cete
Exponam. Nulla Euxinis generantur in undis:
Et caret Ægæum monstris, conclusaque Tethys.
Interdum tamen irrumpunt angusta per ora
Herculis Oceano ex alio: Libyæque secundùm
Litora velificant, vel Ibera: vagoque natatu
Nonnunquam Syriæ extremas vectantur in oras.
At vero Atlante in magno fera monstra, (1) Rubroque
Oceano, atque undis latè gignuntur Eois.

Et cur plures in Arctoo mari.

Oceanus tamen Arctous, concretaque Doris
Innumeras monstrorum acies, densasque catervas
Educat: hic magnis est fœcundum mare monstris;
Nimirum quia pinguescunt uligine fluctus
Frigore densati multo, spissumque pruinis
Non tenuis rorem desudat desuper æther:
Uber & hinc succos, & nutrimenta ministrat.
Pictones, Armoricique, tenent quique alta nivales
Litora Norvagi, Batausque ferocior, & qui
Divisi è toto penitus sunt Orbe Britanni,
Arctoam supra metam, propiusque sub axem

Ad Niphadiam ingens piscatio.

Niphadiam (2) veniunt, vicinaque litora, magni
Qua nive perpetuò montes stipantur acuta.
Huc autem properant piscatum maxima Cete,
Exiguas ubi solstitio Sol fecerit umbras;

Nam

---

(1) Tota ea orientalis Oceani pars quæ inter Africam, & Indiæ intra Gangem peninsulam, Persidemque alluit, rubrum mare appellata est, etsi presse mare rubrum Arabicus sinus sit. (2) Regio terræ borealis anno 1596. detecta, quæ à præacutis montium verticibus æterna nive obsitis *Spitsberg* appellarunt: nos græco vocabulo Niphadiam: ad hanc Balænarum piscationem maximè quæstuosam exercent: conveniunt ad piscandum plures quam centum naves. Furnerius Geographiæ tom. 1. cap. 8.

Nam tunc Oceani tandem concreta liquefcunt
Cærula, continuò cum Sol verfatur in Orbem
Alta fuper maria, & nunquam caput æquore condit,
Ni tribus exactis per multa volumina Signis.
Aft infueta vocans pifcantem in prælia Mavors
Armatus vitreo ftat in æquore: fævus & haftam
Concutit ergo alacris bello fe protinus omnis
Accingat pubes generofa: citæque carinæ.
Sed prius arma tibi quæ fint formanda, docebo.
Dimidio latum pede telum, altumque duobus, Teli defcriptio.
Cui lævis mucro, inque aciem cuneatus adhæfit:
At gemina in medium teli quæ tendit utrinque
Linea mucronem fit rafilis: infit & olli
Attenuata velut Sicana novacula cufpis:
Infere & haftili telum, quod deinde juventus
Stringat ovans: micet ore: feramque in bella laceffat.
Intereà cuftos fpecula fublimis ab alta Quo indicio cuftos Balænam deprehendas.
Obfervet tardo cum fe Balæna natatu
Promovet, & pelagi circùm cava litora curfat.
Hoc autem certo poterit cognofcere figno;
Scilicet è medio fi gurgite cernit ad aftra
Attolli, & largis difpergi roribus undam.
E magno velut affurgit vibrata canali
Nais, ubi fummo de vertice fluxit in imam
Tellurem, faliensque altum petit aëra rurfus.
Ut vigil è celfo vidit cuftodia faxo
Balænam, lituo det fignum: protinus omnis
Pifcantum manus undofo de litore folvat
Arma agitans animo: ceù cum dedit ære canoro
Increpitans belli fignum turba Martis: in arma
Effufæ irrumpunt acies, & prælia prima
Accendunt, telisque invadunt cominus hoftem. Qua arte telis feriatur.
Ut propius monftro jam fucceffere catervæ,
Plurimus in proris adftans jaculator, acutum
Expediat dextra ferrum, nifuque valenti
Pellem adigat fubter duram, penitusque recondat,
Quo molles fubeat venas, & vifcera viva.
Remigio hinc omnes celeri, & velocius ipfis
Proripiant fefe ventis, laxentque rudentem.
Namque ubi læthiferum fufcepit pectore vulnus
Bellua: confeftim magno cruciata dolore
Ingentem nimbum, tempeftatemque tremendam
Conciet, & totum vertet de gurgite pontum.
Saucia fi pelagi fugiens petat alta natatu
Actutum Balæna, citus tu, nauta, fecato Si fugiat, non lethaliter vulnerata.

 Demif-

Demiſſum è navi funem, ne fortè carinam
Invertat: dum per medias ſe proripit undas.
Incaſſum quoniam cecidit labor omnis: & exta
Non lenta intortum penetravit ad intima telum.
At ſi confeſtim ſubſidens Nerea ſubter
At ſi ſubſidat, mortale vulnus.
Deſcendat, læti vos ſpem præſumite belli,
Nam penitus nervum ſubit immedicabile vulnus.
Quin etiam ſalſa ſtimulatum Najade monſtrum,
Vulneribus quæ ſe inſinuat, ſcinditque dolorem,
Neptuni fundo dum ſe affricat, intus acerbum
Altius infigit telum, invitumque morantem
Accelerat peſtem: profuſus corpore ſanguis
Nuncius adveniet lætus piſcantibus. Orca
Viribus interea lapſis, vitaque labante,
Ut datur, irrepit fundo, terræque propinquat.
Ut terræ propior cædenda.
Ergo ubi jam monſtrum conſurgere cernis ab undâ,
Una omnes ruite in prædam, ferroque triſulco
Cædite: ſylvoſos veluti leo ſaucius inter
Cum ſaltus hæſit, intricatoſque receſſus,
Stipati in jaculis, & pelle Libyſtidis Urſæ,
Invadunt duri Garamantes, & ærea vibrant
Spicula, ſolicitique addunt in vulnere vulnus;
Emoriens donec vix palpitet. Ergo ubi vitam
Permixtam roſeo fudit Balæna cruore,
Victores magnam ſpumoſa è Doride prædam
Ducetis lætum ſociis pęana canentes.

Sed jam ſubſequitur labor alter, & altera belli
Ut hamo, & utribus Orcæ capiantur.
Tractandi ratio: Taurino viſcere, & hamo,
Utribus & magnæ ſubigendæ inanibus Orcæ.
Ergo tibi primum ferro cudatur adunco
Hamus: & intorto connectes ære catenæ:
Cui nodo validum denſo ſubjunge rudentem;
Verum ne duro laceretur ferrea dente
Linea, per medium ſubnectes plurimus orbes;
Qui rabidos monſtri dentes ſolido ære retundant.
Aëre mox tenui fœtos, ventoque tumentes
Appendat circa funem Cetarius utres:
Et religet firmis ſua per diſcrimina nodis.
His igitur telis inſtructus, & arbore longa,
Ut levis in prædas invitat ſibilus; eſcam
Et quo aſtu;
Aut jecur, aut tauri ſcapulas da plurimus hamo:
Atque hamum Piſtri da protinus: illa voraci
Ore dolum, mortemque bibet: tunc ocyus omnem
Tranſennam laxabis: in humida teque reduces
Litora, Balænæ pugnam viſu rus inanem.

Nam-

Namque ubi jam ferro transfixum bellua guttur
Sentit, & effuso pelagus livere cruore,
Infrendens ira, acrique irritata dolore,
Dentibus æratum rabidis conabitur orbem
Scindere: sed frustrà multo conata labore
Tethyos in gremium demergitur, & simul ipsos
Nequicquam contra obluctantes deprimit utres. Balænæ lucta cum utribus.
Hic defessa latus per molles sternit arenas,
Atque brevem quærit requiem, ceditque dolori:
Infandumque gemens spumantes egerit undas.
Non secus ac sonipes multa luctatus arena,
Sole sub ardenti, cursuque exhaustus iniquo,
Ore vomit spumas, & frena tenacia mandit:
Atque ignem patulis è naribus afflat anhelus.
Nulla quies miseræ tamen est: namque aëre pleni
In summum semper nitentes ætheris utres
Tolluntur, pariterque feram super æquora multa
Vi rapiunt: ruit illa furens, utresque lacessit
Pone sequens: illi antevolant, supràque feruntur:
Et similes cedunt fugientibus: illa sed urget,
Ingeminatque iram, & vento contendit inani.
Ingenti donec lucta, sævoque dolore
Exanimata, tibi medio stet gurgite præda.
Sunt qui ne ratibus noceant incursibus Orcæ,
Obruat aut magnis emissum naribus æquor, Naves ex pelle Balænarum.
Monstrorum ex ipsa contexunt pelle carinas:
Desuper & tectum consternunt sutile cymbæ.
Non secus ac illi faciunt, qui litora lustrant,
Creber ubi surgit nigro de marmore Magnes.
Qualis ad Arctoos septem damnata Triones
Gens inculta virum glaciali cingitur unda.
Hìc quia perpetuis candescunt arva pruinis,
Atque novem totos per menses aëre ningit,
Nulla Ceres flavo convestit culmine campos, Arctoæ regionis, gentisque descriptio.
Non lætis Pomona comis, non palmite Bacchus
Umbrat humum viridi: & squallentes nulla per agros
Depascunt armenta: leves canentia tantum
Æquora, perque nives decurrunt undique cani,
Et cædem duris minitantur dentibus Ursi.
Idcirco gens illa cibos, & cætera vitæ
Commoda venatu inquirit studiosa ferarum: Cujus omnis vitæ ratio à Cetibus pendet.
Omnis & in cæsa spes vitæ gentibus Orca est;
Agrestes è pelle casas: è pelle carinas
Compingunt: sunt ossa trabes: quæ litore fixa
Sustentant muros, pellitaque tecta domorum.

E te-

E tenui veſtes aptant ſibi pelle, feroſque
In cultros dentes acuunt: pinguedine lychnos
Implent; & longas evincunt lumine noctes.
Ante focum reliquos artus, & viſcera ſiccant:
Et ſiccata molunt, faciuntque è polline quadras,
Non conceſſa quibus Cerealia dona repenſent.
Scilicet ipſa homines ſolertes fecit egeſtas,
Nunc age, non id te lateat; vaſtiſſima Cete
Cetium dux. Ante præit ductor, qui ſedulus indice caudæ
Cuncta maris loca lata feris præmonſtrat, aquoſum
Et prætendit iter: non hunc invita ſequuntur
Oceani vaga monſtra: ſeni ceù lumine capto
Præcedit ſocius puer indiviſus eunti.
Ille manu ducit trepidum: regit ille labantem:
Et tutum prætentat iter, flexusque viarum
Intortos: vitat lapſus, & ſicubi duri
Occurrunt lapides monet, incurſusque maligni.
Incolumemque domum ſera jam nocte reportat.
Belluæ oculis laborant. Exiguo quoniam ſpectando lumine pollent
(Namque ſuperciliorum ingenti pondere preſſi
Et nimia circum obducti pinguedine, fuſci
Caligant oculi) ductorem provida mater
Idcircò Natura dedit, juſſitque fideles
Excubias agere, & caſus arcere ſiniſtros.
Hic monſtrat quà tuta via eſt, quæ prima petenda
Sint loca, qui ſcòpuli vitandi, abruptaque ſaxa,
Inſidias etiam piſcantum, & prælia, & arma
Idcirco prævio ductore natant. Præcavet, in ſecura feram ſeſeque reducens.
Non invita Ducem ſequitur Balæna, neque illum
Luminibus procul ire ſinit, nec deſerit unquam.
Verùm, mira fides, cum delabentia Cœlo
Quem nocte ore recipiunt. Sydera, & optatos ſuaſere ſilentia ſomnos,
Accipit ore Ducem, & ſecurum gutture condit,
Tutius ut fauces inter det membra ſopori.
Hinc meritas homines condiſcant reddere grates,
Officii ſi monſtra vices inſana rependunt.
At ſi fortè mari pereat diſperſus aperto
Ductor, & illa perit fido viduata magiſtro:
Ut cæcus cuſtode viæ, vitæque perempto.
Ergo omnem impendes operam, qua fallere primum
Arte Ducem valeas, teque indè opponere monſtro.
Qui ſi capitur, perit Balæna. Illecebris illum eſcarum captabis, & hamo.
Quo capto, facilè ſuperabis inania Cete:
Quæ Duce ſublato, per vaſti ſpumea ponti
Æquora jactantur temere, incertoque natatu.

Flu-

Fluctuat amisso veluti temone carina:
Qualis & excussis agitatur currus habenis.
Sed ne te fallat species, certissima dicam
Signa Ducis. Qui piscis erit prælongus, & asper:
Et squamis caret, at corio vestitur, & albet: Illius descriptio.
Et capite oblongo, rostroque armatur acuto:
At tenuis cauda est, angustaque, Musculus ille est;
Qui pecus immensum Nerei per cærula regna
Temperat, exiguæ ductans moderamina caudæ.
Insuper his, tibi præcipio (& meminisse juvabit)
Intendas ne bella mari; nam fortior ille,
Tardus & ad cursum minus est, nullisque moratur
Objicibus: verùm si fœmina venerit alto
Obvia, congredere, & pugnæ certamina prima
Ingentis prædæ, & palmæ securus inibis. Balæna fœmina facilè capitur.
Nam vel distento dilectos ubere fœtus
Educet, aut prægnans majori turgeat alvo;
Est minus apta fugæ: nec se, prolemque tueri
Una potest: catulos sed custodire recentes
Dum studet, infelix se perdidit: est suus ipsis
Prolis amor, pietasque feris, ut nulla recusent
Fata, modò partus valeant servare cadendo.
Et non ipsi homines vitam pro pignore ponent?
Hactenus arctoo pugnavimus æquore: vastum
Nunc trans Oceanum extremo sub Sole reposta
Ammerice me læta vocat, quà Florida regna
Ad primum conversa diem perflantur ab Euris: Mira Balænarum apud Indos piscatio. *Furnerius* in Hydrographia.
Et nova qua Septem gelido subjecta Trioni
Gallia frigoribus densis concreta rigescit:
Non acies piscatorum, non plurima cymba
Arma cient in monstra, hastave tricuspide cædunt
Immanes acies: verùm, quis crederet? unus
In campum bellator adest, Pistrinque lacessit,
Non ferro, sed conto ausus certare duello.
Tantus amor prædæ, tanta est audacia cordi.
Ergo levi cymba subvectus: nomine dicit
Gens patrio Canoem, qua non velocior ulla est:
Et gemino armatus conto, clavaque tremendus Qua arte peragatur.
Indus in Oceani campum bellator apertum
Ingenti fidens animo procedit, ubi horrens
Bellua stat, sese turrita mole sub auras
E medio attollens pelago, mirabile visu.
Ast ubi Balænæ propior successit, & ipsam
Jam caudam tenet horrendam, se tum citus altum
In dorsum de lintre jacit, quem vellere torto

Con-

Continet, & longè prohibet per aperta vagari.
Paulatim mox ille feræ per tergora repens,
Colla petit nodis, corioque rigentia duro.
Ac veluti generoſus Eques, interritus olli
Inſidet, & tanto fertur ductore per undas:
Et monſtro ludens ſimul hac diſcurſat, & illac:
Uſque adeò faciles crebro redduntur ab uſu,
Quæ res difficiles primùm: & minus horrida viſu
Terribiles quondam formæ, atque immania monſtra.
Ipſaque dat magnas nonnumquam audacia vires.
Ut propior collo ſucceſſit, & ipſa petit res,
Ilicet alternæ protento naris hiatu,
Bellua quo tenuem vitæ ſpirabilis auram
Ebibit, & potum revomens jacit æquor in aſtra,
Impiger immittit contum, penitusque ſub imum
Vi ſubigit, truditque immenſo pondere clavæ:
Occluditque viam vitæ. Balæna repentè
Excutitur, magnoque furens ſtimulata dolore
Immenſam ciet horrendo ſtridore procellam,
Turbatosque movet fluctus, cœloque remittit.
Qualiter Arctoa Boreas dum perfurit Urſa,
Aut Notus Eoo mugit, vel aquaticus Auſter
E medio tonat axe, cietque à gurgite pontum:
Mira Balænæ lucta. Ora ſonant, frendunt dentes, turgeſcit anhelum
Pectus, & ingentem diſpumant corde furorem.
Nunc hàc, nunc illac magno ſe corpore jactat
Irrequieta, latus, nodoſaque tergora nutans.
Terribilis ſalit interdum, Cœloque propinquat,
Præruptus ceù mons, ſpumisque obnubilat aſtra:
Nunc cedens ruit in præceps, Manesque laceſſit.
Interea monſtri confidentiſſimus Indus
Inſidit collo piſcator, & æquora quamvis
Piſcatoris audacia. Plena ruant, magnoque inſultet bellua motu,
Non dorſo tamen excutitur, pronusve ſub undis
Mergitur: at palmis, pedibusque valentibus hæret
Colla per, & nodos, & vi ſe colligit in ſe:
Impavidusque feræ rabiem contemnit, & iram,
Horrendasque minas, & non placabile monſtrum.
Non ſecus effrenis ſonipes cum perſtrepit ore,
Deſpumatque iram ingentem, frenumque recuſat,
Stat generoſus Eques interritus: ille reluctans
Intendit cervice minas, & prælia magna.
Erigit indignans nunc ſe, frontemque ſuperbam
Attollit, geminosque pedes ad ſydera jactat:
Equi furentis deſcriptio. Excuſſasque jubas, immenſos & quatit armos.

Nunc

Nunc retroque furens duplicatis calcibus instat;
Multa minans, crebroque sonans pede pulsat arenam.
Nunc saltu vibrat sese: mirabile visu,
Quamvis ille gravis stat in aëre pendulus: & se
Sessoremque tenet, quem non conatibus illis
Excussit dorso, aut manibus detraxit habenas.
Ille etenim magnos animos, & pectora versans
Firmat se gemino consistens stapede rectus,
Et medio libratur equo: lorumque ministrans
Se regit ingenio solers, & mole sua stat.
Ergò inconcussus collo piscator iniquo
Insistens, ubi tempus agi rem poscit, aquoso
Alterius contum naris detrudit hiatu,
Atque adigit clava, penitusque in viscera condit.
Hic interclusus vitæ spirabilis omnis
Aër est, totoque carens stans bellua sensu.
Victor at ille ligat contos, & fune prehenso,
Insilit in cymbam: sociosque, & litora visit.
Accipiunt illi victorem, & laudibus ornant,
Ac merita donant myrto pro talibus ausis.
Ceù quis Olympiaca venit cum victor ob ora,
Excipitur plausu sociorum, & lætus ovantes
It cœtus inter viridi præcinctus olivo.
At (1) Nepodes magno Phocæ procurva boatu
Litora, vicinumque nemus, collesque lacessunt;
Mutua nam terris celebrant commercia, & undis.
Maxillam vitulo similes, dentesque rapaces,
Mugitumque ipsum, & nares, sed cætera pisces. Phocæ descriptio.
Ipsa quibus cervix brevis est, oblongaque colla:
Quæ simul extendunt, retrahuntque, ut cuique voluptas.
Sunt gemini, curtique pedes, ceù brachia, quinos
Divisa in digitos, cubiti tamen, ulnaque desunt.
At pectus latum, gibbosaque dorsa: sed auris
Nulla patet, corioque rigenti membra teguntur.
Canescunt in ventre, nigri, per cætera villi.
Interdum maculæ in multis cernuntur, & illæ
Exiguæ: splendent oculi, variantque colores
Sese in mille: velut variabilis Iris Hyænæ.
Tandem lingua rapax sese exerit ore bisulca.
Sed jam te prædæ cupidum, piscator, in arma
Aspicio, rigidosque manu vibrare tridentes:
Sed frustrà expedies contum, ferrumque tricuspis, Præ cutis duritie frustra ferro feritur.

(1) Sic ab Homero vituli appellati, quasi pedibus nantes.

Ni docto primùm docearis ritè magistro.
Nam quia dura cutis ferro impenetrabilis omni,
Nequicquam, quamvis ingenti spicula mittes
Vi, feries monstrum: nam retrò ferrea tela
Pelle repercussa exilient: ceù marmora si quis
Dura petat jaculo, vel ahenea scuta lacessat.
In caput incuties ferrum, clavaque tremenda
Ictibus hoc unum crebris pulsare memento;
Nam fracta cervice perit, quæ pulsibus una
Illidi, rigidave potest transfigier hasta.
At quo, nauta, modo possis tutissimus illum
Venari, edoceam paucis. Dum nocte sub alta
Stellarum radiant orbes, suntque uda serena,
Egressæ turpes spumoso è gurgite Phocæ,
Consuevere graves captare in litore somnos:
Sæpè etiam, Cœli metam dum lustrat anhelis
Phœbus equis, placido componunt membra sopore
Arbore sub patula, aut exesæ rupis in antro:
Ut sæpè ad colles nostri videre Minervæ,
Et cava Teleboum per saxa sonantia fluctu.
At quoniam brevia, & multa pinguedine densa
Colla tenent, resluisque patent obnoxia guttis;
Altius ex imo sopiti gutture stertunt,
Ut credas mugire: sonus sed fractior ore
Personat, & fremitu sylvas malè pulsat opacas.
Quin & longa trahunt demersi tempora somno.
Ergo ubi scuprosa Phocam sub rupe sonantem
Attenta bibis aure, cito aggrediere jacentem;
Atque hasta caput, aut bifida diffinde pipenni.
Et prædam referes victor. Sed murmure festo
Jamque Euri levis aura ratem trans æquor Atlantis
Impulit, atque sinus devexit adusque repostos.
Quà nova monstra, novas & piscatoribus artes:
Nec non & piscis morem venantis, & acre
Ingenium, tenuique ingentes corpore vires,
Ac miranda quidem Naturæ arcana docebo.
Est pecus Ammerice in vasta, quà fœdior ingens
Altera Neptuni non incolit æquor: & illam
Hispani è manibus primi dixere (1) Manatem
In terris de more boum depascitur herbas

In capite percutiendus.

Dum nocte, interdiuque in terris dormit.

Gutta laborat, altiusque stertit. *Arist.* *Plinius.*

Manatis sive bovis Americani descriptio.

Et

(1) Bellua Americani maris è genere Cetaceo, cujus historiam refert Carolus Clusius, lib. 13. cap. 20. Hisp. dicitur *Manati*, nobis *Bove marino*.

Et cervice bovi ſimilis, vultuque pudendo,
Dentibus & parvis (vero quæ nomine noſtris
Per Latium idcircò appellabitur Ammericus Bos)
Craſſior ad mentum tamen eſt, & tenuior ore:
Corporis at major moles, quæ ut maxima crevit
Vinginti fit longa pedes: pectusque profundum.
Verum pube tenus, qua ſtrictior, uſque ſupremas
In pinnas caudæ gracilis: ſed longior ipſa
Cauda eſt, & multum denſa pinguedine pollet.
Sunt pedibus palmæ ſimiles: quibus æquora nando
Alta ſecat: humeroque tenus naſcuntur: & uncis
Unguibus armati digiti queis quattuor inſunt.
Exigui ſub fronte micant oculi, ipſaque turpis
Frons eſt, & corio tegitur, villoque nigranti.
Non illa Oceani tantum colit antra: ſed ipſa
Sæpius ora ſubit fluviorum, & curva ſecundum
Litora fertur aquis in dulcibus, & ſua quærens
Pabula, vicinas populatur gramine ripas:
Nativi ſed roris amans de flumine nunquam,
Et nunquam egreſſa Oceano ſe credit arenis.
Mite bovi tamen ingenium, per ſtagna, lacusque
Ducitur, & manibus hominum manſueſcere diſcit:
Atque vocantis heri vocem cognoſcit, & illa
Audita, volat ex imo caput æquore tollens:
Eque manu in ſtagnum projectas arripit eſcas.
Non veluti turpes ingrata obſonia Phocæ
Atque Orcæ; verum felicia ſumina præbet
Et niveo, ſapidoque miniſtrat viſcere ſucco:
Grata quibus magnis dent fercula regibus, inter
Dum proceres feſtis agitant convivia menſis.

Ex Oceano fluvio ſubit.

Ingenio mitis eſt.

Nunc age, quæ ratio capiendi piſcis, & artem
Egregiam, & parvi quæ vis miranda Reverſi
Dicamus. Trunco vectus, remoque citato,
Inſtructusque arcu, atque hamatis, Inde, ſagittis,
I, quà Neptuni in vitreum Mars provocat æquor.
Hic verò, ut Phocam conſpexeris alta petentem;
Namque informe ſuper nans tollit cærula dorſum:
Hamatam citus ex arcu, nervoque ſagittam
Emittes, certo quem ſi confeceris ictu,
Quà vitulus fugiens ſe proripit, ilicet ipſe
Confeſtim celeri propelles remige lintrem.
Hinc ubi profuſo jam ſanguine, feſſus ad oram
Spontè ſua veniet, refluis vel agentibus undis,
Conficies tandem victor. Sed mira Reverſi
Vis ſubit interea, & dura ſine cuſpide præda.

Qua arte illum Indi venentur.

Reverſi Indici deſcriptio. Ex *Cluſio*, & *Oviedo*.

Dives in Occiduo piſcem Thetis amne recondit,
Corpore qui parvo, & denſatis undique pennis
Cingitur: æquoreus veluti concrevit Echinus,
Utque ſagittifero ſe veſtit Hericius Orbe.
Sed licet exiguus, palmo non major: at ingens
Corpore in exili vis eſt, & præditus acri
Ut cicur ſit. Ingenio, docilisque hominum miteſcere verbis.
Illecebrisque capi, & noſtras comprendere voces:
Tractarique manu, nutusque audire vocantis.
Non ſecus ac Elephas, & qui data Pſittacus ore
Humana interdum conatur reddere verba.
Et venator acerrimus. At mirum ingenium venandi: robur & olli
Magnum eſt, & magnos, Neptunia monſtra, Manates
Aggreditur magnis animis (quis crederet?) unus:
Appetit & latus, aut ventrem, ſe vique refigit,
Immiſſis monſtri penitus ſub viſcere ſetis.
Ac velut ore feram tenuit ſi fortè Moloſſus
Venantum fremitu, curſuque accenſus anhelo,
Haud unquam dimittet, herus ni proximus illam
Accedens jaculo confixerit, aut prius ipſe
Diſcerpens toto ſpoliavit ſanguine venas:
Non aliter ventri fixus, laterive Reverſus
Hæret, & apprenſo nunquam ſe dimovet hoſte,
Ni piſcator ubi telo confoderit Indus:
Unde Reverſus dictus ſit. Aut poſtquam victor, cæſoque ex hoſte ſuperbus,
Ipſe tulit Domino prædam, & ſpolia ampla reverſus:
Hinc Indum noſtri piſcem dixere (1) Reverſum.
Quod ſupereſt, ubi jam docilis ſub flore juventæ
Piſcis erit, primùm comprenſum retibus, undis
Ut educandus ſit. Educet æquoreis Indus piſcator: & eſca
Multus alat, veſci ſolitus qua fluctibus ille eſt.
Hinc ubi venatu concrevit idoneus, & jam
Mitis ab aſſiduo, docilisque videbitur uſu,
Plurimus adſtringes radio, qui textus equino
Multiplicique pilo fuerit, longusque per undas
Ut procul educi valeat, mox inde reduci,
Cum res ipſa petit. Queis primùm ritè peractis,
Cum jam bella animo meditaris, piſce recepto,
Tecum una celeri in cymba, venator, apertum
In campum venies, latèque per æquora curres;
Cæruleum manibus nantem ſi fortè bovem quem
Aſpe-

(1) Barbari verò, qui Antillas inſulas incolunt, apud quos frequens venatio eſt, piſcem *Guaican* vocant.

Aspectare datur; quem cum conspexerit, ore
Ilicet incipies blando mulcere Reversum:
Utque animos gerat ingentes, & fortiter hostem
Aggrediatur: & ut lateri sua spicula figat,
Impiger, hortare, & dictis blandire, manuque
Leniter: his enim illecebris consurgit in arma
Acrior: atque animos dant mollia verba feroces.
His actis, dimitte: volans mare liber in altum
Ocyus ille Notis, & Eois ocyus Euris,
Irruet in prædam, & sua spicula figet in alvo.
Qualis, ubi venator ademit vincula collo,
Erumpit canis, & montes prætervolat altos
Ut fugientem avidis comprendat dentibus aprum,
Saucius infelix à venatore Reverso,
Hinc illinc vitulus se vertet, & acribus actus
Errabit stimulis ponto vagus, usque morantem
Invalidus cæso lateri depellere pestem.
Quo tandem cursu multo, exhaustusque dolore,
In siccum veniet litus, ripæve propinquet:
Lætus ubi palma, & præda potieris opima:
Et venatorem multa cum laude Reversum
In puppim accipies reducem, festoque susurro
Persolves dignas tanto pro munere grates.
At cùm squamosum divellis ab hoste Molossum,
Id, cave ne facias vi plurimus, atque repentè:
Sed sensim è præda retrahes, & molliter illum:
Nam secus, affixum, spinisque tenacibus actum
Discerpes: tantæ brutis animantibus iræ.

Atque in hostem blanditiis incitandus,

Ut hostem feriat,

Et victor ad litus ferat,

Hac non Ammericos tantum venaberis arte,
Inde, boves: cunctum genus aggrediere Reverso:
Cui, vaga longinquum si præda feretur in æquor,
Totum laxabis radium: nam suber in alto
Nans erit inditium tibi certum. At quis vada rursus
In conclusa tulit me ventus? Atlante relicto,
Quis fortunati devexit ad ora Canopi?
Me prædæ, me laudis amor, nec fallor, ad undam,
Nile, tuam adverso terrarum ex Orbe reduxit.
Cumque tuo mihi tantorum sub fine laborum
Certandum (1) Crocodilo, & prælia dura gerendum.
Monstrum informe ingens, quatuor cui crura, pedesque
Unguibus armati: magnum caput, oraque rictu,

Crocodili descriptio.

In-

(1) Ab Ægyptiis Champsa appellatur, nobis *Crocodilo*, Gallis *Crocodile*.

Ingenti diducta patent: sed ahenea pellis
Dura riget, medii sed pars mollissima ventris:
Longior est cauda, & reliquum par corpus adæquat.
At color in dorso croceus: nitet albida subter
Alvus; acutique dentes, & pectinis instar.
Cætera persimilis, detracta mole, lacerto:
Namque pedes, cubitosve solent (si vera feruntur)
Vicenos crevisse: novoque inventus in Orbe
Mole pedes centum longus, mirabile dictu.
Nam non unus habet Nilus Crocodilon, Eois
In fluviis etiam nascuntur, & Orbe reposto:
Et Gis Æthiopum, & Zaireia flumina, & ipsi
Quibus in locis nascatur. interdum genuere lacus deserta per alta
Æstiferæ Libyes, Asiæque, novumque per Orbem.
At quicumque tenes felicis ditia Nili
Litora, & æterno vernantes gramine ripas,
Accipe difficiles artes, quibus horrida possis
Dedere monstra neci, meritoque ornarier auro.
Cum procul è fluvio in terram descendere pestem
Videris, & longè per florea rura vagari
Qua arte capiatur. Extemplò socios accerses litore ab omni:
Qui contis, curvisque ligonibus, atque bipenni
Accurrant alacres: subitique hi falce recidant
Frondentes latè lucos, ramosque comantes:
Hi cæsas vectent sylvas: aliique ligone
Intereà cryptam fodiant, quà trita patescit
Semita Niliaci piscis: citis ipse sepulcrum
Desuper impositis ramorum fascibus omne
Intege, & effossam pariter super injice terram;
Percipiat nè fortè dolum Crocodilus, & astum
Declinet: mox cuncta manus vertatur ad ipsa
In terris impressa pedum vestigia monstri.
Quo tandem invento, litui clangore, tubæque,
Atque æris stridore, inconcinnoque tumultu
Territet: ille nova pulsus formidine retrò
In patrias Nili sua per vestigia ripas
Flectet iter fugiens: celeri tu ponè secutus
Instabis cursu, & clamoribus astra lacesses.
At cum delapsus fuerit Crocodilus in antrum,
Continuò aggredere, & jaculo, vel acinace Mauro
Dede neci: aut vivum poteris comprendere longo
Casse irretitum. Venandi tutior alter
Jam modus insequitur: Palum defige sub amne,
Et palo lenta tortum de cannabe funem
Alter venandi modus. Convolve, ut facilè possit laxarier: hamum

Vellere

Vellere in extremo magnum religabis : & hœdum
Pro dulci appones eſca , caprumve bicornem.
Balatu pecudis medio de fluminis alveo
Accitus veniet Crocodilus , & ore rapaci
Protinus objectam ferro deglutiet eſcam.
Ille intra fauces penitus demiſſus hiantes
Lata bipennifero lacerabit guttura dente :
Balatuque tener ſimul obſtrepet hœdus : ad oram
Audita tunc voce rues , piſcator , ovilla :
Pronus & extemplò da capto , aut contrahe funem ,
Ora trident'fero donec diſcerptus ab unco ,
Multa gemens nigras eat indignatus ad umbras.

At tibi ſi fortes animi , pectusque virile ,
Et ſolers nandi ſtudium foret , accola , Nili ,
Non multo poſſes monſtrum ſuperare labore.
Talis in Ammerice quondam fuit Indus , ab acta
Bellua cui puerum , ſua pignora , fortè relictum
Abſtulerat : procul ille abreptum litore natum
Ut vidit , multa ſubitus ruit igneus ira ,
Ceù Leo , cui teneros cæco venator ab antro
Eripuit catulos : nulloque timore pericli
(Ipſa metum pietas pulſaverat : ipſe volucres
Addiderat patrius pennas amor) inſilit æquor
In medium : gladioque manu quem fortè gerebat ,
Aggreditur , capuloque tenus ſub ventre recondit.
Bellua tunc ferro transfixa , crepidine ripæ
Semianimem locat infantem , refugitque ſub undas.
Fortunatus at ille , Dii cui Numine dextro
Pro tantis favere auſis , & amore paterno ,
Servata in ſiccis ſua pignora vidit arenis :
Accepitque ſinu , & caris dedit oſcula labris.
Ergo vadum ſubiens gladio , venator , acuto
Conficies alvum ferro , qua Bellua cæſa
Occidet. Audaces nimium eſtis vos tamen , Indi ,
Aurea Virginiæ qui litora , quique tenetis
Muſcoſos pelagi campos , atque Herbida regna ;
Innumeri quibus è fluvio , rictuque tremendo
Egreſſi erumpunt Crocodili , atque omnia vaſtant.
Forſitan è belli ſtudiis , uſuque frequenti ,
Aut inconſultis animis audacia tanta eſt.
Ora per , & ripas fluviorum è tegmine querno
Rimoſam fecere caſam , qua pervigil unus
Excubias venator agit : cumque æquore ſpectat
Adventare feram , dat ſignum : protinus omnes
Horrendo clamore ruunt , atque arbore longa

Mirabilis Indi audacia, cui fera filium abſtulerat. Et tertia venandi ratio.

Pugione confoditur.

Quomodo ab Indis occidantur.

Arma-

Armati, velut hastili, fera prælia tentant,
Ingreditur contra rictu Crocodilus hianti,
Horrendum visu, ut prædam petat ore: sed illi
Faucibus immittunt truncum, subiguntque feroces
Conatu in pectus multo, subitique supinant,
Ferroque incidunt ventrem, & fera viscera nudant.
Sed jam post casus varios, bellique labores
Nos in saxa vocant Zephyri muscosa canori,
Annuit & placidó Tethys blandita susurro.





HALIEUTICORUM
LIBER OCTAVUS.

Me scopuli virides, & odora suavibus herbis
Litora, purpureoque ardentes murice Conchæ
Invitant, curæ quæ pars est altera nostræ.
Vos udæ rupes & aquis lita saxa, canenti
Aspirate, precor, Zephyrosque afflate salubres,
Ut meritum vestro possim de munere sertum
Ex humili, non plura ausim, mihi texere myrto.
Et jam cantanti muscosæ è marmore cautes
Assurgunt, plauduntque undis vada læta canoris:
Sponte revulsa cavis è rupibus Ostrea cantu,
Auritusque simul Turbo, & Conchylia pendent:
Inclinantque suos non dura Corallia ramos.
Ipsæ & Olympiades, pulchræque Dicarchides, & quæ
Alta Pithecusæ tenuere cacumina, Divæ
Jam celerant monstrare viam, vitreisque sub undis
Lucida crystallo, & pendentia pumice tecta
Pandere, & Oceani in penetralia ducere Vatem.
Neptuni quæcumque tenent muscosa profundi
Saxa, sub innumeris veniunt visenda figuris,
Et diversa modis crescit gens testea miris.
Hæc falcata novæ referunt crescentia Lunæ
Cornua, crustatoque tumescunt plurima gibbo.
Verùm hæc dividuo sese diffindere circo, — Diversæ testarum species describuntur.
Illa sed exacto gaudent curvarier orbe.
Sunt alia oblonga, & surgentia crure suillo,
Palma velut: scabro turgescunt tubere multa.
Lævia sublucent illa, intersectaque crenis

Tenuibus: auriti surgunt hæc turbinis instar,
Asperaque, & rigido circùm mucrone rigescunt.
Pectinis instar habent dentato cortice concham
Illa: sed hæc duris horrescunt undique setis.
Hæc villo insignes: hæc sunt lanugine molli
Obducta, & musco pariter velantur odoro.
Prætereà, variusque color, diversaque Conchis
Natura, & victus ratio non omnibus una est.
Singula quæ nostro poteris cognoscere versu.

Ostreæ descriptio, & quam varia.

Quare age, quæ primum, quibus & nascantur in undis
Ostrea (1), quoque modo piscaberis illa, docebo.
Se gemina mollis testa tegit Ostrea, gibbo
Concava quæ multo non est; tamen aspera sordet,
Et non æqua luto, tenuesque facillima scindi
Sectilis in crustas, intusque argentea candet,
Et lævis, biforesque aperit pulcherrima valvas,
Est & Ibera tamen ruso dotata colore,
Illyrica insignis fusco, Circæa nigrescit.
At non æquali cunctæ se mole per undas
Devolvunt: externa Thetis quas nutrit aperto
Oceano, ingenti grandescunt corpore Conchæ:
Proximæ in Ægeis nant fluctibus: humida quæque
Thyrreni, Superique secant vada, tecta minores
Saxa colunt musco, & densas stipantur in algas.

Ubi quærenda.

Insuper his, non ex omni, piscator, arena
Ostrea dura leges: sed quà vaga flumina cursu
In mare prorumpunt celeri, & quà litora propter
Stagnantes siluere lacus, turpesque paludes,
Inque Thetin se subter agunt, & sicubi dulcis
Rivus aquæ sonant, aut pelago fons surgit ab imo:
Vel quà sunt cœno loca pinguia, limus & ater
Plurimus aggeritur, muscusque, & decolor alga:
Nam quæ Naïades perflant, rivique sonantes,
Et pingui limus, spissaque uligine pascit.
Gustu grata magis, placidoque tenerrima succo.

Quibus in locis optima perveniant.

Nec non & variis varia est Natura sub undis.
Quæ Circæa creat Thetis, optima, quæque Minervæ
Dant saxa, & multo servat quæ Scylla latratu.
Sunt etiam laudanda, legunt quæ litora circùm
Pictones (2), (3) Armoriciq; (4) Eboriq; & (5) Santones, & quæ
Sic-

(1) *Ostraghe* nostris, Gall. *Des Huistres*, *Ovitres* & *Oestres*, Hisp. *Ostie de la mar*. (2), (3), (4), (5), Galliæ populi, qui ad Oceanum habitant *Poictiers*, *Bertagna*, *Santogne*.

Sicca Caledonius nonnumquam deserit æstus.
Parte alia accedunt, nigro quæ Bosphorus amne,
Quæ Propontis alit, pinguissima: sunt & opimi
Visceris, ostriferi quæ perluit æquor Abydi.
At cunctis meliora, & succo læta salubri
Ostrea sunt, bimaris quæ jactitat ora Tarenti:
Nam non è limo, crassaque uligine ponti
Spontè sua veniunt: sed roscidus æthere lapsus,
Ut perhibent, Conchis sua semina sufficit humor.
Sed quæ Neptuni populetur machina regnum,
Quoque instructa tibi referat felicia ferro
Ostrea, dicamus. Sex primùm (1) lamina palmis
Longior è ferro fiet, digitisque quaternis
Latior: inque aciem frons attenuetur acutam.
Hac super extremis adnexus ponitur arcus
Æreus, aut dura curvatus ab ilice: lamnæ
Hinc arcu in medio, geminoque à vertice triplex
E tenui circùm tendatur virga metallo:
Quæque sit incurva, & nexu copulentur eodem.
At mediæ, ex arcu quæ ducitur, annulus insit,
Aut uncus, solido cui mobilis orbe rotundo
Armilla è ferro inseritur, quo machina longo
E spartho valeat religari, aut vimine torto.
His actis, contexta levi de cannabe curvo
Adnectes arcu, & subjecta retia lamnæ
(Lamnaque sit multo pertusa foramine dorsum,
Rara quibus tenui conjunges retia lino)
Conifero tenuata sinu: sed tempus ab acta
Solvere, quæsitum Nerei per Cærula Conchas.
Postquam est in mare versicoloris fertile testæ
Perventum, media è puppi, piscator, in undas
Ostrilegum demitte, leves ut radat arenas
Lamina, & incurvus stet rectus desuper arcus:
Hinc ubi paulisper cum lintre recesseris ipsa,
Ostrilegum de puppe trahes: sic ostrea ferrum,
Et quæcumque imo stant fundo in retia mittet.
Quod grave cum tandem deduxeris, ubere præda
Lætus eris, referesque Diis pro munere grates.
Sed priùs ostrilegum jacias quàm fluctibus, illud
In primis tibi sit cura majore notandum,
Scilicet ut varios Lunæ cognoscere vultus

Describitur machina, qua Ostrea Tarentini piscantur.

Piscandi modus.

(1) Hæc machina Tarentinis dicitur *il Ferro*, Gangamæ similis est. Nostris Ostrilegum appellabitur.

Ediſcas; namque illa ſuo regit humida curſu
Æquora, & æquoreis fiunt quæcumque ſub undis:
Ac velut exacto cùm lucida fulgurat orbe,
Et niveos Phœbe currus agit, ubere ſylvas
Fœcundo nutrit, & plenum plena refundit
Ostrea pro vario Lunæ aſpectu creſcunt, decreſcuntque.
Humorem plantis: teneroque uberrima ſucco
Poma replet, riguoque humectat gramina rore:
Non aliter pleno tunc lactat pinguia cornu
Oſtrea multiplici fœcundans viſcera partu.
At cùm falcato vix cernitur aëre gyro,
Syderio vicina jugo, tunc Oſtrea ſiccant
Ubera, & è vacuæ tenuantur lumine Lunæ.
Quin etiam, ſi vera canunt, animalia quæque
Luna vago regit Orbe, fibriſque infuſa miniſtrat
Undantes plena humores, quos ſubtrahit, igni
Cùm nitet exili, & lucis ſe nigra recondit.
Quæ cum ſic habeant ſeſe, legere Oſtrea, Luna
Accreſcente, tibi, non deficiente, jubebo.

Et Solis radio replentur.
Præterea, id non te lateat, ſunt Oſtrea Solis
Imperio ſubjecta: fovet vitalibus ille
Cuncta ſuis radiis, & quæ per inane creantur,
Et gignit quæcunque Thetis, quæque humida Tellus:
Hinc æſtate nova, cùm fervidus æquora ponti
Permeat, atque imum ſe mittit ad uſque profundum,
Felici replet prægnantes ubere Conchas.

Qua arte capiantur ab Illyricis.
Sed quibus Illyrica teſtas piſcator in acta
Artibus inquirat, dicamus. Curva ſecundùm
Litora quæ duris ſtipantur plurima ſaxis
Cærulei frutices naſcuntur, & herbida ponto
Sylva ſuper viret, & ramos ſtat flexilis arbor:
His piſcatores gravitantia vertice ramis
Saxa ligant: trahiturque plicabilis æquora ſubter
Ponderibus ramus: circùm generantur in illo
Oſtrea, & è læta ſenſim pinguedine turgent.
Hinc poſtquam crevere, ſecatur forfice reſtis,
Aſſurgitque mari ramus directus in auras:
Miraturque novos partus, & non ſua poma.
Non ſecùs Euboico faciunt in litore, Bajas,
Et Bajanis.
Quique tenent Baulos, Cumaſque, ſinumque Dicarchi,
Fagineos figunt contos, ubi pinguia limo
Sunt loca: defixis creſcunt Conchylia palis.

At ſi fortè maris ſquallentes Oſtrea fluctus
Rara ferant, ſenſimque ruat genus omne, neque ulla
Pabula dent rivi dulces: jam tempus, & ipſa
Helleſpontiaci meminiſſe inventa Magiſtri,

La-

Lacteus ut testas liquor edidit: altiùs omnem
Obscura repetens revocabo ab origine famam.
Nam quà Bistonidum genus intractabile bello
Accolit Euxina resonantem Bosphoron unda,
Et quà lunatis circùm secat æquora cymbis:
Et quà Bithynum vicinia perluit Helle,
Seston & hinc spumis, hinc litora plangit Abydi,
Hac piscatorum posita est spes omnis in arte.
Cùm Sol æstate in prima Garamantas, & Indos
Fervidus accendit radiis, & sydus amicum
Jamque recollectos terris ostenderit ignes,
Protinus ex ima generosa Propontide testa
Carpitur obscura sub nocte, poloque sereno.
Mox omnem pingui radunt de viscere ferro
Spondylon (1), & mundo convulsum pollice pressant;
Confestim niveum lac effluit: hinc ubi fulgens
Purpureis Aurora comis, bigaque rubenti
Oceano surgit, Cœlumque ardescit ab auro,
Muscosos inter scopulos, atque herbida saxa
Lacte ferunt sparsim, dicuntque sonantia verba
Hellespontiaco Neptuno, & tibi, Dori
Ægæa: extemplo saxis, mirabile dictu!
Ostrea concrescunt, dulci felicia succo.
Ceu matutinus cùm terram irrorat Eous,
Ut rores cepere sinu prægnantia matrum
Viscera, confestim Oceanitis ab ubere læto
Lætior accrescit baccha, atque argentea candet:
Egregium pulchris torquem factura puellis.

Qua ratione è lacte sato concrescant in Propontide.

Quis Deus hæc nobis, Divæ, quæ curritis Hellen;
Tradidit inventa? unde hæc experientia cœpit?
Postquam res Asiæ, Græcamque evertere gentem
Immanes potuere (2) Scythæ, ceciditque superba
Eoi sedes, altùmque remugiit horrens
Bosphorus, & tota tremefactus palluit unda,
Illuvies Asiæ populos effusa per omnes.
Corripuit Cœli tractus, terrasque veneno,
Atque hominum genus omne neci, genus omne animantum
Dira dedit, sævitque mari crudelior alto:
Perdidit & pisces, atque Ostrea perdidit ipsa.

Unde seminandi modus exordium cœperit.

Ergo ubi piscatum testas venator Amyntas
Tendit, & ostriferi cautes scrutatur Abydi,

Ostrea

(1) Sic dicta Græcis est concharum caro.
(2) Turcæ è Scytharum gente.

Ostrea nulla videt, desertaque cærula passim
Aspicit, & nullos innare per æquora pisces.
Quo subito rerum casu perculsus acerbo,
Re super insueta scitatum oracula Divum,
Dorin adit: refluæ, Dorin, quæ præsidet Hellæ,
Ægæasque tuetur aquas. Stat rupe sub alta
Threjicia tellure specus, cui desuper ingens
Nereidum Matri sacrum nemus imminet: antro
In medio delubra Deæ de marmore vivo
Hellespontiaci quondam posuere coloni.
At læva de parte duæ stant ære columnæ
E solido, quas inter inest gravis ara metallo:
Sed retro in gemino connexi cardine postes
Insistunt inter suspensas ære columnas.
Ex adamante micat cardo, riget ensæa portu.
Spontè sua, referunt, immoto cardine postes
Expandi, subitoque unâ tremere omnia motu,
Solicitis quando Dea fert oracula nautis.
Vestibulum antè ipsum templi jam tristis Amyntas
Constiterat genibus supplex, & talibus orsus,
Affatur Divam dictis. Pulcherrima Dori,
Quæ servas Hellen, altæque propontidos undas,
Et procul Ægæi fluctus hac rupe tueris,
Dic age, Dia, precor, læsi quæ Numinis ira
Perniciem tantam Conchis immisit, & omne
Perdidit æquoreum ponti genus? undique squallent
Litora, & amissis vacuum mare piscibus omne est.
Anne parum Superis visum est, quod sanguine nostro
Non Asiæ tantùm campi, non litora Thraces,
Sed latè Euxinus, indignatusque revinci
Bosphorus, & trepidæ rubuere Propontis, & Helle:
Nec satis Imperii sedem, tot & inclyta regna,
Et res Romanas Scythico cessisse tyranno?
Nec fuit indignum post horrida bella, necesque
Atque ignominias, & tristia funera regum,
Ut totum malesana lues pervaderet Orbem,
Cuncta catervatim perdens, hominesque ferasque?
Scilicet ipsa darent etiam Diis Ostrea pœnas.
Sed jam, ò Diva, tuum quoniam placabile Numen,
Sublapsis fer opem rebus, nutuque benigno
Annue, Dori, preces non aversata petentis.
Tu Dea Threjicium, tua Numina semper adorat
Nauta, per angustum qui navigat Hellespontum;
Et tua sæpè agimus ditem ad donaria gazam.
Vix hæc piscator; confestim visa moveri

Doridos Hellespontiacæ Delubrum describitur.

Amyntæ preces.

Ru-

Rupes, & ſummæ motare cacumina ſylvæ.
Hinc geminæ patuere fores, Numenque recluſum,
Et clara ex adytis vox eſt audita repoſtis:
Quali Diva ſolet Fatorum dicere cauſſas,
Et longè rerum eventus aperire futuros.
Hæc autem intonuit: ſuperûm vos ira Deorum
Exercet, faſtu quoniam ſprevíſtis iniquo
Æternos illorum Ignes, Flammamque Triformem.

Deæ reſponſio, & vaticinium Auſtriaci Cæſaris.

Nac jam miſſa lues nunc eſt revocabilis: omnes
Torpebunt Nerei fluctus, atque Oſtrea nulla
Sponte ſua gignent: donec poſt ſecula ſera
Antiquos iterum Superis reddatis honores:
Cum domus Austriadûm Babylona, Scythamque ſuperbum
Servitio premet, & victis dominabitur Indis.
Magnus Romana naſcetur origine Cæsar,
Qui Scythicum Eoæ regni de ſede tyrannum
Ejiciet victor, ritusque & ſacra reducet,
Ac (1) ſeptimgeminæ Byzanti turris in arce
Romanas Aquilas, victoris & arma Quirini
Reſtituet, veteresque Patrum de more triumphos
Lætus aget primus, lauroque decorus & oſtro
Inſignes ducet Capitolia ad alta Curules.
Ille & nimbiferi culmen transvectus Amani,
Euphratem ſuper, & ſeptemplicis oſtia Nili
Proferet Imperium: Solymæque aſſertor honores
Accipiet Divum, paſſique ad Numinis Urnam
Æterni ſtatuet monumentum inſigne trophæi.
Illius adventu jam nunc Jeſſeja regna
Subſultant plauſu populorum, & dives Idume,
Et plauſu totis Jordanes murmurat undis.
Non tot Flaviades populos, non regna ſubegit,
Fregerit occiduum regem licet, aut Orientem
Placarit, regnique novam fundaverit arcem:
Nec qui mixta auro prætendens lilia ſignis
Reddidit Auſoniæ primus ſceptrumque, decusque
Magnus, agens victor Francos Heroas in arma.
Et dubitatur adhuc tantis inſiſtere cœptis?
Auſpice & hoc, poſitis dabitur pax aurea bellis:
Saturnoque fluent quondam regnata per Orbem
Secula, & hoc totus gaudebit Conſule Mundus.

Tunc

(1) Celeberrima Conſtantinopolis arx, Græcis Heptapirgium, in uno è tribus angulis ad Meridiem, & Occidentem poſita.

Tunc & spontè sua, nullo cogente colono,
Cuncta feret Tellus, cunctis nascentur in oris
Omnia, quæ sparsim rerum Natura creavit.
Ipsi & cærulei progignent omnia fluctus.

Ostrearum sationem docet.

Interea, quoniam supplex mea Numina poscis,
Quo reparanda modo tibi sit jactura, docebo.
Quæ nostra sub rupe latet Concha una superstes
Illuvie ex illa, ritu capienda vetusto,
Ne rursus gravis ira Deûm fervescat: & illam
Pollice si puro tu presseris, ilicet humor
Lacteus exibit, qui mox dispersus in undas
Sufficiet nova Concharum sua semina ponto:
Hoc facies æstate nova, & cùm lucida cornu
Totum Luna suum radiis implevit, & ante
Quàm rubeant Orientis equi: vix talia fata est,
Cùm tota extemplo summo de vertice rupes
Contremuit, sonituque procul nemus omne remugit:
Atque ultrò obstricti super ipso cardine postes.

Echinorum descriptio.

Nunc age, & armatos radiis piscator (1) Echinos
Venemur. Frutices inter, densataque passim
Lentisci nemora, & loca fœta virentibus algis,
Se circum versans prorepit Echinus in orbem:
Et tot carpit iter pedibus, quot cortice ab ipso
Undique protendit spinas mucrone rigentes:
Aut rimosa tenens bibulo sub pumice tecta
Attondet herbas, & rorem potat amarum.

Quam varii.

Est & Echinorum duplex genus: alter edulis,
Pinguior, at testa minor, & majoribus horret
Cuspidibus, verùm brevibus succingitur alter,
Et major testa, succo sed futilis ille est.
Sunt & Echinorum (2) matres cognomine dicti,
Queis majore calyx sese decircinat orbe,
At minùs exiguis riget, obtusisque sagittis.
Ova tamen fecunda creat, lætoque gravatur
Ubere, quo miseris nihil est jucundiùs ægris.
Hi procul alta tenent: oderunt litora, & ipsos
Oderunt scopulos, ferrumque natantis avarum.
Divite qui succo Sardoo in gurgite repit,

Se

(2) Nostris *Ancino*, Siculis *Rizzo*, aliis *Riccio*, Liguribus *Ziuzin*, Hisp. *Erizo de la mar*, Gallis *Ursins*, & *Castanges de mer*, Accolis Oceani *Herisson de mer*.

(2) Echinometræ, Gallis *Rascussos*. Sunt alii parvi, qui nobis dicuntur *Castagnole*.

Se calyce ostentat magno: qui Doride rubra,
Parvulus est, radiis verò longissimus horret.
Perge, sagittiferis non est color unus Echinis:
Hisce calyx, radiique omnes nigredine fulgent: Colorum diversitas.
Flavescunt alii: candent hi, marmoris instar:
Verùm hi cyanei, rufi spectantur & illi:
Ast hyali radiant multi convexa colore:
Hic gemmas referunt, & multicoloribus ardent
Cuspidibus nitidique, velut scintilla, relucent.
Sed vita fugiente, fugit color, & perit omnis.
Vanescit velut ipsa, cadit cum roscidus humor,
Et nusquam radiis est versicoloribus Iris.
Si secus, ut gemmæ, pretio mortalibus essent,
Et magni decora alta ducis. Sed non & Echini
Consilium, contra quo se munire procellas
Sedulus invigilat, Nereo spumante, silebo.
Obvertit fundo dorsum, radiisque lapillos
Apprimit, astringitque: gravique juvante saburra,
Spumosum pelagi venientis sustinet æstum. Mirabile Echinorum ingenium.
Qualis apis, Cœlo cum pendet aquaticus Auster,
Et strepere incipiunt subrauco murmure sylvæ,
Exiguum nitido tollit torrente lapillum,
Atque volans rapidis obsistit firmior auris,
Tutaque succedit tecto. Sed tempus in alto
Per densos prædam frutices tentare repostam.
At tibi ne frustrà labor impendatur, in undas
Quæsitum rigidos venies, piscator, Echinos,
Rara inter pleno cùm fulget sydera cornu Quo tempore quærendi.
Cynthia, & è terris nigrantem submovet umbram:
Et tepidi radiant aprico lumine Soles.
Majori quoniam tunc pinguent ubere testæ,
Ovaque prædulci minio fœcunda rubescunt.
At qui Pyrrhæi trans Aulidos alta sonantis
Euripi loca cœca tenent refluentibus undis,
Dum Boreas riget, atque nives densantur acutæ,
Multiplici carpunt calyces mucrone rigentes;
Namque illic majore Thetis tunc ubere lactat.
Sed tandem, ut prædam capias, piscator, opimam;
Prælongum ferreo contum subnecte tridenti,
Plurima cui cuspis sit adunca, erectaque sursum. Qui piscandi modus.
Hoc etenim facilè avelles de gurgite Echinos.
Præterea manibus submersus in æquore nudus
Comprendes inter frutices, algasque rigentes:
Verùm ne spinis te sauciet ille caveto;
Namque opus est tibi vi multa, quia scilicet illi

Pumicibus sese dura promuscide stringunt.
Quare omnem dura celabis pelle lacertum.
Sæpè etiam parvis includes retibus, imum
Neptuni fundum cùm ferro radis acuto.
At mihi se placida sub Doride prodit arenis
Dactylos (1), erectusque assurgit arundine læta.
Hinc olim Donaces appellavere Pelasgi,
Atque Aulos: nostri digitos vertere vocantes.
Cæruleus maribus color est, & linea testam
Transversum deducta secat: sed fœmina nullis
Puniceis distincta notis: hæc plurima ponto
Perquirenda tibi, nam dulcior, atque salubri
Pinguescit succo mollissima: pluris &. illam
Tu cautus domino vendes, piscator, avaro.
Hanc mihi, non prunis tostam, cùm (2) Monte sub Alto
Ad virides fient umbras (3) Laurentia Sacra,
Sed magis elixam, & fragranti jure madentem
Optarem, grato namque est dulcissima succo.
Atq; hic, ni mihi longum, & iniquo calle premendum
Esset iter, nulla apparent quà signa priorum,
Forsitan & testas etiam, & genus omne natantum
Censerem, viresque omnes scrutarer, & usus,
Quæque hominum magis apta forent, & idonea victu:
Quoque paranda modo, quò dulcis, & utilis unà,
Ac damnosa minus fieret mortalibus esca:
Et quid opis positum his, & quid medicaminis esset
A Superis morbos contrà, tristemque senectam,
Haud equidem invitus canerem: sed me quod agendum est
Per dubios calles iter, ambagesque viarum
Non sinit incœpto longè divertere clivo.
Quin etiam (tua, CARDENIDE, non mollia jussa)
Me magno clangore vocat tuba Martis in arma,
Plurimaque è domito invitat victoria Thrace.
Fors erit, ut Vates alii meliore cothurno
Illa canant, lentis ducentes otia Musis.
Quare age Solenas sabulo capiamus ab imo.

Quà

(1) Nostris *Cannolicchi*, Venetis *Cappas*, Appulis *Imbrici*, Gallis *Cousteaux*, quasi cultri manubrium: in tenebris lucent, maximè in ore madentium.

(2) Nostris *Capo di monte*: amœnissima Coll. Neap. villa, in quam relaxandi animi gratia scholastici secedunt.

(3) Celebris secessio, quæ fit die D. Laurentio Sacra, cum absoluto Philosophiæ curriculo, junioribus præmia statuuntur.

Quà modico ſonat unda vado, piſcator, adibis
E ferro armatus pala, quam ſubter arenas
Intrudes, totamque adiges; nam Dactylos imo
Abdit ſe fundo, penitusque in viſcera condit.
Aſt ea ſolicito fuerit tibi cura, fragorem
Ne facias; ſubitus quoniam ſe ſubtrahet Aulos,
Ima petens, palam quà non, piſcator, acutam
Fixeris, & vacua venies ad litora ciſta.

Quomodo Dactyli perquirendi.

Ut ſunt auriti.

Cum me Brunduſij turres, & curva tenerent
Litora, Romanis olim luſtrata colonis,
Multus & aſpicerem magni miracula portus,
Cujus arenarum ni molibus ora refuſis
Aſſiduo refluens clauſiſſet Nereus æſtu,
Non foret Auſonia in tota felicior alter.
Hic piſcatores memini vidiſſe cavata
Arbore devectos, digitos educere pala,
Queis alibi melior non eſt, nec dulcior ullus.
Quanquam Sebethi, quem noſtri ad litora carpunt,
Et quem lacti fluo producit Olympia ſucco,
Illis inferior non eſt. De murice ſed jam
Me (1) Balani, ſaxisque invitant (2) Pholades udis.
Saxoſos inter ſcopulos, ſub pumice vivo
Quos Thetis aſſiduò ſpumis aſpergit amaris,
Pholades, & Balani paſſim naſcuntur: & illi
Ceu glandes duplici teſta formantur acuta,
Oblongi magis, & circùm, velut ova, rotundi.
Hi magis aſſimiles ſunt glandibus, aſpera ſaxo
Poſterior pars, & corio flavente rigeſcit:
At bina anterior teſta lævore polita,
Unguibus è multis veluti formata, colorem
Unguis habet, medioque rubeſcit rimula villis.

Quæ apud Brunduſinos piſcatio, ubi optimi.

Balani & Pholades deſcribuntur.

Has ego crediderim generari è Doride teſtas,
Quæ per ſaxorum rimas infuſa recurrens
In cœcis ſoboli fert nutrimenta repoſtæ
Rupibus, & furtim concluſis lactat in antris.
Sed fruſtra impenſus labor hic: non ſaxa, neque ignes
Occultas tutantur opes: pervadit & ipſum
Marmor avarities, medioſque irrumpit in ignes.
Ergo tibi rigida rupes ſcindenda ſecuri,
Ut Balanum rapias, & clauſum Pholada ſaxo.
At ferro non cuncta mari lita ſaxa laceſſes:
Quæ rupes, veluti pumex, ſcopuloſa dehiſcit

Qua ratione generentur.

Et qua capiantur.

(1), (2) *Dattili* noſtri, & Tarentini vocant, Galli *Pouſſe piez*.

Crebra foraminibus, diffindito: clauditur illa
Pholas, & ostrifero Balani fulgore rubentes.
At priùs abruptæ violes quàm viscera rupis
Qua item Lepades. Hærentes ipso (1) Lepades in cortice, duro
Aut cultro poteris, vel acuto vellere saxo;
Nam digitis frustra conabere: cautibus illæ
Pectora prona tenent, vinclisque tenacibus hærent,
Ut neque Milonis vis ipsa revellere possit.
Usque adeò figuntur humi, quæ corpore prono,
Humoremque bibunt gremio telluris ab ipso,
Haud facilè è terris convulsa feruntur in altum.
Una tegit Lepadas cava testa, & plurima livet:
Harum descriptio. Non secus ac cinis, & tenui riget aspera villo:
At gibbo majore tumet, crescitque rotunda.
Verùm Virginiis quæ Cypria carpitur undis,
Multa striis visenda venit: quæ Doride rubra,
Lorica circum tegitur, spinisque rigescit.
Non secùs undoso scopuli de vertice (2) Turbo
Vellitur: at Turbo qui sit te, Batte, docebo.
Corpore qui crasso, surgitque volumine multo
Tegmine sub niveo testæ, scabrosus, & asper
Tubere multiplici, tenuique, & plurima dorsum
Turbinis descriptio. Linea cui rugis distinguit, & ora rotundus,
Exiguaque patet rima, tenuatur & instar
Turbinis, ille tibi dicetur nomine Turbo.
At non est unum cunctis genus, unaque forma
Quam varii. Turbinibus: diducto illi, oblongoque meatu
Humanas referunt aures, quibus ordine pulchro
Extat dispositus per crebra volumina tuber.
Qualiter argilla interdum fit fictilis alba
Urceus, artifici dextra tornatus, & arte.
Ille striis candens: hic tubere multus: & ille
Insignis rostro, multoque trigone rigescit:
Lævis & hic esset, tenui ni linea ductu
Serperet, inque aciem convolveretur acutam.
Angulus huic cælatus inest: ast ille rubentis
Muricis instar habet testam, & mucronibus horret.
Sunt quibus appendix multa est, oblongaque, Graii
Dactylon, ut perhibent, appellavere vocantes:

His

---

(1) Nostri, Ligures, ac Provinciales *Patelle* dicunt, Oceani accolæ *Oeil de bove* oculum Hirci, Hisp. *Ameia*, Massilienses etiam *Lepoda* vocant. (2) Vulgus Neapolitanum *Sconciglio*.

His etiam, magis id miraberis, (1) Eschara picta est.
Ceu trochus, hic alter, crusta cui duplice testa
Compacta è lævi: subcandicat una: sed infra
Quæ sita, candenti lucis splendore coruscat.
At tibi non tantus labor impendendus, acuto
Ut ferro è scopulis rapiatur Musculus udis.
Namque pilis tantum vincit sua tergora saxis:
Os sublime tenet, magnoque patescit hiatu,
Mytulus asper uti palis; vel cautibus hæret.
Nam palis etiam generatur uterque, sed una
Non geminis forma est: curvatur Musculus orbe
Exacto, tenuis quà desinit, ast ubi gibbus,
Spissior est testa, & multa nigredine fusca,
Atque obducta levi musco, & lanugine molli:
Lævia cæruleo candescunt concava fuco.
Clusilis, & forma fit Mytulus, atque colore
Diversus: crevit scaber hic, oblongus, & ater:
Ille striis, ceu Pinna, venit flaventibus: alter,
Castaneæ veluti, livescit, & actior orbe est.
Disce, & odoriferas etiam, Piscator, arenis
Tellinas (2) legere, in regum ventura secundas
Auratas inter lances bellaria mensas:
Nam sapor egregius, succusque suavior illis.
Candida Tellinis est concha, & lævis, & æqua:
Denticulata tamen multis tenuissima crenis
Cernitur, atque teres, oblongaque, cortice dura:
Illas ima secans in retia mittet acutum
Ostrilegum, aut ipsa educet manus ærea fundo.
Semper arenosis in syrtibus, & cava propter
Fluviorum soboles felicior editur ora.
Verùm non alibi generatur copia major,
Quàm devexus ubi Lunæ de vertice Nilus
Septeno refluens succedit in æquora cornu.
Sed jam (3) Limaces properant (4) Phereœcides, & jam
Tardigrado quamvis subierunt retia gressu.

Musculi, & Mytuli piscatio.

Illorum descriptio.

Tellinarum descriptio.

Quo instrumento capiantur.

Ubi feliciores nascantur.

Limacum descriptio.

Cor-

---

(1) Zoophyti species ad similitudinem latucæ, unde & latuca marina, Gallis dicitur *Giroflade*.

(2) Nostris *Tonninole*, Romanis *Telline* ut etiam Gallis, & ab Oceani accolis *Filon* appellantur.

(3) Vulgus Neapoli *Maruzze*, Romani vero *Lumache* vocant, Tusci *Chioccole*, Galli *Limascon*, Hisp. & Provincialibus *Scaragol*, & *Carocol*.

(4) Quasi domum ferentes.

Cortice siliceo, cochlidemque imitata reflexam,
Claviculata venit: medioque umbone recurrens
Serpit helix intorta, labrumque ascendit in ipsum:
E labroque animal caput exerit: & duo longa,
Et totidem brevia extendit sua cornua fronte.
Vertice in extremo, visu mirabile, cornu
Exigui rutilant oculi, doctoribus istis
Prætentant iter æquoreum, tutæque per undas
Excurrunt (1) Cochleæ, secum sua tecta ferentes.

Quomodo capiantur.

Has tu, Piscator, limosas quæ per arenas
Castra locant, cono capies: quo gurgite ab alto
Neritas (2) etiam rapies, quibus altera ponto

Neritæ.

Pulchrior haud Concha est: texellis plurima pictis
Vermiculata venit testa, èque umbone reflexæ

Illarum descriptio.

Incipiunt helices crebræ, gyroque retorto
Majores sensim ascendunt: nigrisque coruscant
Distinctæ punctis maculæ: nitidoque argento
Insignis rutilat margo, & flaventibus astris:
Interius totam perfundit purpura testam,
Quam Veneri sacrum nautæ fecere. Sed imo
Gurgite deproperant in consona fila Paguri.

Accitos Cadmæa ferunt ad mœnia cantu
Sponte sua lapides coiisse, & voce canora
Turritum caput assurgens venisse supremum
Arcis in aëriæ culmen, cunctosque Penates,
Atque Amphionio factas de pollice Thebas.

Cancri sono captantur.

Blanda sed hæc Vatum commenta: sonora Paguri,
Certa cano, citharæ sectantur fila, modosque

Jo. Baptista Porta in Magia naturali.

Cantantis; veniuntque mari muscosa relicto
Litora sub, dulci cantu, nervoque vocati.
Quare age, cantando fuscos venabere Cancros
Herboso, puer, in saxo, dum deflagrat Æstas
Torrida, & æquoreæ sitiunt per litora myrti.
Molliter ut pelagi vada lenta lacessere cornu
Incipies, udo scruposæ rupis ab antro
Ilicet auriti venient ad murmura Cancri.
Tum viridi è scopulo surges festinus, & actam
Cantando in siccam lentè, piscator, adibis;
Correptæ numeris nam te tunc ponè sequentur
Octipedes acies, arrectæque auribus auras,

Opta-

---

(1) Sic & vocantur Limaces a cochleæ figura.

(2) Adriatici Accolæ *Nerite* dicunt, alii *Naridola*, Hispani *Caragolo*, Galli *Virlis*, & *Bigornet*,

Optatosque bibent resonantes lenè susurros.
Quas tu pellectas cantu captabis in acta:
Venatumque dabunt numeri tibi, nauta, canori.
Discite, mortales, vos hinc non fidere cantu:
Si fera mellitis sub cantibus abdita mors est.

Et jam cantanti bysso spectabilis ipsa
Se Vati inclinat vitreo de gurgite Pinna,
Marmoreasque fores, atque ora tenacia pandit;
Auritusque simul custos se prodit ab alvo
Carcinus: illa mari prælongo crure, suillo
Assimili defixa manet, directaque surgit.
(Unde & Romanis dicta est cognomine Perna)
Latior & sensim se è caudice tollit acuto,
Palma velut, geminaque operit sua viscera testa:
Unum longa pedem: latoque patescit hiatu.
Est convexa rudis, fuscoque immixta colore
Nigricat: argento splendescunt concava multo.
Verùm cœnosis quæ plurima pullulat undis
Flavescit: puris nam candida degit arenis.
Ad latus emittit non longè à cuspide byssum:
Quæ similis lanæ est, mixtaque nigredine fusca,
Velleribus Serum flavis non vilior ipsis.
Hos tu, piscator, de Perna collige villos:
Contexti nam crura tegent, palmasque tyranni,
Atque venustatem Nymphis simul, & decus addent.

Pinnæ descriptio.

Exiguos alit hæc Cancros, Squillasve rubentes
Intus, & hos testa nunquam demittit ab ipsa;
Provida nam Pinnis custodes corporis illos
Ipsa parens Natura dedit, jussitque fideles
Excubias agere ex alto, dominamque tueri
Immanes contra Polypos, fraudesque dolosas.

Cancellus Pinnæ custos.

Verùm age lanigeras imis, piscator, arenis
Quo valeas instrumento convellere Pinnas
Accipe. (1) Pinnilegum facies de duplice ferro,
Quodque ipso è capulo se tendat acinace torto:
Inque orbem capulus fiet, totusque cavatus.
Latiùs in medio virgæ laxentur: adunco
Se tandem gyro excipiant, unàque plicentur.
Prælongam capulo bis ternis passibus hastam
Insere: & extremo, virgas ubi copulat uncus,
Vimineam religa restim, quà longiùs ipsam
Extenta pariter religabis plurimus hastam,

Quo instrumento capiantur, & illius descriptio.

Hæ-

(1) Hanc machinam *Panduenco* vocant Tarentini.

Hæreat ut conto cuſpis firmiſſima longo:
Aut gravis è capulo fors excidat, inter acuta
Non pereat ſaxa, aut nigro loca conſita limo.
Uncus ubi geminum conjungit ferreus arcum,
Linum, piſcator, niveum ſtrictiſſimus adde,
Indice quo cœco prodat ſe machina fundo.

His actis, properè lætas te confer ad undas,
Cum jam menſis adeſt ab aperto tempore dictus;
Piſcandi modus. Namque graves Pinnas venari aptiſſimus ille eſt.
Stans prora in media curvum demitte ſub æquor
Pinnilegum: medioque patet quà latius, ipſam
In latus obverſam comprendat acinace Pinnam.
Exin Pinnilegum, ſurgit quà palmula Pernæ
Amplior in ventrem, obvertes: factaque repente
Vi, facilè ab dura teſtam radice revelles.

Interdum non una tibi, piſcator, ab alto
Comprenſa à gemino conſurget acinace præda:
Plurima, nam dorſo Pernæ ſtant Oſtrea ſæpè
Adnata, ut duris hærent Conchylia ſaxis;
Humoremque bibunt è Pinna: quæ tibi ferrum
Captiva in cymbam capta cum matre remittet.

Quod ſupereſt, non cuncta maris freta cærula gignunt
Inſignes byſſo Conchas: per ditia paſſim
Quibus in locis Pinnæ naſcantur. Oſtia, Nile, tua, & ſitientis litora Gazæ
E limo, & nitidis Pernæ tolluntur arenis:
Ægæisque creantur aquis, ſcopuloſaque propter
Illyrici vada, Sithonio pulſata flagello.
Gallaque Doris habet Pinnas, & Tethys Acarnan.
Non unda in noſtro deſunt Crateride, ſucco
Quæ multo lætæ veniunt, & divite byſſo.
Una ſed antè alias Pernis fœcunda ſuperbit
Ora Phalanthæis olim regnata Tyrannis.
Hic ego byſſiferis latè ſylveſcere plantis
Æquoreos vidi campos, centumque recurvo
Pinnilego lintres venari è marmore Conchas.

Sed trans Tyrrheni fluctus, Scyllamque ſonantem
Litus in Oebalium, fortunatúmque Tarentum
Me dulcis raptavit amor: juvat ire beatam
Herculis in ſedem, & flaventia rura (1) Galeſi,
Quà matutino gemmatis ſydere guttis

Pin-

(1) *Galeſo* penultima correpta Tarentini dicunt: fluvius in agro Tarentino, qui in concluſum mare (*Mare piccolo*) ſe exonerat.

Pinguia distillans Concharum semina Cœlum
Sufficit, & reflua lactantur Doridos unda.
Est locus Hesperia in magna, quà Martia Tellus
Circuitu longo curvatur, & undique fluctu
Ionio latè perfunditur: inque tepentem
Est mundi conversa plagam, Solesque benignos:
Herculeum Graii quondam dixere Tarentum,
Et Cœlo, & Tellure, Deoque auctore superbum.
Namque, sacri ut Vates cecinerunt, prima locavit
Fundamenta Urbis, muroque & turribus auxit
Neptuno cum Patre Taras, quo rege potenti
Floruit imperio, rebusque est usa secundis.
Una (1) Pelasgiadum (2) Calabris quæ finibus olim,
Aut Martis studio viguere, aut Palladis arte,
Tantum clara inter reliquas caput extulit urbes;
Quantum inter proceres rex eminet: alter haberi
Angulus haud toto poterit felicior Orbe.
Hic Ver perpetuum, semperque nitentia rident
Prata, & odoriferis vernant cum floribus horti:
Semper & apricis texuntur collibus umbræ:
Ac lætæ in campis pecudes surgentia tondent
Gramina: & irriguis nunquam non fontibus undæ
Per pictas viridi decurrunt margine ripas.
Æterni semper Soles, & nubila rarò
Obvelant densata diem, Zephyrique salubrem
Temperiem spirant, leni dum murmure fluctus,
Ac densas latè sylvas movere loquaces.
Sed quanquam Oebaliæ tot sint Telluris honores,
Major ab omnigeno consurgit, raraque ponto
Gloria: quandoquidem cunctas hic prodiga fudit
Divitias Natura suas: hic una superbit
Æquore fœcundo, atque ingenti Doris opum vi.
Namque hic piscator semper felicibus undis
Squamiferum crevisse novum genus, & nova saxis
Muscosis adnata modis videt Ostrea miris.
Non secus ac Libyæ loca per deserta, ferarum
Non visas semper formas vagus aspicit Afer.
At mirum est illud, desudans roscidus æther
Hyberna sub nocte, locis prope litora certis
Semina Concharum demittit tenuia, quæ mox

Tarenti descriptio, & laudes.

Cœli salubritas.

Maris feracitas.

Concharum semina, ut à Cœlo proveniant.

(1) Tarentum una ex Græcis urbibus in Italia.
(2) Calabri olim dicti sunt, qui à Tarento Leucadem usque inhabitant.

Lacte Thetis vitreo, & refluentibus educat undis.
Quæ miranda modo quonam miracula fient,
Et quæ cura tibi pariter, piscator, habenda,
Accipe: Partheniis nec dedignare Camœnis
Quæ præcepta tibi præscripserit advena Vates:
Forsitan his (ni vana mihi modo cantet Apollo)
Ditior è pelago venies, notusque per omne
Semper eris Latium, & Cœlo cantabere nostro.
Ni fors, te quoque trans Rhodanum, fontemque Garunnæ
Egregius cantet (1) Frizon; magnusque (2) Ruæus
Trans Ararim canat interdum: gelidoque sub axe
Te doctus patriæ celebret Galvæus, Hiberne.
Quà (3) Thetis angusto serpit circumdata limbo,
Atque urbem molli subter perlabitur unda
Ubi plantandi sint pali. Eoum ad Solem, longos procurva secundùm
Litora sylvestri è pinu, aut ex ilice palos
Fige mari: & senis subeant bis cærula palmis:
Et quo tempore. Vertice sed summo vix uno è fluctibus extent.
Illos tu pelago figes, piscator, in alto
Lætus ubi tandem prælis gemuisse Falernis
Desiit, & rosea fervet Lenæus ab ira.
His actis, miram palis concrescere prolem
Semine syderio mirabere. Solis ab ortu
Quoque in illos decidens cœlestis ros conchitum semina præbeat. Ut ferrugineo pandet se lumine Cœlum,
Ac nitidus fulget polus, & sunt uda serena,
Plurimus humenti de sydere deciduus ros
Depluit, & palis guttatim roscidus humor
Excipitur, gyroque illos strictissimus ambit.
Egregiè veluti textum Oceanitide bacca,
Cana puellarum circumdat colla monile.
Principio hi rores, Mulli velut ova, rotundi
Concrescunt, primoque nivis candore coruscant.
Ast ubi cærulei formantur Pectinis instar
Majores, multa radiant ferrugine fusci;
Oebalii hinc (4) Testas dixere (4) Melænidas illos.
Quo tempore educuntur pali. His animadversis, cùm mitior ira Leonis
Sævit, & extremis cum Solibus interit Æstas,

Cœ-

(1) Leonardus Frizon Gallus Vates, & argumentorum varietate, & carminis elegantia conspicuus.

(2) Carolus Ruæus Gallus item Poëta majestate carminis, aureoque candore nulli secundus. (3) *Mare piccolo.*

(4) Vulgus Tarentinorum vocat *Cozze negre*, quarum ingens proventus, salitæque per varias regiones asportantur.

Cœlesti gravidos fœtu convellere palos
Præcipio, quibus hærentem radice sub ima
(Nam capita alta, vagis extant quæ desuper undis,
Et quæ prima vado pars mergitur, ætheris udi
Non potat rores, nec semina concipit haustu)
Carpe manu teneram sobolem festinus, & illam
Concretaque semina iterum mari mittantur.
Exin redde mari, crescat quò major in unda,
Pinguior, & læto pubescat ab ubere ponti.

Quod superest, quæ salsa Melanidas æquora Conchas
Excipiunt, testisque magis sunt apta fovendis,
Expediam. Pontem juxtà, quà Doris apertum
Et quibus in locis.
In pelagus fluit, & resonantibus æstuat undis,
Stricta per ora, seres, cœlestia semina, Conchas.
Atque externa Thetis modico quà perluit æstu,
Tutaque nec longè statio stat puppibus, & quà
Mœnia subter aquis currentibus obstrepit æquor.
Insuper occiduum ad Solem, Zephyrosque salubres,
Oebaliæ contrà turres, ubi gurgite clauso
Irriguus pelagi fundo fons surgit ab imo,
Salsus & ipse, Dea quondam (1) Citrellide clarus,
Conchis nulla magis felicior unda creandis:
Nec locus est alibi, qui tot cratere capaci
Ætherii capiat gemmantia semina roris.
Præterea flavi quà molliter unda Galesi
Murmurat, & lento currens pede cærula pulsat,
Crediderim læto Conchas pinguescere succo:
Nam refluа lactantur aqua, rivòque sonanti.

At verò, ut multo grandescant corpore testæ,
Tres opus Æstates vitreo perfundier æstu,
Quanto tempore suis in locis relinquendæ sint Conchæ
Inque locis hærere suis: si fervidus igne
Litora Sol nimio, & sitientes torreat agros,
Dum Lædæ sobolem, & duo signa sequentia lustrat,
Plurima provenient Conchylia, lætaque pingui
Ubere, & egregio pariter dotata sapore.

Quin etiam moneo nigras te è gurgite Conchas
Interdum trahere in litus, pontemque sub ipsum:
Et stricto hærentes nexu, velut uva racemo,
Sæpius extrahendæ, disgregandæque, iterumque in mari demittendæ.
Aut sua granato ceu semina, disjice pala
Ferrea, & actutum patrias demitte sub undas.
Sic etenim, Cœlo quoniam lætantur aperto,
Et magis æquoreo sparguntur rore, videbis
Majores sensim succrescere Doridos alveo.

(1) Lo *Citrello* vulgus Tarentinorum dicit.

Sed jam disce modum piscandi: ferrea primùm
Cudatur (1) manus, inque volam flectantur acuti
Quomodo extrahantur. E primis digiti articulis, pulsusque cavatus
Totus erit, lentum cui mox hastile repones.
Inde recurvato ferrum si miseris ungue
In fluctus, tibi multa feret conchylia, in auras
Exin cum pelagi è fundo deduxeris imo.

Non ea cura tibi fuerit postrema, per undas
Conchæ villosæ. Venari multa insignes lanugine (2) Conchas,
Quas ipsa excipiens nocturni nectaris haustum,
Utraque Doris alit sub gurgite, quæque minores
Hirsuta quamvis testa: nec copia tanta
Proveniat, succus tamen est dulcissimus illis,
Et tener, & roseo splendescit spondylos igne,
Quo possis præbere Diis felicibus escam.

Hæc verùm dixisse mihi satis; usus enim ipse
Vatis Enthusiasmus. Plura tibi poterit monstrare. Sed ò ubi colles
Oebalii, & mollis felicior ora Tarenti!
Ora auris perflata, & apricis lucida semper
Solibus, & viridi nunquam non gramine læta:
Et nunquam placidis non perlita fluctibus. O qui,
Angule terrarum pulcherrime, me tibi rursus
Reddat, & in flavi me transferat arua Galesi!
Arua Phalanthæis semper lustrata puellis,
Et semper cantu pastorum pulsa beato.
Hic ego Pæoniis quando mihi reddita succis
Nulla salus, agerem, quamvis inglorius, inter
Felices pelagi Divas tranquillius ævum:
Quoque modo possem, saltem surgentia semper,
Vincere si nequeo, durarem semina morbi.

Hic ego te, cymbæ spes ò fidissima nostræ,
Musarumque olim decus immortale futurum,
Archiepiscopi Tarentini Elogium. Aspicerem, FRANCISCE, tuo quò lætus ab ore
Ærumnas relevare graves & tædia possem.
Et si Fata dabunt, laudi non invida nostræ,
Ut mihi sit Cœlum, sit & ora salubrior, omnes
Pierio festivus agam de vertice Musas:
Et cantu Cyrrham, totumque Helicona ciebo.
Et si Parthenio quid erit celebrarier œstro;
Tu quoque Partheniis olim celebrabere Musis.

Nam

---

(1) Vulgo Tarentinorum appellatur *Gransa*, ut nostratibus dicitur. (2) *Cozze pelose*, quarum species cum interiisset, nuper restituta est.

Nam genus antiquum cantabo, & nobile germen
Heroum, & claros titulos, fascesque superbos,
Atque tuæ, & patriæ dicam virtutis honores.
Egregias animi dotes, mentemque benignam,
Et placidos mores, dignumque parentibus addam
Ingenium, studiis excultum, & Palladis arte.
At si fors erit, ut magnis tua maxima virtus
Romuleis jungat Patribus, Sacroque Senatu,
Tunc mihi Purpureo Divorum insignis in ostro
Mæonio cantandus eris, FRANCISCE, cothurno.
Intereà super Oebaliis, quæ carmina Conchis
Nunc, duce te, cecini, non dedignabere: primum
Sint hæc obsequii monimentum, & pignus amoris.





HALIEUTICORUM
LIBER NONUS.

SED quæ regales intingunt murice vestes,
Tempus ab undosa prædari Doride Conchas.
Vos mihi Parthenias, Divæ, quæ curritis undas
Ditia Phœnices per litora, quis Deus ille,
Dicite, purpuream primus, qui gurgite gazam
Eduxit, roseoque infecit sanguine lanam?
Nam, si audita memor veterum monumenta recordor,
Ingenii largitor amor, hanc extudit artem.
Quondam Phœnissa, ut perhibent, fuit aurea virgo,
Dicta Tyros, genti quæ nomina fecit, & urbi:
Tyros ab Hercule adamata. Hanc sibi conjugio, & thalamo sociare jugali
Magnus Lernææ domitor quæsiverat Hydræ.
Illa sed Alciden formæ confisa decoræ
Spreverat, & fastu ridebat vota superbo.
At Deus hæc animo secum indignatus iniquo,
Per virides errans scopulos, & curva secundùm
Litora, nequidquam surdas jactabat ad auras.
Ergo Cleonæi quem non gravis ira Leonis,
Nec septimgemina cervice exterruit Hydra:
Herculis questus. Non Erymanthææ vastatrix bellua sylvæ,
Nec ferus Hesperidum custos domuere: nec ipsi
Phlegræi fratres cum Naupactæo Acheloo:
Imbellis virgo, quæ non fert tela, neque arcum,
Nec manibus novit tractare volatile ferrum,
Invictum tandem fregit. Ah! fregit amantem.
Non tua laus, ò virgo: Patri qui sæva Tonanti
Fulmina, & armato rapuit tua tela Gradivo,

Ille,

Ille, puer quamvis, fateor, me vicit, & ille
Me tibi captivum, & fastu parere coëgit.
Dure puer, duro quem non submittis amori?
Hæc Deus. Interea circùm canis arida litus
Cursabat, si forte famem sedaret iniquam
Piscibus, ignarus mediam quos inter arenam
Liquisset piscator, aquæ vel sponte tulissent. Quo casu purpura inventa.
Forte irreptantem scopulis è gurgite concham
Aspexit: mora nulla, avido petit ore, revulsamque
Ostrifero carnem tecto vorat: ilicet humor
Effluxit, rubroque infecit labra colore.
Jam Pelagi consueta petens loca, gressibus ibat
Angustis formosa Tyros, dioque videnda
Incessu, & vultu radians fulgebat honesto.
Ut pulchram properare Deam Tirynthius heros
Aspicit, aspectuque novum simul ebibit ignem,
His supplex Divam aggreditur: Quid nostra recusas
Connubia, & Divùm leges, & fœdera spernis?
Quid te velle negas, quod Dii voluere? quid ultra Herculis ad Tyrum verba.
Sanctum Hymenæum, æternumque aversaris amorem?
Tum Dea: Non leges Divùm, non fœdera temno:
Nec sanctos sperno thalamos. Age si mihi lanam
Puniceo ardentem contexes protinus ostro,
Quo modo labra canis rubuere, in fœdera dextram
Extendam tua jam, Tirynthie. Plura neque illa Et hujus responsio.
Addidit. Extemplo magno succensus amore
Piscatus vitreo Alcides de gurgite Concham,
Purpureum legit florem, pressitque rubentem
Humorem, rutilo quo tinxit murice lanam,
Purpureaque suam donavit veste puellam.
Usus & hinc primùm tingendis vestibus ostro
Prodiit, & magnos ornavit purpura Reges.
Nunc age, (1) purpureæ fallant ne forte legentem
Te (2) Conchæ, quot mira dedit Natura figuras,
Accipe. Densatis multæ mucronibus horrent,
Et magis extremò, crescunt quà turbinis instar: Variæ Purpurarum formæ.
Exterius mixta sparsim flavedine candent,
Intus sed violæ sublucet purpura nigræ.

Hæ

(1) Græcis antiquo vocabulo etiam nunc porphyra appellatur: Romanis ab ungue odorato *Ognelle*; Liguribus ab aculeis *Roncera*: vulgò Nostratium generali voce *Sconcigli* & *Spognelle*, Gallis *Carez*. (2) Mucronatæ, nostris *Carnosæ* indigitantur.

Hæ (1) brevibus, crebrisque rigeſcunt tergora ſpinis:
Armatus quibus ipſe dedit cognomen Echynus:
Anterior, qui latus erit, ceù palmula, turbo
Sciſſus multiplici circum mucrone rubeſcit:
At viridis dorſo color eſt, oſtroque niteſcit:
Lutea cæruleis inſperſa coloribus exta
Subradiant: nullis armantur dorſa ſagittis
Illæ; non unum licet extet cortice tuber:
Et cinerem cava teſta refert, ſed viſcera flammam.
Sunt & marmoreæ, denſis queis ora rigeſcunt
Cuſpidibus, ſparſimque nitent candore nivali:
Sola ſed ardeſcunt nativo labra ſub oſtro.
Eſt alia, ex imo ſurgit quæ tubere nullo,
Tortilis in ventrem quamvis ſit Purpura latum.
Sed jam dives ubi nitidum Thetis educat oſtrum,
Expediam: Tyrio quæ crevit Purpura ponto,
Quibus in locis Purpuræ naſcantur. Optima, regalique ardeſcit plurima fuco:
Sunt & Getulis in fluctibus, atque ubi Nereus
Alterno refluens (2) Meningen perluit æſtu.
Illas (3) Tænarii fluctus, & cærula Coa,
Et multo creat inſignes Melibœa rubore.
Non Sardoa carent, non Bætica litora teſtis
Purpureis, non & Phænice eſt vilior Ancon.
Illas laudato pariter quas molle Dicharcum,
Quas & habent Bajæ, Lacedæmoniumque Tarentum.
His &, Aquinatum tingunt qui vellera, fucos
Addito, & Eoa carpit quos Perſa ſub unda.
At cunctas inter pretioſo ſanguine turget,
Verſicolor Rubro repit quæ Purpura ponto.
Hoc mihi tu, Virgo, Cœli decus, & nova Divûm
Gloria, regalis quanquam non deſit amictus
Syderibus mille intertextus, totus & auro
Phœbeo latè irradians, ſparſusque colore
Purpureo, egregius Superûm labor, atque opus ingens:
Hoc tamen è rubro fulgebis Murice dives,
Cum per Olympiacam feſtiva inceſſeris oram
Feſtivos inter plauſus, & murmura ovantum.
Hoc & Erythræo mihi tu donaberis oſtro,

CAR-

(1) Conchæ Echinatæ noſtris *Cocciole roſſe*. Quemadmodum Pectines *Cocciole di S. Giacomo*, quia illis peregrini uti ſolent. Mytilus vero dicitur *dente di cane*.

(2) Lotophagorum inſula in Syrti, de qua Polybius lib. 1. cap. 39. (3) Peloponneſi promontorium *Capo Matapan*.

CARDENIDE, pacata mihi quo numine rident
Æquora, & ostrifero gravitant sub pondere nassæ,
Cum propriis clarus factis, & fasce paterno,
Magnus ab Hesperio diceris nomine Rege.
Insuper, in medio stabulant quæ gurgite, Conchas, Ubi majores.
Majores Natura creat, sed curva minores
Litora quæ propter limo volvuntur aquoso.
Præterea, id non te lateat, Conchyta, profundo Quando Purpuræ flos legendus.
Cum trahis, è gremio conclusum collige florem
Puniceum, vitæ gaudent dum munere, Matres:
Nam si sanguineas è cassis lumine fibras
Legeris, ater erit, nec lanis utilis humor.
At vero, ut perhibent, illæ (mirabile dictu)
Quinquaginta trahunt vitam trans æquora Soles.
Sed cave ne dulci mergatur Purpura rivo; Purpuræ dulci in aqua pereunt,
Nam perit, atque unà languescit puniceus flos.
Verùm deciduus dùm flos, & spiritus auras
In tenues spargendus abit, si protinus undis
Mergitur æquoreis, nativo Purpura succo
Actutum remeat dulces rediviva sub auras. In salsa reviviscunt
Pestiferam velut exhalat quà cæca Mephitin
Scrobs angusta, Canum vulgo de nomine dicta,
Quæque vaporifero patet imo in colle cavata,
Cum canis horrendum vi multa intrusus in antrum;
(Spontè sua nam nulla petunt animalia montem)
Epota sensim lethali naribus aura,
Languescit moriturus, aqua si protinus illum
Vicina immergas Aniani, litore in ipso
Ilicet in vitam revocatur. Age æquore Conchæ Quæ piscandi ratio.
Qua tibi, Piscator, fuerint nunc arte legendæ,
Edoceam: stat opus Vati molirier ingens,
Ingentemque rubro clamydem perfundere fuco:
Sic jubet intus agens præcordia Phœbus: & ipsæ
Festinant alacres Musæ. Sed cuive Deorum,
Cuive hominum tingenda clamys? Vos dicite Vati,
Pierides: dic, Phœbe pater; citus en feror ultro
In data jussa; tuo quoniàm mihi munere carmen
Contigit, & tenuem citharæ sortitus honorem.
Anne novo præstat Romano texere Regi, Ad Regem Romanum apostrophe.
Atque ostro saturam, gemmis ornare lacernam?
Hoc equidem, Thymbræe, jubes, nec fallor: & hoc est,
Quod faciles in pensa parant præstare Camœnæ.
Audio, ut ingenti resonet Germania plausu,
Magnaque lætitiæ plenas det signa per urbes,
Atque triumphales attollat in æthera pompas

Regis Romani, summo qui munere Divûm
Austriaca de gente datus nova gaudia Mundo
Intulit, & grandi populo spe nutrit ovantes.
Assonat Eridanus magnarum rector aquarum:
Et socio Tybris sonat agmine: lætus & undans
Implet Aventinas festis rumoribus arces,
Nec segni, licet amne minor, dat murmure plausum
Sebethus: viridi præcinctus cornua musco
Urget aquas victor, magno nec se capit alveo,
Exundatque super ripas, lateque fluenta
Infundit campis, & gaudia dividit agris.
Parte alia cursu in medio conterritus hæsit,
Threjiciis qui regnat aquis, Oeagrius Hebrus,
Bistoniique lacus, tremefactaque Strymonis unda
Ad magnum Austriaci nomen, Regisque Quirini.
Hæsit & Euphrates, totoque expalluit amne,
Et trepidi septem steterunt gelida ostia Nili.
Condidit & nigra jam se Mæotide Pontus,
Et Thetis angustos Ægæa recurrit in Isthmos.
Macte puer virtute, tuis si nomine tantum
Lætitiam ingentem populis, & gaudia pandis:
Hostibus at magnum terrorem: quid resonanti
Fulmine cùm quaties urbes armatus? Eoi
Fracta patent jam (1) claustra, labant Rhodopejæ arces,
Altaque Pangæa, & Scythici ruit alta tyranni.
Nec capit abruptis fugientis horridus antris
Caucasus, & tutas vix dant Riphæa latebras.
At festos jam Roma dies indicit, & aris
Thura sacris adolenda Dijs Nabathæa reponit:
Votaque persolvit pro Thrace, Scythisque subactis,
Proque Asiæ regno, totoque Oriente recepto:
Assurgunt septem festivo murmure colles
Romulei, magnoque sonant Capitolia plausu.
Tunc ego, læva sinant modo Fata, per oppida circum
Te ducam Romana, puer, victricibus armis;
Et palmas, & facta feram sub sydera cantu.
Intereà Piscator agam de gurgite Conchas
Purpureas, patrio niteas quo pulcher in ostro.

Principio lento parvas de vimine nassas,
Aut gracili intexes junco, queis multa dehiscant
Exiguis maculis densata foramina: quales
Agre-

(1) Trajani portæ, angustæ Æmi fauces, per quas in Thraciam aditus patet.

Agreſtes ſpiſſo calathi texuntur hiatu
Intus & è putribus ſuſpendes carnibus eſcam.
Aut Ranas, Strombosque, quibus Conchylia menſis
Conſuevere capi, nihil eſt & gratius illis.
Has igitur medias, inſtat cùm tempus in undas
Demittes. Dulci pellectæ munere Conchæ
Ore petunt avido naſſas, tenduntque rapacem
Faucibus extentam denſata per oſtia linguam,
Ut tandem bibulo tangatur acumine Strombus.
Illum autem ut totum lambendo liguriat, imo
Gutture ſe toto producit corpore lingua.
Hinc ubi jam ſatura, & dulci pinguedine læta
Intumuit, juncis acri ſtat fixa dolore:
Nec valet anguſto ſeſe ſubducere textu,
Ipſa ſibi mordax caſſem ſtruit, ipſa malorum
Cauſſa eſt, exerto cum pungit acumine lingua.
At tu producto irretitam gutture teſtam
Educes, rubro ſparſuram ſanguine lanam.
At qua Phœnices hac tempeſtate rubentes
Venentur Conchas dicamus. In æquora funem
Demittunt, capitique ligant leve ſuber: acuto
Sed priùs è junco, ſparthòve, aut vimine naſſas
Exiguas, inſtar phyalæ, vel qualis hiulca
Fiſcella, è lento texit quam paſtor hibiſco,
Compingunt, quibus ora tamen ſint aſpera multo
Vimine, vel circum juncis hirſuta rigeſcant.
At ſic adverſa componunt cuſpide juncos,
Quo proni interius ſeſe ipſo ex ore reflectant;
Ut facilis venienti aditus ſit, deinde regreſſus
Difficilis, ſpiſſoque viam mucrone retardent.
Has funi naſſas ſua per diſcrimina nectunt,
Imponuntque eſcas, altoque in gurgite linquunt.
Purpuræ, ut optatam comprendant faucibus eſcam,
Inſiliunt naſſis, prædaque fruuntur opima.
Sed cum jam ſaturæ remeare è vimine certant,
Cuſpidibus latè juncorum arcentur acutis.
Illas Piſcator cùm lutea ſurgit ab undis
Aurora, & terram radiis, Cœlumque retexit,
Educit lætus, preſſoque (1) papavere ſuccum
Exprimit, Heroum niteant quo vellera fuco.
Id tibi præterea cura majore notandum,
Quò multa impenſum relevet captura laborem,

Et quæ hac tempeſtate apud Phœnices.

(1) Fibræ, è quibus purpureus liquor exprimitur.

Ut caſſem jacias loca per ſaxoſa, vel inter
Fœcundi cœnoſa maris: nam plurima ſaxis
Naſcitur, & pingui grandeſcit Purpura. cœno.
Interdum nitida manibus captabis arena;
Sæpè ſolent ubi ſe Conchæ occultare rubentes.

Saxoſis in locis uberior piſcatio

Nunc age, piſcatu qui menſis idoneus anni
Dicendum. Rutilo ſurgens cum Sirius aſtro
Emicat, & ſummis terram fervoribus implet,
Inſtrue tunc naſſam, durumque ordire laborem;
Nam Canis exortu pingueſcunt ubere fœtu
Purpuræ, oſtriferoque tumeſcunt ſanguine fibræ.

Quo anni tempore inſtituenda piſcatio.

Inſuper his, præſtat tibi multam impendere curam,
Ditia muſcoſis ut quæras (1) Buccina ſaxis;
Quandoquidem rubris diteſcunt plurima gazis,
Queis Regum rutilæ poſſint ardere lacernæ.
Concava quin etiam Mavortis in arma feroces
Sæpè ciere viros, animoſque incendere cantu
Conſuevere: mari poſtquam piſcatus ab alto
Inflavit primus Triton, fregitque Gigantes.
Nam ſi vera ſacro cecinerunt carmine Vates,
Cum ferrugineos Auroræ primus ad ortus
Buccina montano perflavit vertice Triton,
Ilicet inſueto viſæ conſurgere valles
Murmure, & intonſi Cœlo ſe tollere montes,
Quo magno tremefacta cohors clangore Gigantum,
Iratoſque putans properare in prælia tauros,
Confeſtim jactis armis, atque agmine verſo,
Per ſylvoſa fugam arripiunt, perque invia, quà illos
Ipſa ſui mentita trahunt ſimulacra pavoris.
Sæpè ignara ſuæ mens eſt formidinis auctor,
Atque umbram ficta tantùm ſub imagine pallet.

Buccinæ, quorum in bellis uſus primũ à Tritone.

Sed tibi, quà veniant formà, quo picta colore,
Oſtendam: veluti turbo formantur, & illis
Longior eſt teſta, & medio ſtat latior orbe:
Attenuatus apex aſſurgit, & aſpera dorſo
Cruſta eſt, & multo ſepit ſe tubere circùm:
Parte ſed adverſa procurrunt margine longo,
Qua patulis inciſa labris, lata ora pateſcunt.
Interior nitido pellucida lumine candet
Altera pars teſtæ, & lævore notabilis ipſo eſt.
Sunt quædam peregrina, roſas, quæ marmore pictas,
(Nam-

Illorum deſcriptio.

(1) Italis *Cornette*: noſtris *Tuſa*, Gallis Murices, Purpuras, *Bie*, Buccina *Bie Cornette* dicunt.

(Namque velut marmor dura est, & candida crusta)
Et curvæ referunt variantes Iridis orbes.
Hinc & digressus, qua sint (1) Conchylia formâ,
Quove colorato splendescat lumine Murex;
E quibus ardentem pressat (2) Conchyta liquorem:
Caudice ab exiguo, magnoque volumine surgunt, Conchylij descriptio.
Et magis è lato, quam Buccina, nullaque circum
Tubera, nec densis horrent Conchylia spinis:
At villosa, quibus non curvo ditia gyro
Ora; sed oblongo, velut ova, foramine (3) blatta;
Quæ super oblongo pariter concludit amictu:
Blattaque odorifero fragrat dulcissima nardo:
Nardus enim succo Conchylia pascit odoro.
Hinc saxosa, inter nardi quà spina virescit;
Illa colorati carpunt de fluctibus Indi,
Sole sub æstivo, siccâ cùm Najade, cuncti
Defecere lacus: Indis nam finibus ipsa
Stagna, lacusque ferunt Conchylia: quæ freta ponti
Trans Hellen spumosa creant saxosa secundum
Litora, majori testa sublucida candent.
Talia Doris Arabs, & multo pinguia succo
Educat: at fulva gignit quæ Persis in unda,
Et Babylon operosa, nigrantia desuper ardent.
Qui solida gravis è testa, densâque videtur,
Et firmis, rigidisque investit tergora clavis.
Amplior, & triplici sursum mucrone rigescit. Murex qui.
Sed pars inferior cum turbine crevit acuto;
Ceù Pariusque lapis, candent convexa, sed intus
Concava permiscent rutilum stellata colorem,
Murex ille, suo faciet te flore beatum.
Attamen hæc species non constans omnibus una est: Quam varius.
Namque hic marmoreus sublustri lumine fulget:
Totus & hic minio; & nativo purpurat ostro:
Ille striis incisus abit, quas virgula passim
Multiplici exornat textu: succingitur alter
Ensibus, & fusco rutilat convexa colore:
Lacteus hic est, atque obtuso turbine: densis
Non tamen armatur gladiis, sed tubere turget.

Atque

(1) Passim *Conchiglie*, nostris *Sconciglio à caracò* Purpuræ species, ut & Murex, *Murice*, Neapoli *Crocette*.

(2) Purpuræ opifex; hinc & Conchyliatæ vestes, & Muricatæ. (3) Conchylii, Purpuræque operculum: dicitur & Onyx, sive unguis à figura.

Atque alii, quos ipse tibi monstraverit usus:
Namque hic non omnes cupio comprendere formas:
Nec possem, licet ipse maris sub cærula Proteus
Duceret, atque genus varium, nomenque doceret.
Attamen id non præteream, Conchyta, probandus
Ubi gignatur. Nimirum rubro qui sit tibi viscere Murex:
Optimus est, Tyrio qui gurgite, quique sub undis
Assyriis scopulosa tenet loca, fœtaque musco
Litora, & Oebalius pariter laudandus, & Afer,
Bajanusque rubens, nitido Phocaicus ostro,
Et qui Getulis pinguescit syrtibus. At me
Aurea Thyrrenas compellit Nesis ad oras,
Et mihi purpureis offert (1) Corallia ramis.
Te sequar, ô patrii Dea litoris: ipsa repostos
Piscanti reclude sinus, quo lætus opimam
Herculea de rupe legam, tua munera, gazam,
Dum puri rident Soles, Zephyrique loquaces,
Et tænias leni diverberat unda susurro.
Quà Surrentini lunato vertice colles
Planiciem nitido florentem vere coronant,
Colomelidis Villæ descriptio. Est (2) locus, æquoreis qui desuper imminet undis,
A Graja quondam Nympha Colomelide dictus,
Quæ, cùm Sirenes felicia regna tenebant,
Has lætas coluit sedes, & amœna vireta.
Apricis latè campis, & plurimus agris
Consitus, æterno vernant qui gramine, quique
Floribus omnigenis, & semper jaspide picti
Aspectu recreant animos, & lumina pulchro.
Insuper arboribus circum densatus opacis
Obtextu viridi ramorum protegit arua:
Et gratum æstivo præbet sub Sole levamen:
Gaudet & afflatu Zephyri, Solisque benigni
Temperie, Cœloque salubri, & Najade pura.
Ad litus magno vivæ sub fornice rupis
Est specus excisum manibus, cui plurima circum
E vivo pariter constructa sedilia saxo:
Desuper alta tegunt oleæ convexa virentes;
Atque hederæ latè serpent; sed cærula myrtus,
Et muscus latera investit, qui molliter halans
Prædulcem grati vim naribus afflat odoris.

In

(1) Italis *Corallo*, Gallis *Corail*, Hispanis *Coral*.

(2) Elegantissima, atque amœnissima Villa Collegii Neap. ad Surrentum, vulgo *Cocomella* dicta.

In specus externo sensim Cratere refusa
Se Thetis insinuat, lambitque sedilia fluctu:
Atque per ora fluens dum labitur, assilit unda,
Et pigros leni mentitur murmure rivos.
Non geniusve loci, aut aër felicior ullus
Ausonia in magna, totove beatior Orbe est,
Ducere seu placidam tranquilla per otia vitam
A morbis procul, & curis, aut forte salutem
Quærere seu velis amissam: aut reparare labantem.
Non & Thermaicæ cautes, non Thessala Tempe,
Lætaque Penei non fortunatior unda;
Nec picturato consurgens vertice Pindus,
Carminibus Vatum celebrata, & numine Divùm.
Fortè sub Æstatem medio dum Phœbus Olympo
Libratur, radiisque incendit fervidus Orbem,
Huc omnes venere Deæ Craterides; & quæ
Circæi vicina colunt; & litora Amalphis.
In primis formosa Hyale diffusa capillum
Colla per, & niveos humeros, & candida Clotho,
Purpureis visenda genis, & floribus ardens:
Venit & Euplæe niveis succincta cothurnis,
Lubraque, Teleboisque, & Olympia, quæque beatos
Secessus, Misene, tuos coluere, Ligæa,
Atque Ephyre, nitidis incinctæ vestibus ambæ,
Ambæ puniceis religatæ pectora tænis:
Inde Pythecusæ geminæ venere sorores
Ænarie, Prochyteque, leves quarum altera Thynnos,
Altera Delphines gaudet superare natatu.
Et quæ Lucrino lustrat vicina Dicarchis,
Et Megara, & mammis venit candentibus Egle.
Adfuit inter & has Acheloisis, & bona Diva
Mergillina, caput citrorum fronde revincta,
Et latè suavem diffundens plurima odorem.
Atque aliæ, quotquot solito de more solebant
Ad Surrentinos lætæ divertere colles,
Et placidum gelido frigus captare sub antro.
Ipsa sed ante alias pulcherrima crine repexo,
Et calamo undatim intorto, flavoque sub auro
Irradiante, jugo, venit de divite Nesis,
Atque omnes placido Nymphas afflavit odore.
Ut sedere Deæ per sparsa sedilia musco,
Una in sese oculos cunctarum visa sororum
Est Nesis trahere, & formosior una videri
Egregio cultu gemmarum, & divitis auri
Mirùm intertexti gemmis; nam pectora circum

Variæ campaniæ loca Nympharum nominibus obumbrata.

Illa

Illa peregrinum religarat eburnea torquem.
Non prius è duris avulsa Corallia saxis
Exigua in segmenta recisa, poliverat arte
Egregia, atque una filis innexerat aureis.
Ergo novas aurato in torque rubescere gemmas
Ut videre Deæ, miro novitatis amore
Correptæ, Nesida rogant: Quæ munera? quique
Inventi prius fuit auctor? ubive reperta?
Talia vix dederant; cum formosissima Nesis
His dictis ingressa: Mihi Piscator Jolas
Dilectus puer est, matri dilectus & ipsi
Nereidum, qui sæpè meas festivus ad oras
Appellit, sociisque procul, cymbaque relicta.
Quæ frondosa colo super alta cacumina tecta
Solus adit, gaudetque meas invisere sedes.
Et mihi dona maris fert Ostrea, fert & Echinos,
Et Pinnas, Onychasque, & pictas iride Conchas.
Hic nuper munus, quo non donaverat ante
Me puer, è Bajis veniens tulit: ipsa neque unquam
Aspexi: ramis & erant virgulta recurvis,
Et passim nodosa, rubroque infecta colore.
Ut mirata novum suscepi munus Iolæ,
Quæ virgulta? peto: & mediis quibus eruta in undis?
Omnigeni nam dona maris virgulta putavi.
Ille hæc: Bajano nuper de gurgite griphum
Dum trahimus, scissum, & præda spectamus inanem. *Quo casu primum corallia è mari eruta.*
Una sed hæc tantùm maculis virgulta ferebat
Implicita, & tenues spumosi gurgitis algas.
Quo viso de more Deos culpare Lycotas,
Et Licydas puer, & Thelgon cœpere: sed ipse
In melius casum referens, (quia sæpè sinistri
Ignaris pariunt nobis felicia casus)
Hoc sine Divorum non duxi numine factum,
Quæque indignati in fluctus demittere rursus
Non sine conviciis socii virgulta parabant,
Accepi: quæ, Nesi, tibi nunc munera porto,
Et poterunt prodesse; mihi nam numine dextro
Nescio quid magni mens augurat. Ipsa sed olli
Tunc meritas solvo grates, atque oscula libo.
Læta hinc Pausilypum, qui Vates omnia novit,
Cæruleis quæcumque latent, fiuntque sub undis,
Vicina sub rupe peto & data munera monstro:
Et quæ sint, rogo, quisque esset mortalibus usus.
Non ille invitus (nostro nam captus amore est)
Respondit, totamque mihi rem ex ordine dixit,

Quam vobis, lentæ quoniam verſamur in umbra, Virgarum in corallia metamorphoſis.
Jam repeto. Vitreo quondam ſub gurgite virgæ
Hæ fuerant ſcopulis adnatæ è vimine molli:
Et virides nitido rami ſub marmore: baccæ
Sed candore nivem referebant: Perſeus illis
Sed poſtquam impoſuit Phorcinidos ora Meduſæ,
Vim monſtri, & durum tactu rapuere rigorem,
Ac ſimul epoto rubuerunt ſanguine rami.
Hæc ſed mira illis natura, ſub æquore molles
Flexilibus fluitant ramis, viridique ſmaragdo
Perſimiles: fundo ſed cum tolluntur ab imo
Duritiem monſtri accipiunt, liventque cruore.
Virgultis tamen hi caſus fecere decorem,
Et pretium: nam vilis erat quæ marmore virga,
Jam nunc, gemma velut, pendebit candida circum
Colla puellarum, Regumque ornabit amictus,
Tuque vel imprimis facies pulcherrima torquem
Neſi, Deas uno ſuperes quo ditior omnes:
Et ſimul inventi pro munere, Dia, Coralli.
(Nam ſic purpureas dicent cognomine virgas)
Egregiam referes laudem, nomenque perenne.
Hinc mihi difficilem piſcandi tradidit artem,
Et qui Tyrrheni gignant Corallia fluctus:
Quo polienda modo; nam cùm de caute trahuntur,
Corticibus veniunt ſcabris. Sic ore loquutus
In ſecreta Deus rediit, montemque petivit:
Aſt ego litoribus noſtris cùm pulcher Iolas
Appulit, & ſolus tecti frondoſa reviſit,
Quæ mihi fatidicus Vates narraverat, olli
Non invita fero, & rem totam ex ordine pando.
Hìc Dea conticuit: feſto ſed murmure Divæ
Nereides plauſere omnes, & litora circum,
Et circum fluctus fremitu aſſenſere ſecundo.
Hinc ubi jam nimios lux inclinata calores
Fregerat, & placido ludebant murmure venti,
E ſaxo Nymphæ conſurrexere cavato,
Inque ſuas, antro, ſedes rediere, relicto.
Sic primùm Tyrrhena ſinu Corallia Tethys
Reddidit, & rigida cœptum de caute revelli.
Sed quibus abruptis naſcantur rupibus, & quo
Sint quærenda Poli ſub Sydere, non tibi multis
Expediam: longè invitat me ditior unda
Electro, & rauco jam plaudit fonte Viadrus.
Principiò ramoſa ferunt virgulta Minervæ
Piſcoſæ rupes, habitataque litora quondam Loca, in quibus Corallia proveniunt.

Telebois, tepidæque reducto in gurgite Bajæ.
Illa & Sardoi servant in murice fluctus
Quà Termus tenui labens subit æquora rivo,
Non longè Hermæis è rupibus; atque ubi saxis
Præruptum mediis Hieracum attollitur undis.
Ipsæ etiam tenui ramo, minioque coruscam
Cyrnææ sylvam generant Phorcinada cautes.
Tales in Libyco Neptunus marmore virgas
Afer habet: tales sunt & Balearide lympha.
Dat subnigra Telo, dant Sthæcades, altaque trunco
Doris Ibera creat Corallia: plurima dites
Dant & Erythræi fluctus, & Persidos undæ,
Et fræta Scyllæo semper pulsata latratu:
Namque ingentem imo deductam gurgite plantam
Hìc quondam egregii memini vidisse Coralli.
At Drepani litus contra, & Lilybeia saxa,
Læta ubi luxuriat diti Natura profundo,
Prægrandi trunco, & ramis majoribus ardent.
Hic ego, dum colles Erycis, monumentaque magni
Anchisæ, & portus, urbemque, & litora lustro,
Insignis in Corallo passi Numinis effigies.
Coralio vidi è magno, solidoque, rubroque
Affixi ligno formatum insigne Tonantis,
Et quanquam egregia sculptum foret arte, remissos
Ut patientis adhuc credas languescere vultus,
Atque animam sensim divellier: attamen ipsum
Materies superabat opus: ter dena talenta
Argenti insigni pretium fecere Corallo:
Quo non purpureo, solido nec corpore, longove
Aut magis æquato Doris submisit avara.
Quod superest, ubi jam nitidum Ver astra reclusit
Tempus piscandi idoneum.
Obducta, & rutili radiant palearia Tauri,
Tempestas dare vela Notis aptissima, & alto
Vestigare cavis virgulta rubentia saxis.
At cum terribilis Nemæus ab æthere fulsit
Ore Leo, & multa fervens incanduit ira,
Tunc patriam præda dives, piscator, adibis.
His animadversis, quæ sint piscantibus artes
Piscandi instrumenta.
Edoceo. Geminam ligno molire quadrato,
Inque crucem compone trabem, clavoque refige:
Eque gravi in medio nectatur tessera plumbo,
Pondere quo subter descendat machina Nereum.
Inde trabes multum circa, spissumque revolve
Non bene de dura contortum cannabe funem,
(Qui tibi texendus digito non latior uno est)
Ast inter truncos sic circumvolvere restim

Cura

Cura tibi, ut referat per crebra volumina gryphum.
Inſuper, his, duplici, ſolidoque liganda rudente
Machina erit cymbæ, è prora, puppique recurva.
His actis, ubi Coraliis loca fœta petiſti,
Inſtrumenta mari demittes, aſpera circum
Saxa, coloratis ſubter quà virgea ramis
Aſſurgit ſylva, & partes verſanda per omnes,
Seſe purpureos inter quò machina truncos
Implicet. Hinc imo vi deducenda profundo eſt
Æquore; multa feret convulſa è murice duro
Virgulta, & lætum faciet te divite præda.
Illa ſed in primis, ſeni dum marmore ab imo
Inſtrumenta manu trahitis, ſit cura adhibenda,
Ne molli intortus rumpatur cannabe funis:
Namque leves facilè mergentur in æquore cymbæ.
Sunt qui marmoreum vellunt de marmore vimen
Retibus è ſolido juncorum vimine textis,
Cannabe vel dura, & digitali corpore torta.
Aſt alii in medium nudi de puppe profundum
Proſiliunt, rigidoque ſecant Corallia ferro,
Aut manibus ſegmenta legunt, quæ retibus ipſis
Exciderant: verùm criſtallo albente politos
Orbiculos oculis imponunt deſuper, imo
Clariùs ut fundo valeant dignoſcere virgas.
Nam virgulta inter Corallina plurima ſæpè
Futilis exoritur radix, mentita colorem
Coralii ſubnigrum, ipſique ſimillima ramos.
At non candentem ſaxo divellere ſylvam
Contemnas, piſcator, erit pretioſa nitore
Illa ſuo; quia rara magis: nec crimine Nymphæ
Tacta luit pœnas: alieno aut tincta pudore eſt.
Nimirum caſu virgas exemit iniquo
Doris: & eſſe ſibi juſſit ſua munera. Sed jam
Informata modis Siculorum machina miris
Exciderat porrò cantanti, quam tamen olim
Nunc memini Drepano me conſpexiſſe ſub alto.
At miranda hominum quæ ſint inventa Sicanum,
Singula non teneo. Vos ò memorate canenti
Sicelides, patriæ mihi Vos Telluris honores
Dicite, non calami deſunt, non carmina vobis.
Quadratæ Crucis in medio non teſſera plumbi
Inſeritur, verum ſubjecta è parte retorto
Adnectunt lino ſolidum de marmore ſaxum.
E medio pariter per bracchia quattuor ipſa
Vimineam extendunt reſtim, extremiſque revolvunt;

Quæque piſcandi ars ſit.

Capiuntur etiam urinando.

Candida Coralia.

Qua machina à Siculis perquirantur.

Retia & extremis addunt glomerata quaternis:
Eque jugo geminus pendet ſuſpenſus eodem
Hinc inde in medio funis, qui corpore denis
Longus erit pedibus, linis oneratus & ipſe.
Alterius ſed parte jugi religatus ab una
Funis erit, connexa cui ſtant retia quinque.
Hinc inter mediumque (1) Crucis, ſaxumque retorta
Cannabe de gemina ſolidam, ſpirisque plicatam
Tranſennam religant prælongam paſſibus octo.
Hanc verò accipiat funis ſtrictiſſimus alter,
Longior & centum qui paſſibus ire ſub altum
Poſſit: & hic quinis diſtinctus partibus, una
Major erit: reliquæ decreſcunt ordine, nodisque
Excipiant ſeſe multis, ſtrictimque plicentur.

Et quo pacto.

Inde Corallilegum cùm jam demittere ponto
Tempus, & è ſcopulis rubram convellere ſylvam,
Adnexum juxta ſaxum circùmque, ſupraque
Retia multiplici ſpira, ſaxumque revolvunt:
Demittuntque mari tandem de puppe ſupinum,
Utque trabes fundo, revolutaque retia ſaxum
Deferat, inque omnes ſpargantur Dyctia partes,
Implicitis captura ſinu Corallia ramis.
Ceu venator ubi jactu glomerata relaxat
Retia, confeſtim gremio comprenditur omnis,
Quæ picturatos errabat turba per agros,
Aut inter ſaltus complebat ſydera cantu.

Impacta ſcopulis machina, qua induſtria extrahatur.

Sed quid, ſi duris impingant retia ſaxis,
Marmoreamque inter ſylvam revoluta reſiſtant,
Educi ut nequeant imò de gurgite, paucis
Præcipiam. Solido circum de robore primùm
Compinges, geminumque hinc inde adjungito ſaxum:
Hinc latum, longumque tribus ſuſpendere palmis
Niteris circo truncum: cui plurimus inſit
Undique per gyros è ferro clavus acuto.
(Dicitur hic Siculis patrio ſermone ſatelles)
Huic pariter ſaxum, fundo quo ſe ferat imo,
Fune ligant valido: validoque revincitur ipſe
Circus fune: mari qui mox concreditur alto.
At priùs inſeritur circo tranſenna rotundo,
Qua Corallilegum firma de puppe tenetur,

De-

(1) Hanc machinam Siculi *Rizza* vocant: funem verò *Caloma*; noſtri etiam nauticum funem, qui modò explicatur, modò reducitur *Caloma* dicunt.

Desuper ut recta petat instrumenta satelles,
Atque impacta cavis, transverso retia ligno,
E scopulis multa clavorum cuspide vellat.
Tandem quisquis abis nostro de carmine doctus,
Has mihi pro cura multa, impensoque labore,
Has vellem & Musis grates, Piscator, haberes:
Corallii qui ramus erit pulcherrimus, illum
Donato Superum Reginæ: & pronus ad aras
Cum tu dona feres, hæc dicito: Partheni, sint hæc,
Parthenio pro Vate tuo donaria dicta.
Sed me trans Alpes Arctoa ad litora dulcis
Raptat amor: juvat ire, ratis quà nulla priorum
Fecit iter, gelidis quà nec piscator arenis
Flava salutifero sublegit (1) Succina succo. Succina.
Forsitan hoc nostro dabitur medicina dolori:
Et quæ lethiferis subter præcordia fibris
Flatibus assiduè insultat, spargitque venenum,
Succineo tandem pereat medicamine pestis.
Pestis Tartareo quà non crudelior Orco
Erupit, nigraque trahens caligine nimbum,
Eumenidumque odiis, Furiisque afflata malignis,
Omnem momento terrarum effusa per Orbem,
Proh! quantos miseris casus, stragesque creavit. Hypocondrica lues
Nam non una mali gliscit violentia, centum describitur.
Diversos agit effectus, diversaque rerum
Portenta, & formas mutat vis effera centum.
Ceu Proteus (si vera canunt) sæpè assolet omnes
In rerum species, & in omnes ire figuras.
Sunt, quibus halituum densa stipante corona,
Lethifer insedit circùm præcordia pestis.
Ac velut interdum crebris assultibus arcem
Improvisa petit manus, obsessosque fatigat:
Ut sic transmitti fossam, valloque potiri
Detur, & in capta tandem dominarier urbe;
Non aliter vitæ irrumpens ferus appetit arcem
Halitus, & tetra effusus cor occupat umbra.
Excutitur primùm miser, atque horrore rigescit

Spi-

(1) Nostri *Ambra*, Hispani *Ambar*, Galli *Ambre*: citrina vocari solet, ut ab Ambare distinguatur, quæ vulgò *Ambra grisa* nuncupatur. Antiqui ab Arboribus manare putarunt, deprensum tamen est à Modernis è saxis effluere, & frigore densari, præcipuè in Balthico mari, ubi ad Borussiæ litora ingens copia colligitur.

Spiritus: hinc subito languescens supprimitur cor.
Ceu oleam super accensam si protinus undam
Sparseris, extemplo major se flamma sub auras
Attollit, fremituque sonat, circumque relucet:
Sed cita deficiens mox decidit, & perit omnis.
His verò in caput exhalat tenuatus, & ipsum
Immissus cerebrum pervadit, agitque furores
In varios, miserosque modis, lacrymabile, miris
Excruciat: hi se tetris humoribus acti
Perdere amant, & spontè ruunt in flumina, & undas:
Perque ignes alii, ferroque absumere vitam
Exoptant: illi sese demittere ab alto
Præcipites voluere: hos &, quos inficit aura
Tenuior, & sensim obvelat perfusa cerebrum,
Actutum aspicies dulci languescere somno,
Exanimi similes: at nunc baccharier æde:
Ceu quos Liber agit, stimulans præcordia thyrso,
Hic risum ciet inconcinnum, & non bona verba
Effutit: digitos movet hic sine lege solutos:
Hic pedibus saltat: longa vertigine fertur,
Alter, & obducta caligant lumina luce:
Hunc montes, altæque juvant in montibus umbræ,
Ac nemorum deserta colit loca solus, & omnes
Urbanos odit strepitus, Martisque tumultus.
Alter at hic, media quamquam versetur in urbe
Solus agit vitam, atque hominum consortia spernit.
Hic colles petit apricos, & amœna vireta,
Et valles, & prata, levique sonantia rivo
Flumina: & herboso depictas margine ripas.
Versari ingenuos inter cupit ille sodales,
Ac lepidos miscere jocos, & mollia verba:
Sicque dies trahere in longum: sed si citus inde
Densior ex imo exhalet vapor, omnia, rupto
Fœdere, turbantur: veluti cùm pace refracta,
Qui quondam socii fuerant, sese ilicet armis
Invadunt, acuuntque iras, & prælia miscent.
Insultat dictis mordacibus, omnia vertit
Turbidus, ore fremens, furiisque incensus iniquis,
Hac miser, atque illàc agitur: quæque ante placebant,
Odit colloquia, & simul ipsos odit amicos.
Sunt infelices alii, quibus efferus hepar
Excruciat dolor assiduè, quique humida serpens
Spargitur interdum diffusa in viscera peste.
His ventosa crepant hypocondria, creber & intus,
Proh dolor! insanos stimulis agit Æolus Euros:

Sed

Sed quot tetra lues ſpecies, quot dira nocendi
Semina, quotve modos habeat, quis verſibus unquam
Explicet, aut poſſit tantos æquare labores.
Verùm dira licet ſint tot contagia morbi,
Ingentesque ferant ærumnas: attamen illud
Haud equidem nobis animo meliore ferendum eſt,
Quod ſtudia in peſsum (proh fata occulta Deorum!)
Atque artes ſimul ingenuas, Muſasque dedere:
Namque infanda lues non ſegnes appetit artus, In quos graſſatur.
Nec molles animos, & amantes ocia vexat:
Sed quos Phœbeæ ſuccendit gloria lauri,
Ut primos Muſis annos, floremque ſacrarent,
Hos illa, hos Stygio invadit lymphata furore.
Quid tantum, ò Superi, meruerunt Palladis artes
Ingenuæ, ut tanta illuvies erumperet Orco;
Qua juvenes ipſo correpti in flore juventæ,
Aut cum Pieriis facerent divortia Muſis,
Aut dulcem lacrymanda darent per funera vitam!
Credo equidem, maleſana luem Phlegetontis ab imo
Invidiæ nuper ſtimulis agitata malignis
Tyſiphone immiſit terris: quia ſcilicet illa
Undique Apollineis florentes artibus urbes
Viderat, atque necem vitiis inſtare ſupremam:
At vos Cœlicolæ purum quicumque tenetis
Æthera, & innubi fulgentes lumine Soles,
Infandam, precor, hanc terris arcete benigni
Illuviem, Stygiasque iterum detrudite in umbras,
Si vobis ſtudia, & virtus pulcherrima cordi eſt.
At tu Phœbe Pater, tuque ò Tritonia Pallas;
Quandoquidem res veſtra agitur; nam numine veſtro
Monſtratæ primùm doctæ mortalibus artes,
Ferte pii dextram, & communem extinguite peſtem.
Nec ſinite, ut veſtros inter graſſetur alumnos:
Et ſtudia ingenti tandem collapſa ruina
Dira lues impunè trahat: deſertaque paſſim
Flumina Permeſſi jaceant, Pindique beatum,
Argutumque nemus. Verum ſi Fata Deorum
Obſiſtunt immota, neque eſt revocabilis unquam
E terris immiſſa lues, oſtendite ſi quid
Reſtat opis, vel quæ morbo medicina, trucem quæ
Pellere ſi nequeat, poſſit lenire dolorem.
Verùm ſi nec opis quidquam, nec cura relicta eſt
Perniciem adverſus tantam, concedite id unum:
Tarda per ingenia, & quæ non ſolertia corda,
Atque per ignavum ſerpant contagia vulgus.

Sed

Sed jam ventus agit felici flamine vela,
Quo me nunc vocat Electrum, & ſpes certa ſalutis.
Oceani quondam ad litus, qua præpete curſu
Succini procreatio fabula adumbrata. Miſcet Hyperboreis ſe fluctibus unda Viadri
Venatu è multo defeſſæ, æſtuque puellæ
Naiades venere, dies dum flagrat hiulco
Sydere ſub Cancri, & medio Sol altus Olympo eſt.
Hic illæ, quoniam verſantes lumina circùm
Litora ſola vident, lenique ſilentia fluctu
Æquora, confeſtim tutæ formidine nulla,
Muſcoſa ex humeris ponunt velamina, ſaltuque
In mare proſiliunt alacres, tenerisque lacertis
Per vitreas undas, circùmque Electrida nabant.
Fortè ex adverſo ſcopuli ſub rupe cavata
Cærulei ſtabant Glauci, Phorcique petulci:
Qui placidis innare vadis ut candida ſpectant
Agmina, & hàc illac niveis per cærula palmis
Ire, redire vias, atque interdum prona ſub undis
Occultare caput, rurſumqe attollere in auras:
Et ſimul æquoreo conſperſos rore capillos
Excutere: actutum mediis in fluctibns ignes
Proh quantos hauſere Dii: creſcitque repente
Ingens flamma: velut cecidit ſi forte favilla
Arentes inter ſtipulas, volat ilicet orta
Immenſa in Cœlum correpto è fomite flamma.
Et jam pectus edax pervaſerat æſtus, & imis
Haud concluſa fibris ſeſe maleſana tenet vis.
Ergo avidi bifida ſcindentes marmora cauda
Inſiliunt: verum pulchræ cùm Naiades illos
Aſpexere, metu perculſæ protinus acri,
In mediis hæſere vadis: nec quid ſibi agendum
Proſpiciunt: celeri curſu ne fida requirant
Litora, virgineus prohibet pudor; omnia quando
Nuda patent, tutum ſed nec conſiſtere in unda eſt.
Cum lacrymis ergo rorantibus, & prece multa
Nereidas, Tethynque vocant: clamoribus omnes
Excitæ venere Deæ: ſed dura propinquì
Bracchia tendebant Dii, nec ſpes jam amplius ulla
Libertatis erat: quin & contraria Fata
Obſtabant: lacrymis ergo permota decoris
Nereidum mater, caſumque miſerta Dearum,
Non ultra vitam, ſed ſervatura pudorem
(Nam gratus Superis pudor eſt, & pulchrior omnem
Ipſe unus vitæ ſuperat mortalis honorem)
Protinus in rigidas juſſit dureſcere cautes.

Quæ,

Quæ, ſenſus quoniam ſupereſt hic unus, acerbos
Dum caſus miſeræ deflent, atque aſpera Fata,
Muſcoſis ſtillant flaventia Succina ſaxis.
Frigore quæ multo concreta, æſtuque marino
Sithonii vicina ferunt ad litora venti.
Hic tu Naiadum lacrymas, quas Succina noſtri,
Electrum Graii quondam dixere vocantes,
E nitidis dextra carpes, piſcator, arenis:
Cæſareis ſicco Phœbus dum ſydere menſes
Permeat, obſtrictisque ſilent ſtrata æquora ventis.
At priùs auratas innantes Doride guttas,
Nudus aquam puer ingreſſus ſub litora coget.
Flava ubi dona legant ſocii, ſerventque quaſillis,
Ingentem domino quæſtum latura ſuperbo.
Verùm, majori turgent quæ corpore guttæ,
Et pura, rutilaque nitent flavedine ſucci,
Illas, ſi tantum meruit, ſeponite Vati,
Piſcantes: meliore vices ſic Numina vobis
Piſcatu reddant, Cœlumque innube ſerenent.
Et vobis pars laudis erit, pars muneris: illas,
Si valet ingenium Vati, ſi dextera pollet,
Numinis in Paſſi tentabo effingere vultus.
Illos & quatuor Chryſæo è gurgite lectis
Stellarum in formam nitar contexere gemmis:
Quæ totidem referant Medicæja (1) ſydera gemmæ.
At Crucis extrema ſub parte exculpere Magni
Signa Ducis conabor: erunt radiante ſub auro
Purpurei circum intertexti quinque Pyropi,
Inque globi effigiem facti, ſextusque Smaragdus
Major erit, ſuper impoſitus; cui lilia flore
Aurato tria ſculpta: tui monumenta decoris,
O Princeps MEDICÆE, Sacro quem Purpura fuco,
Tot Patrum titulis, & tot virtutibus, ipſe
Inſigni quibus effulges ſplendore per Orbem,
Promerita exornat, ſummisque Heroibus æquat.
Hoc tibi, ſi noſtrum non didignabere munus,
Stabit opus, operique addam memorabile carmen,
Cùm non inſueta regnabis ſede Quirini:
Numinis inque vicem venies: vertique videbis
Omnia ſub pedibus: votisque vocaberis: & cùm

Succina ut è mari legantur.

Ad Cardinalem MEDICÆUM apoſtrophe.

De Summo Pontificatu auſpicium.

(1) Alluſum ad Jovis Satellites à Galilæo detectos, & à Magni Ducis Hetruriæ cognomine nuncupatos.
(2) Alluſum item ad inſignia ejuſdem Principis.

Idem hominum Pater, & Rex idem, idemque Sacerdos
Summus eris, sacra qui reddas oracula Mundo.
Spes animi nec vana: futuri præscia quando
Mens Vatum, totoque calent præcordia Phœbo.
O utinam properent felicia secula! Vos ò
Festinate, Deæ, pernicibus aurea fusis
Vellera Divorum Fatis explere secundis.
Et citò Pontificem MEDICÆO è sanguine Mundo
Reddite, qui Patrum mores instauret avitos,
Qui sanctas renovet leges, ac fœdera firmet
Christiadum, & Scythicos qui prælia vertat in hostes.
Ast opere è tanto quotquot ramenta supersunt,
Ipse mihi tenuem nativi roris in undam
Phyllirides solvat Chiron, & plurimus igni

Ut è succino tenuissimæ partes educantur; quibus lui consulitur.

Ignea paulatim deducat semina ab illis,
Queis medicina malo non est præstantior ulla,
Namque sub Auroram ter quinis pota diebus,
Materiem sensim attenuant, mucumque resolvunt:
Humoremque coquunt crudum, & frigentia corda,
Languentemque suo refovent thoraca calore:
Dira venenati namque hæc sunt semina morbi.
Nuper ego patriæ vidi Sirenis alumnum
Majorum insignem titulis, opibusque potentem,

Ingenui adolescentis indoles.

Qui quanquam forma egregius, vultuque decorus,
Atque oculis formosus: erat sed major in illo
Dos animi: nivei mores, mens candida, & acre
Ingenium, doctusque animos vincire merendo,
Pronus in officia, & leni blandissimus ore.
Hic puer egregiæ correptus laudis amore,
Se totum dulci Phœbo, Musisque sacrarat.
Et jam Parnassi per culmina, perque beatos
Permessi fontes, & apricæ flumina Cyrrhæ,
Veloci invectus biga, lustraverat omnes
Musarum sedes, diumque exhauserat œstrum.
Quin etiam arguti superaverat alta Lycæi
Victor, & astrigero cursum affectabat Olympo.
Cum juvenem improvisa (Deûm proh Numina) pestis

Et tabes miseranda.

Invasit, totumque effudit pectore virus.
Continuo ver purpureum, lumenque juventæ
Disperiit, roseusque color defluxit ab ore:
Et ferrugineus languet puer, aureus olim
Qui fuerat, sordentque remisso lumine vultus.
Ceu rosa, nativo quæ nuper caudice secta,
Pallentes sensim demittit languida crines.
Et tandem, bacchante lue, duro puer esset

Ex-

Extinctus Fato, misero ni dona dedisset
Electri Chiron calidis rorantia guttis.
Succina ter quinis vix hauserat ille diebus,
Cum nitidus, mirum! confestim effulgere visus
Oris honos, roseæque iterum florescere malæ,
Et sua temperies animo, & vis reddita membris;
Languescunt veluti sicco cum flumine flores
Æstivo sub Sole, Polo si plenus ab alto
Decidat imber, aquis sitientia gramina potis,
Nativum accipiunt redivivo flore colorem.

E succino restitu tus.

Sed satis è clivo divertimus, & furor ater,
Et longè invisæ rapuerunt flatibus auræ:
Jamque referre pedem tempus monet: æquora gemmis
Nunc me læta vocant; plauduntque à gurgite Nymphæ
Chrysæo, & totus plausu responsat Eous.





HALIEUTICORUM
LIBER DECIMUS.

SED jam me Zephyri vectant pernicibus alis
Auroræ in sedem, Rubrique ad litora ponti,
Et quà gemmiferæ rutilant vada Persidos, & quà
Innutrit gremio nitidas Thetis Indica Conchas.
Magnum iter aggredior: sed si pulcherrima Virgo
Aspiret cœptis, veniam securus ad oras
Purpureas, Aurora, tuas: & primus opimam
Hactenus intacto furabor ab æquore prædam.
O adsis, bona Diva, levi da currere cymba
Felices Orientis aquas, ubi gemmea texam
Serta tibi, & præda faciam de divite torquem.
Quæ, cum solennes materno in litore pompas
Ducemus, sacri celebrantes annua partus,
In delubra feram voti reus: ò age, Virgo,
Sterne rati pontum, & ventis da vela secundis.
Tu vero extremi partem ne sperne laboris,
CARDENIDE, nostris semper memorande Camœnis:
Nec Margaritas pigeat procul ire legendas
Per molles Arabum tractus, Carmanaque propter
Litora, & ostrifero sub gurgite Tethyos Indæ.
Non labor incassum: quas legeris æquore, gemmæ
Munera grata tuæ sint Phyllidi, se quibus ornet
Plurima, colla novis distinguens candida baccis,
Atque novum articulis addat decus. Ergo age mecum
Carpe iter Oceano: jam te (1) Chryseides, & te

Do-

(1) Vide VIII. Nauticorum.

Doris Erythræo compellat ab uſque rubenti.
Principio (1) Matrum varia eſt natura: neque omnes
Sunt formam ſimiles, & corpora; non & eodem
Grandeſcunt utero, vel fœtus ubere lactant.
Indica, quæ patrio cognomine Berberos olim
Appellata, Indis verſa quam voce Cheripon
Jam dicunt: Grajo Romani nomine Concham:
Pulchrior, & pulchris (2) Unionibus apta creandis.
Eſt autem duplex harum genus: una nitenti
Argento inſignis multo, & fulgore coruſca:
Altera flava rubet, rutilæque ſimillima flammæ:
Utraque ſed lævis: nec non & Pectinis inſtar
Aurita, & ſparſim ſignis ſubtermicat aureis.
Non moles cunctis ſtellati corporis una
Matribus: Eoi repunt quæ gurgite Nerei
Taprobanen juxtà, & Coryn, ditesque potentum
Sindarum ſcopulos, Erythræque, & Perſidis oram
Prægrandi rutilant ſub corpore: capta ſub undis
Hic olim, ut memorant, à piſcatoribus ingens
Concha fuit, qua major aquis non crevit Eois:
Quinquaginta caro pendebat gemmea pondo.
Tantum in divitias verſat ſe læta marinas
Natura, & gemmis gaudet Thetin ire ſuperbam.
Inſignes etiam Conchas progignit in antro
Doris, Atlanteo quæ gurgite perluit Indos
Heſperios, latèque novum complectitur Orbem.
Sed concluſa ſinu quas educat Amphitrite,
Quas & Hyperborei fluctus fovere ſub Arcto,
Exiguo teſtæ rutilant ſub tegmine Matres.
Præterea quæcumque colunt vicinia terræ,
Per ſcopulos parvæ repunt, & ſaxea Conchæ.
At quæ litoribus gaudent procul ire ſonoris,
Majores utero turgeſcunt cœlite partu.
Verum quæ magno præcellunt corpore, vaſti
Longiùs alta ſecant pelagi freta: Namque repoſta
In penitis pretioſa latent: nec pervia cunctis
Ditia Naturæ ſunt munera. Verum age Conchas
Nunc alias, divina ferunt quæ pignora Cæli,

Dica-

Concharum Margaritiferarum ſpecies diverſæ.

Et corporis moles.

Ad litora parvæ ſunt.

In alto grandiores

(1) Sic vocamus Conchas Margaritiferas; quas noſtri *Madreperle*, Galli verò, & Germani *Nacre de Perles*.

(2) Noſtri *Perla*, & *Perna*, Galli, aliæque gentes *Perle*. Indi, ut refert Arrianus, Cinædum vocant, Americani, in Pariæ, Curianæque regionibus *Tenoras*.

Dicamus. Niveas producunt ſaxea gemmas
Oſtrea, & è Pinna baccas decerpit Acarnan.
Ex quibus aliis teſtis producuntur. At quæ Chryſæo ſylveſcunt æquore Pernæ,
Subnigram ex utero baccam, rufamque dedere.
Hanc nitidis vafer immiſcet piſcator: iniquum
Ceù lolium meſſor flaventes inter ariſtas.
Sæpè etiam unigenas utero fudere ſorores
Muſculus (1), & multo reſplendens (2) Mytilus oſtro,
Tympanaque, & Cochleæ, ſpiniſque armatus Echinus,
Dives Erythræa ſerpit qui plurimus unda.
Hinc & digreſſus, jubeo, piſcator Eoi,
Te variam quoque progeniem cognoſcere Matrum:
Nam cunctis nivei moles non corporis una eſt.
Quam varii uniones ſint. Turturis hic ovo par gignitur: anſeris alter
Unio grandeſcit, viſu pulcherrimus ipſo:
Qualis in Europam nunquam devectus ab Indis.
His tamen inſignes auro, bacciſque coruſcis,
Inſignis unio. Sindæos (3) perhibent Reges ornare coronas:
Et Reges, (4) Cubagua, tuos, Atlante repoſta
Ammerices qui regna tenent ditiſſima gemmis,
Alter avellanæ par corpore, & alter ocello
Auratæ ſimilis candeſcit: cœtera turba,
Ceù granum flavæ Cereris, denſatur in orbem.
Hos inter reliqui qui ſe inſervere minores,
Cryſtalli ramenta velut: ſervire fugandis
Quos Chiron docuit morbis, diuſque Melampus.
Nunc Margaritis, qui ſit ſpectandus Eois
Varius color, & qui præcipuus. Præcipuus color, expediam. Quæ lucida Matris
Ex alvo venit, & nitidis fulgentior aſtris,
Cenſetur reliquas inter præſtantior, & quæ
Purpureum velut aurum ardeſcit, & ignea flammam
Multa refert: verum rufo quæ tota colore,
Et fuſco, nigroque micat, quam procreat altus
Boſphorus, immiteſque legunt per litora Thraces,
Haud pretioſa: velut niveum nitet altera marmor
Nobilis, & multo radiat lævore polita.
Quæ maculis lita cœruleis, variataque punctis
Provenit, haud equidem multum laudanda magiſtro eſt:
Quique (5) Caledonius venit Unio axe ſub alto
Decolor, & gelidis livorem ducit ab undis.

Sed

(1), (2) Noſtri uno vocabulo appellant à ſimilitudine *Dente di cane*. (3) *Bornei* Dynaſtæ. (4) Inſula Ammerices. (5) Qui ad Scotiæ litora capitur.

Sed diversa modis quot sit nunc Conchea miris
Bacca, canam: lato sensim de caudice surgit
Hæc cuneata, pyrum veluti, cui nomen Elencho
Græcum est: Romani oblongam vertere vocantes.
Hæc ovo similis concrescit, & illa rotunda,
Ceù globus egregiè tornata, & lævior ipso
Aspicienda Elephanto, aut Oricia Terebintho.
Hæc potior cunctis gemma est; pellucidus olim
Unio ab ostrifera sublectus Doridos aluo:
Quem Natura parens exactum sedula in orbem
Artifici digito tornaverat: undique circum
Æquus erat globus, & lævore notabilis ipso.
Qui lævi, ut perhibent, in saxo immobilis unquam
Momento haud uno visus consistere: verum
Hàc, illàc multis trepido pede cursibus ibat.
Non secus argenti cum vivi lucida gutta
Decidit in marmor: vel qualis in æthere stella
Volvitur, & trepidans vaga per vestigia fertur.
Longior hæc gemma est, viridemque imitata (1) Triorchin:
Illas Concha, suos veluti labrusca racemos,
Protulit: hanc verò Graii dixere (2) Botryten,
Hæc socios nectit partus, & corpore in uno
Punica grana refert: cognomine dicitur illa
Saurites, fœtu similis visenda lacerti.
Hæc sed multiplici bacca, squammisque renidet
Plurima: squammoso rutilat ceù piscis ab auro;
Atque aliæ: neque enim numeris comprendere refert,
Quot variis gemmam formis Natura creavit.

Unionum variæ formæ.

Mirus unio in orbem factus.

Nunc age, quæ vada progignant felicia Conchas,
Dicamus: quà Doris Arabs flaventibus undis
Purpurat, & rutilæ spuma lætantur arenæ,
Mille per undosos repunt Conchylia campos.
Verum quà pictis secat hinc sua Persa phaselis
Æquora, & hinc mollis, nimioque ab Sole perustus
Cursat Arabs, testis gravidæ majoribus undæ
Luxuriant, majorque sinu nitidissimus humor
Insigni candore tumet concretus in orbem.
Tales dives alit vicino (3) Armusia ponto,
Et saxosa (4) Tyli qui circum spumeus æstu
Regna sonat Nereus; ditem quæ Persida gentes,
Quæque Erythræa colunt vicinia, quæque beatos,
Nile

Quibus in locis nascantur Conchæ Marg.

In sinu Persico.

(1) Nota agricolis *Satirione*. (2) In Botri similitudinem facta. (3) *Ormuz*. (4) Insulæ Persici maris.

Nile, tuos vertunt ſplendenti vomere campos,
Et nigri Æthiopes, pictique coloribus Indi,
Huc properant alacres, quæſitum ditia Cæli
Munera nec ſegnes terrarum è margine Seres,
Non & Lyſiadæ per Eoi cærula currunt
Ad lacrymas, formoſa, tuas, Aurora, legendas.
Præterea Conchas gremio Thetis Inda beato,
Per gemmata creat paſſim æquora: non tamen una
In Oceano Indico. Ætheriæ cunctis generandæ gloria gemmæ
Fluctibus eſt; ponto quà ſe ſpatioſa per ora
Decurrens pleno (1) Solen torrente refundit,
Et quà flaventes findit (2) Mæſolus arenas,
Non magno veniunt viſendæ corpore Conchæ.
Majores (3) Elyræ circum puriſſima Teſtas
Marmora Doris habet: fœcundaque Martibus alta
Stoidis (4). Una tamen reliquas ditiſſima terras
Ad Taprobanem. Taprobane longè ſuperat, quæ litora paſſim
Eois ſua læta videt candeſcere baccis.
Non ſecus ac primo cum labi ſydera motu
Incipiunt, radiis latè ſplendere coruſcis
Aſtrorum ſuperi ſpectantur concava Cœli.
Nec minus ipſa ſuas (5) Halieutis proxima Conchas
Ad oram Pandionum, ubi optimæ. Cujus ſitus deſcribitur. Ora ſinu jactat grandeſcere. Quà Tethis Inda
Tapobranen, Corynque ſuprà Pandionas undis
Alluit (6) Agaricis, tractu jacet arida longo
Planities extenſa, recurrit & uſque ſonantes
In ſcopulos, Commorine, tuos, qui vertice ab alto
Felices contrà ſpectas ſylveſcere montes.
Non cultu parens, nec fertilis ubere glebæ:
Nulla Ceres campis flaveſcit: nullus apricos
Bacchus alit colles: nec per campeſtria currunt
E ſummis rigui delapſis rupibus amnes.
Nec lætam ſylvæ præbent paſtoribus umbram:
Atque aër gravis eſt, & non tolerabilis æſtus.
Verum tot Cœli, ſteriliſque incommoda terræ
Æqua parens rerum compenſat divitis undæ

Mu-

(1), (2) Indiæ fluvii prope Cattigaram, *Calecut*.

(3), (4) Inſulæ Perſici maris. (5) Ora Orientalis peninſulæ intra Gangem, ubi olim Pandiones habitabant, quam nunc ab inſigni Margaritarum piſcatione, Piſcariam vocant.

(6) Sinus Agaricus, qui Gangetici pars eſt, inter Indicam peninſulam, Ceilanum, & Coryn, quæ *Manaria* barbaris indigitatur.

Muneribus Natura: imo ſub gurgite mille
Agmina Concharum vada per Cryſtallina ludunt.
Non alibi tantæ felici è Tethyos alveo
Proveniunt Orientis opes: captatur opum vis
Plurima, & ingentes gazæ: cognomine terram
Piſcatu è multo appellant Halieutida Graii,
Quà nulla eſt gemmæ fœcundior. O! ubi qui me
Doris Eoa, tuas delatum ſiſtat ad undas,
Taprobanes inter gemmantia litora, & oram
Undique baccatam nitidis Halieutida gemmis.
Hic ego Conchifero ſcrutarer in æquore, dives
Doris ubi pleno lactantes ubere Matres
Educat, atque citus raperem Cœleſtia dona:
Dona quibus (ſint illa ſuo donata nitore)
O noſtræ Telluris amor, pulcherrima Virgo,
Et clarum Cœli decus, & ſpes unica Divùm
Divino ſertum capiti, colloque monile
Candenti facerem tibi plurimus: ò age, vota,
Si quicquam mea dona placent, Regina, ſecunda.

Verùm age, non reliqui lateant qui divite gaza
Gemmaſcunt ſplendente ſinus: Conchylia jactat
Doris Eoa, (1) Ophyren quæ perluit, atque (2) Cyamben, Alii ſinus in quibus uniones.
Et Corym, & (3) Chryſen, & fluctifragam (4) Perimunden.
Luciferos etiam carpunt (5) Solenas ab alto
Velligeri Seres, & qui tenuere beati
Dites Eoo ſepoſtas æquore Sindas.

Nec concluſa Thetis divino munere Cœli
Noſtra vacat: patrio naſcuntur gurgite gemmæ. Qui etiam in Mediterraneo.
Carpit Iber nitido ſub marmore: carpit & Afer
Quique levi vectus cymba tua litora, Thrace,
Luſtrat, & oſtriferi fauces prætentat Abydi.
Et Germanus habet Conchas, & durus Acarnan,
Et regnata tenent qui mollia rura Phalantho.
Sed quà perpetuis denſatur nubibus aër
Axe ſub Arctoo, plures nant Doride Teſtæ,
Quæ lætas pariunt baccas: glacialis Hiberne Et Arctoo Mari procreantur.
Plurima diteſcit gemmis, niveique Britanni,
Qui ſuperum tenuere latus, candentque pruinis.

Sed jam me maria alterius ditiſſima Mundi,
Gemmiferique vocant amnes, atque oſtrea verſant In America ingens unionum copia.

(1), (2), (3) Vide VIII. Nauticorum.
(4) Inſula Eoi maris.
(5) Sic etiam appellantur Conchæ Margaritiferæ.

Divitias mihi læta suas: Curiana coruscis
Ditia sunt gemmis, Pariæque uberrima regna.
Quà passim molles pueri, teneræque puellæ,
Atque viri, atque senes, matrumque ignobile vulgus
Gemmatos per colla ferunt nigrantia torques.
Non illis pretiosa tamen sunt ditia Cœli
Munera: sed vili gemmas pro merce volentes
Permutant, parvoque æquant Conchylia vitro.
Ipsa nocet, quanquam pretiosis, copia rebus:
Laudantur quæ rara, alioque ex Orbe petuntur.
Flumina quin etiam Conchas, & stagna, lacusque
Producunt: non tantum auro generosa superbit
Unda Tagi, niveos pariter devolvit Elenchos:
Et Ganges gemmis ditissimus, & vagus Indus,
Atq; (1) Adamas, & (2) Tindus, (3) Amazoniumq; fluentum.
Nec tantum nitido argento pellucidus (4) ille est,
Occiduo per vasta mari qui labitur ora,
Dives alit Conchas. Scythicæ Telluris ad Ortum
Et sacer Auroræ lacus ingens, latè ubi fundo
Candida luciferæ progignunt pignora Matres.
Tales Indus habet stagnanti flumine Lama,
Atque Manus, Lotharique legunt per stagna secundùm
Sylviferi montes (5) Vogesi: Boiique nivosi,
Quos nigris latè perplexa Hercinia sylvis
Ambit, & Arctoæ circumstant frigora Brumæ.
Atque alii: nec fas percurrere singula versu,
Æquoraque, fluviosque, & stagna sonantia rivis,
Divitias quibus ipsa suas Natura locavit.
Post hinc digressus, Cœli quo sydere lætas
Piscari liceat per Eoi cærula Matres,
Expediam. Clarum stellis, & vellere fulvo
Cum vectorem Helles Cœlo fulgere sereno
Aspicies, pluvioque Hyades abscondier astro,
Incipe Neptuni regnum lustrare profundum,
Et legere Auroræ lacrymas, cœlestia dona.
Nec mora spumosæ perquirere Doridos antra,
Læta ubi gemmiferæ condunt sua pignora Testæ:
Quandoquidem Conchis aptissimus ille legendis
Mensis erit, sequiturque retrò qui proximus illum;
Donec ab Oceano surgat Jovis armiger ales,
Nam

Qui fluvii, & lacus conchas habeant.

Quo tempore Unionum piscatio.

(1), (2), Fluvii Indiæ: vide VIII. Nauticorum.
(3) Americæ fluvius *Rio dell' Amazoni*. (4) *La Plata*.
(5) *Monti di Vange*.

Atque rudes puer in (1) præsepia ducat Asellos;
Nam tunc cœlesti libato nectare Matres,
Majori turgent utero, & majoribus astris.
Taprobanen juxta, ditemque Halieutidos actam,
Cum nivei cernunt assurgere sydus Oloris
E pelago, & nitidis per Cœlum incedere pennis;
Sese aliò gemmata ferunt examina Matrum,
Sylva ubi cœruleis florescit lætior umbris,
Plurima muscosis surgit quæ consita saxis.
Tu quo mota ferunt sese agmina, cum citus astro
Arcturus claro consurget, & aurea vectat
Plaustra sequens, Helicenque, Lycaoniosque Triones,
Corripies, piscator, iter: te plurima quando
Expectat captura, sed ut vindemia prælis
Jam silet, Octobre exacto, tua tecta revises
Cum præda, atque focis Hyemes durabis aquosas.

Quando ad Taprobanen piscatio.

His animadversis, instat jam tempus ab alto
Convectare mari prædas, artemque, modumque
Præcipio. Noto primum de litore in æquor,
Quà Matres spumosa secant freta, retia solve:
Illa autem medias pelagi mittantur in undas,
Ut multam ex alto referant tibi gurgite gazam.
Nam protensa brevi si retia rara rudente
Des pelago, vicina tenent quæ litora Conchæ
Exiguæ in prædam venient: quæ cærula longè
Alta secant, fugient tua retia: sæpè profundum
De cymba sua lina jacit piscator in æquor.

Prima piscatio retibus fit.

Sed prius ostrifero cingas quam ditia Nereî
Marmora, nudus aquas subterlabare natatu:
Hic ubi gemmati subeant tentoria Reges,
Et quà compellant splendentibus agmina signis
Per liquidos Glauci campos, & regna, notato.
Namque apibus veluti Regem natura creavit,
Qui rutilis ardens squamis, & pulchrior alis
Emicat, & turmas inter supereminet omnes:
Illum aliæ venerantur apes, stipantque frequentes
Turmatim, & circum festivo murmure plaudunt.
Non aliter Regem gemmatis provida Conchis
Constituit, cui turba minor per cærula regna
Serviat, & longo tractu comitetur euntem.
Ille colorati dux agminis: ille gubernat

Concharum Reges primum inquirendi

(1) Stella nebulosa, quam propè duæ Stellæ dictæ Aselli, seu Onisci.

Gemmiferas per læta acies vada: perque patentes
Oceani tractus: examina ponè sequuntur
Mille ducem: pictisque nitent lita tergora guttis.
Sed queis tu regem valeas cognoscere signis,
Quo pacto dignoscantur.
Accipe: quæ reliquis major se corpore pulchro
Effert Concha, notis variata, ostroque rubescit
Plurima, quam circum Titanidas ire sorores
Stipatas acie spectas, regit illa phalanges
Luciferas: illam famulantibus agmina signis
Per vitreos læto comitantur murmure campos.

Regibus captis facilè reliqua capientur.
Ergo ubi Neptuni per regna errare videbis
Concharum Reges, illos indagine cinge
Solicitus; nam turba mari numerosa profundo
Captiva in litus veniet: gens tota tyrannos
Insequitur vinctos, ultroque in vincula Regum
Prona ruit stellata cohors, gaudetque ligari:
Nec juga, quæ Reges subiere, subire recusat.
Usque adeò magnum est, & perquam nobile Regum
Fortunas, & fata sequi; cum piscibus ipsis
Hunc stimulum dederit Natura, hunc laudis amorem,
Ut sibi turpè putent capto sine Rege vagari.

Hactenus exposita piscatio non multum laudanda.
Ast hæc piscandi ratio per cærula jactis
Retibus, ingentes quanquam de gurgite prædas
Devehat, & facili constet captura labore,
Haud multum, cupido quamvis, laudanda magistro est.
Namque ubi Ver geminum plures in retia Conchas
Immisit nodosa, famemque explevit avari;
Vix tenuem posthac prædam concedet habendam;
Sive quod exhausta piscatu Doride multo,
Infœcunda maris reddantur cærula: seù quod
Semper avaritiem Natura, & damnat, & odit.

Ergo tibi (potior sit & hæc captura) sub undas
Insiliat citus Urinator, & æquora subter
Alter piscandi modus urinando.
Perlustrans pretiosa legat de gurgite dona.
Sed quibus instructus campo se credat aquoso,
Præcipiam. Duplex spumantibus anchora cymbam
Instabilem tibi fundet aquis: sed decolor Indus
Piscator geminum demittit in æquora saxum
Hinc, inde, è prora, puppique, ligatque rudente.
Mox cymba è media subter longissimus æquor
Funis eat, clavoque trabi firmetur acuto:
Et funem lapis in pontum trahat, aut grave plumbum.

His actis, cui sorte datum perquirere Nerei
Undosi regnum, saxum sic subliget imo
Grande pedi, facilè possit quò tollier uno

Im-

Impulſu cruris, cum tempus, & ipſa petit res. Et qua arte peragatur.
Atque olli latum ſuccingat mantica pectus
Linea, qua prædam condat furatus opimam.
Demittunt alii contextos vimine qualos
E cymba: quos inde graves de marmore Conchis
Divitibus ſocii educunt. Sed tempus Eoa
Ire peregrinas captare è Doride gazas.
Ergo nudus aquas ſeſe Urinator in altas
Vibret, & Oceanum ſe mittat ad uſque profundum.
Extremo ſubnexa pedi quò ſaxea ducunt
Pondera: felices & quà candeſcere Matres
Aſpectat, celeri contendat adire natatu,
Sublectamque manu Nereo de divite prædam
Litorea citus in perâ, qualove recondat.
At Conchis ubi jam multis onerata fatiſcit
Mantica, projiciet ſaxum de crure, rudentique
Adnixus, cymba pendet qui tenſus ab ipſa,
Ac fluctus pedibus preſſans, ſe lætus in auras
Mittat, & ætherei verſet ſua prœmia roris.

Sed quæ Conchytis vitanda pericula cautis, Quæ pericula inter urinandum evitanda ſint.
Quoque modo, paucis, animos adverte, docebo:
Innumeri circum Conchas ſpumoſa per alta
Turmatim Vituli curſant, turpesque nefando
Ore canes, latè horrendo qui cæca latratu
Antra replent, bifidaque ſecant freta cærula cauda.
Hos Tuberones Indi cognomine dicunt.
Qui vitreos ſervant ſaltus, opibusque ſuperbis
Invigilant, furesque procul latratibus arcent.
Nam velut extremo ſylvæ ſub Atlante repoſtæ
Heſperidum, rutilis ſemper nemora aurea pomis,
Servantur longo ſaltu, & cuſtode Dracone,
Qui rictu, & ſquamis, immanique horridus ore
Excubat, & longè lucos formidine replet.
Sic diris pariter canibus, monſtrisque marinis
Divitias pelagi ſervat Neptunus avarus.

Has Indi fuevere (canunt ſi vera) rapaces Indi canes excantant.
Theſſalico de more feras vincire canendo.
Neſcio quæ preſſa decantant carmina voce,
Cum matutino Cœlum rubet igne: repentè
Attoniti fugiunt, Vitulique, Canesque nefandi.
Sed cum Bepyrri juga deſerit Heſperus, & cum
Membra fatigati curant per litora nautæ,
Carminibus revocant multis, & vincula ſolvunt;
Ne clam nocturni irrumpant freta ditia fures,
Ac lætas populentur aquas: tu ne pius artes

Theſ-

Thessalicas, magicosque modos, nec carmina cura,
Carmina Tartareo quæ sunt devota tyranno.
At piis precibus ad Divos fusis arcendi. Auxilium sed posce Deos: feliciùs illi
Divitibus procul è Conchis fera monstra fugabunt.
Sed qui supplicibus votis, precibusque vocandi,
Accipe. Cœlicolùm primum regina, marisque
VIRGO parens, uno, quæ temperat æquora nutu,
Atque Canes ditione premit, furibundaque Cete.
Cui tu gemmiferæ servatus pignora Matris
Dona feres, dignam capiti factura coronam.
Hinc tibi SABERIDES magno clamore vocetur;
Nam regit Oceani fluctus, regit & fera monstra;
Et quem præsentem toties in vota, precesque,
Ac facilem sensere, cavâ trabe qui mare currunt
Eoum, Persæque, Arabesque, & Japones, & qui
Taprobanen, Sindasque colunt, ditesque Barussas.
Insuper, ut Phocas celeri adventare natatu
Aspectat Conchyta, vado se protinus imo
Emittat, sociosque íterum, cymbamque revisat.
Præterea egregio quoniam sunt prædita sensu
Fragor vitandus. Ostrea, non multus fiat fragor æquore summo,
Ne celeri dilapsa fuga se cæca recondant
Antra per, & scopulos, vel murice subter opaco,
Aut condensa inter virgulta, nemusque profundum.
Quin etiam magnæ gravidis quia matribus iræ,
Nec hiantes capiendæ, nam secus manus præcident. Cum dulce ex utero pignus sensere revelli
Neu dextram, dum venter hiat, festinus acuto
Admoveas ori, namque acri protinus ira
Præcident rabidæ digitos, fundentque venenum.
Tantus amor prolis servandæ, & gloria gemmæ.
Sæpè manus miseri præfecti dentibus Indi
Effudere rubro permixtam flumine vitam:
At pretium gemmis fecere: nitentior illa
Et pretiosa magis visa est, quæ sanguine multo
Piscantis stetit: Heroum ceù nobilis illa
Censetur, duro quæ venit adorea Marte
Cædibus è multis, exantlatisque periclis.
Nec minor ille labor fluctus penetrare profundos,
Major ubi stat præda, sinu quam Doris avaro
Occulit ima suo, atque immensis submovet undis.
Ergo colorati subeunt qui cærula nautæ,
Viribus egregiis, & forti corpore præstent,
Ut multum Nereo valeant durare sub alto:
Velocique agiles vada salsa secare natatu.
At quia difficile est vitales ætheris haustus

In longum cohibere, undisque arcere fluentes;
Idcirco durâ concludit forcipe nares,
Atque aures Indus patrio perfundit olivo,
Quò, mirùm, prohibetur aquæ via; sive bitumen
Auribus inspergit: sunt qui non dente tenaci
Volsellæ nares stringunt: sed cornea figunt
Buccina, quæque cavis exactè naribus insint.
Ipsi etiam è cymba, ut motum videre rudentem;
Piscantem socii, deducto fune, reducant.

Qua se arte Urinator muniet, ut longum in mari durct.

Quin & piscanti semper sit maxima cura;
In primis regem comprendere, nam duce capto,
Totum gemmiferæ gentis captabitur agmen.
Ceù qui dura gerunt Mavortis in æquore bella,
Ipsum densa ducem medii per tela, per hostes
Aggrediuntur equis velocibus, & cita vibrant
Spicula, candentesque globos ex ære tonanti.
Namque illo, facilè est acies dispergere, cæso,
Ille dolos sentit venantis, & ille cohortes
In secura maris loca ducit, & horrida subter
Densorum nemorum, aut rupe in pendente recondit;
Illo sed capto, subita formidine Matres
Correptæ, quo castra loco metare reposto
Conveniat, trepidis vel quà se vertere signis,
Ignorant, metuuntque sibi sine rege: sub altis
Non secus ac fido sylvis, custode perempto,
Attonitæ fugiunt pecudes, nec certa sequentes
Signa ducis, mediis dispersæ saltibus errant.

Rex primò comprendendus.

Hic neque transierim tacitus, quod sedulus ipse
Non cura leviore nota; cum Conchea carpis
Munera, captarum palmis arctissimus ora
Contineas Matrum extemplo; nam protinus illæ,
Ni facias, baccam demittent: scilicet ipsam
Ne captæ pereant juvat usque amittere gemmam.
Non secus ac alacer cùm per sylvosa fugacem
Castora veloci cursu, jaculisque fatigat
Venator, rabidaque sequuntur fauce Molossi.
Ille ubi spes prærepta fugæ, se fervidus ira
Appetit, atque suis sibi dentibus inguina mordet:
Quaque petebatur cursu venantis anhelo,
Fundit odoratam præcisa per inguina gazam.

Cum primum Conchæ capiuntur, occludendæ, secus unionem ejicient.

At nunc Arctois quà fluctibus arte Britanni
Turmatim extremi capiant Nereida Concham,
Dicamus. Juvat ætherei de semine roris
Lucida, Valliadum Princeps, tibi plectere serta,
Serta, quibus niteant regalia tempora: nam te

Quo pacto apud Britannos unionum piscatio instituatur.

Non

(Non sunt magnorum, nec fient irrita Divum
Promissa (1), & Phœbi non me cortina fefellit)
Accipiet rursus cum Patre Britannia Regem:
Externos domini mores pertæsa superbi.
Et reduces tecum Superos, rectumque, piumque
Amplectetur ovans, & avita in sede locabit.
Ad Valliæ Principem apostrophe.
Editus in lucem si vix, puer auree, sedes
Regnatas tot avis, tot & annis deseris, inter
Plebejos latitans cultus; pelagoque remenso,
Externas chara profugus genitrice sub oras
Descendis, ludisque alienâ parvulus aulâ:
Tristia cœpta quidem; sed quæ Fortuna sequatur
Ingens, successusque habeant per maxima rerum.
Tu, puer, ut matura virùm te reddidit ætas,
Perque hostes fusos certamine, perque rebelles
Insternes iter ad palmas, victorque tenebis
Regna tibi patrum titulis debenda, vel armis.
At, generose puer, nitidis Victoria pennis
Ut venit, belloque omnem tremefeceris Arcton,
Cura tibi sit prima, Deos in templa Latinos,
Et cultus revocare pios; ductoribus istis,
Victor Hyperboreo semper dominaberis Axe.
Interea sertum stat circumtexere baccis,
Et niveo torquem collo, memorabile textum.
Litoreas propter ripas vada læta quaterni,
Aut quini subeunt humero tenus, inque rotundum
Dispositi orbem circumstant: manus altera contum
Sustinet infixum fundo, quò firmiùs ipso
Vortice consistunt: hinc quà se lumine produnt
Candenti Matres, & versicoloribus astris,
Vestigant oculis: nactique sub æquore, mira
Arte pedum digitis comprendunt molliter uncis,
Cæruleis qua crebra plicis flexura coruscat.
At socii vacui dextram de gurgite prædam
Sublectam subiti accipiunt, conduntque canistris.
Sed pars extremi superest properanda laboris
Nimirum rutilas quà Matrum educere baccas
Arte queas utero, & pulchra ditescere gaza.
Vicino primum niveas in litore Conchas
Expandes, rapido siccandas lumine Solis.
Qua arte è Conchis uniones educendi.
Nam sic læta aperit cum fauces arida Mater,

Spontè

(1) Vaticinia scilicet Davidis Episcopi Anglosaxonum, quę ad Jacobum Regem, & ejus filium spectare ferunt.

Spontè ſua gemmas diffundet ab ore nitentes.
Qui ſemota colunt Perimundæ litora, multo
Aſperſos ſale doliolis ſine Najade dulci
Candentes ponunt Solenas: & inde ubi longo
Tempore defluxit ſenſim caro tabida Conchæ,
Unio in ætherias mittit ſe candidus auras.
Aſt Indi, alterius freta qui ditiſſima Mundi
Percurrunt, vaſto quæ gurgite ſubmovet Atlas,
Igne coquunt Conchas, cùm primum è fluctibus illas
Eduxere: ſuus ſed non color optimus inde
Provenit, aut lævor baccis, nec tempore longo
Fulgeſcent; quia ſponte ſua cùm decidit humor
Gemmeus, egregio præſtans candore coruſcat
Lævior, & longo nunquam conſumitur ævo.
Non ſecus ac dulci veniunt dotata ſapore,
Quæ non invita carpuntur ab arbore poma.
Nunc age, qui primus Titanidis aurea nobis
Auroræ oſtendit divino numine dona,
Atque artes tulit egregias, inventaque mira,
Expediam. Vati vos, ò Chryſeides, & vos,
Agarides, monſtrate viam per cærula Divæ,
Vos adyta, & pelagi ſacros recludite fontes;
Namque Deæ vos eſtis, & alti Numina ponti,
Numina, queis humili curvantur vertice fluctus,
Et poſito clangore Noti famulantur, & Euri.
Fas mihi divitias Nerei, monſtrataque Divùm
Munera, & ignotas ab origine pandere cauſas.
Extremo quondam, ut perhibent, piſcator Eoo
Agaridum de gente fuit, cui nomen Iantho,
Chryſirhoë flava genitus Gangetide Nympha.
Ore puer formoſus erat: duo ſydera fronti,
Et pulchra totidem fulgebant Iride gemmæ:
Plurima purpureis vernabat gratia labris,
Admixtoque genæ ſparſim candore rubebant:
Et dulcem ex oculis, tenerumque afflabat amorem:
Sed pietatis amans, illibatique pudoris
Acer erat cuſtos, & ſervantiſſimus æqui.
Illum autem Drymo Agaridum pulcherrima Nympha
Ardebat: thalamoque ſibi ſociare jugali
Optarat precibus multis, & mollia ſæpè
Verba dabat, ſi fortè animum ſubmittere amori,
Conjugiique ſacras poſſet ſuccendere tædas.
Ille preces Nymphæ averſatus, & aurea verba,
Non thalamos quidquam curat, nec munera Sancti
Conjugii: fixum eſt animo ſervare pudorem.

Inſignis Fabula, qua Margaritarum piſcatio primum inventa eſt.

Ergò ubi Nympha preces, & verba effundere ventis
Cognovit, nec posse animum mollire querelis,
Extremum miseris restat quod rebus in arctis,
Supplicibus tandem aggreditur pia Numina votis.
Trans magnum Oceanum, & fines Telluris Eoæ,
Exoriens quà prima dies mortalibus ægris
Affulget, radiisque beat fulgentibus Orbem,
Auroræ domus describitur. Stat niveis latè centum suffulta columnis
Auroræ domus alta, Poloque æquata supremo
Assurgit, multa Superum spectabilis arte,
Atque opibus dives multis. Stat desuper ingens
Argento è nitido tectum: sed concava subter
Intermixta vago scintillant lumine mille
Sydera, flammantes radiis imitata Pyropos,
Ex adamante, & fulva assurgit Iaspide murus,
Cæruleis sparsim punctis distinctus, & ostro.
Cælatis intexta rosis, multoque rubescunt
Flore pavimenta: at flavo splendescit ab auro
Latè cardo, foresque auro radiante renident.
In medio delubra Deæ fulgentia gemmis
Bis senis Cœlo surgunt subnixa columnis:
Perpetuis ubi mille ardent laquearia flammis
Balsamino liquore, sacræ quæ pignora sylvæ
Dant Arabum, semperque altaria thure vaporant.
Huc se cæruleis invecta per æquora bigis
Fert Drymo, precibusque Deam compellat amicam.
12 Mater Eos, quæ prima diem, lucemque reducis,
Lætitiamque simul paris, & nova gaudia Mundo,
Affer opem miseræ, & nostro succurre dolori.
Tu Dea, præduram pueri da flectere mentem,
Qui dulces spernit thalamos, & fœdera sancti
Conjugii, fastuque preces, & dona superbo
Contemnit Nymphæ, magno quæ sanguine Divùm
Creta est, & Divos inter, Nymphasque sorores
Agaricis latè dives dominatur in undis.
Nè sine mortales tantùm se tollere fastus,
Connubia ut Divùm contemnant. O age, Mater,
Tende manus, Drymusque tuæ miserere precantis.
Non votis injusta peto, aut inhonesta: neque unquam
Furtivum, vos, Dii, testor, meditata furorem,
Legitimum peto conjugium, & Sanctos Hymenæos.
Talibus orantem dictis Aurora repostis
Audiit ex adytis, Drymoque affata precantem est.
Ne dubita, Drymo, sanguis meus: ipsa ego pacem,
Auxiliumque feram certum. De gurgite gemmas,

Pigno-

Pignora quæ lætæ pariunt cœlestia Matres,
Et nostras olim lacrymas, nunc munera Solis,
Accipe, & aurati transfer te Gangis ad ora. *Unio aceto dissolvitur.*
Hic tibi nativam divini roris in undam
Acre coruscantes gemmas dissolvat acetum.
Amplaque gemmato replebis pocula succo.
Non procul è fluvio, suavi quà gutture Cycni *Vitruvius.*
Sæpè volant, replentque suo latè aëra cantu,
Saxo in pendenti jacet antrum, & desuper ingens
Sylva viret, rauco Zephyri quæ pulsa susurro
Optatos revocat vocali murmure somnos:
Hùc puer Oceano se se deducit ab alto,
Et dulces somnos, frigusque inquirit opacum,
Cum Sol incandet, medioque altissimus Axe est.
Hic gemmata super musco carchesia pones
Vestibulum ante ipsum, textumque è divite baccà
Constitues juxtà torquem: quibus ilicet actis,
Antra pete, & penitus te aversam à lumine conde.
Namque ubi piscatu è multo defessus Ianthus
Adveniet, diique bibit nova pocula roris,
Duritiem ex animo ponet, fastumque superbum.
Quin etiam miro baccarum lumine captus,
Noscere quæ sint, & Superum quo numine missæ,
Optabit. Tunc ipsa adytis egressa repostis,
Erudies puerum, & nostros dic, Nympha, dolores.
Adde & divinas artes, quibus æquore ab imo
Cœlesti educat prægnantes ubere Conchas.
Ipsa adero, & teneros afflabo numine sensus.
Hæc dedit: & dium Nymphæ inspiravit odorem,
Atque novam fronti lucem, & decus addidit ori.
Illa avibus levior, volucrique simillima vento
(Et volucrem faciebat amor) spumantis apertum,
Haud mora, corripuit maris æquor, & humida subter
Cærula devenit, niveasque in gurgite testas
Legit, & actutum sistit se Gangis ad ora.
Diluit hic gemmas, & dio pocula succo
Ante fores repleta locat, juxtaque sub antro
Intextum ponit torquem Oceanitide bacca.
Hinc antro in medio se aversam à luce recondit.
Fortè, & jam consueta petens loca pulcher Ianthus
Tendebat, Charites puerum comitantur euntem,
Utque antro propius successerat, aspicit antro
In medio gemmata sacri carchesia roris:
Ignarusque doli, sitienti protinus ore
Nectaris exhaurit cratera, bibitque venenum.

Hinc & mirari candentes lumine gemmas
Incipit attonitus, nimioque ardeſcit amore
Noſcere quæ ſint, qui tulerit nova munera Cœli,
Sive aliquis noſtro de ſemine, ſivè Deorum.
Tunc Dea ſpeluncæ ex adytis egreſſa repoſtis,
Matutina velut cæcis Aurora tenebris:
Aut ubi cum denſa latuit ſub nube, coruſcat
Extemplò Sol, & terram ſplendentibus ambit.
Ibat odoriferis conſperſa liquoribus, ibat
Mæandro undantem multo diffuſa capillum
Per nive candentes humeros, & lactea colla.
Ora rubeſcebant minio depicta decenti,
Perfuſus ſed candor erat mundiſſimus oſtro.
Lilia purpureis veluti permixta roſetis.
Conchea quin etiam candebat plurima bacca,
Marmoreo adjunctum collo decus, atque lacertis:
Ut Divam aſpexit venientem pulcher Ianthus,
Reſtitit, heu! victusque animi mutatus ab illo eſt.
Quem non magnanimum devicit forma pudorem,
Si ſemel illa oculos tenuit conſpecta morantes?
Obtutu è primo fugiat, quicumque pudicus
Eſſe velit, levis ipſa nocet mora. Dia maritum
His tunc alloquitur dictis, & munera Cœli
Quæ ſint, quoque modo carpenda è gurgite dicit:
Filius Auroræ fuerat cognomine Memnon,
Ora niger: ſed pulcher erat, nam plurimus olli (Auroræ Filius Memnon.)
Ardebat fronti fulgor ſplendentior igne:
Qualis gemma nitet Carbunculus, & face multa
Irradians, noctem terris depellit opacam,
Egregiæ qui laudis amans, Trojana ſequutus
Arma, pharetratas Indorum in prælia gentes
Ilion ad magnum, Phrygiæque ad litora vexit;
Auxilium Priamo laturus. Ovantia ſæpè
Hic puer in bellum victricibus agmina ſignis
Egit, & edomitis retulit ſpolia ampla Pelasgis;
Sed cum divinum tandem tentaſſet Achillem,
Ah puer infelix! ferro transfixus acuto
Occidit, incaſſum contrà conantibus Indis,
Ut puerum Fato eximerent, manibusque ferocis
Pelidæ: ſua quemque dies manet, & ſua fata:
Nec virtus, neque vis duris obſiſtere Parcis
Ulla poteſt, rerum non & revocabilis ordo eſt;
Et jam Tithoni linquens Aurora cubile,
Non pexis de more comis, nec concolor oſtro,
Sed ferrugineis ſurgebat lutea bigis,

Ven-

Venturi ceù gnara mali, cum Vespere ab atro
Flebilis Idææ referens insigne cupressi,
Conspectus lentis properare Favonius alis:
Ilicet inspecta ferali Aurora cupresso,
Palluit & reliquum defluxit ab ore decoris;
Objectusque suus tristi sub imagine Memnon:
Quem postquam telis cecidisse immitis Achillei,
Audivit, confestim acri exanimata dolore est:
Et poterat periisse, citæ ni protinus Horæ
Conatæ dominam manibus fulcire labantem,
Et circumstantes fovissent flatibus Auræ.
Extemplo amissum Cœli jubar, atraque retro
Nox iterum profugas vertisset ab æquore bigas:
Ni tempestivè poscens ad fræna jugales,
Jamque fatiscentem reparasset lumine Mundum
Phœbus, & obducto pepulit ab æthere nubes.
Verum ubi cæruleis emersit currus ab undis,
Ut Sol Auroram lacrymarum ex imbre madentem
Vidit, & è Zephyro fatum cognovit iniquum,
Constitit in medio cursu, frænoque jugales
Præcipites tenuit, radiisque effulsit opacis.
Aspectu quò summus apex concussus Olympi
Intremuit, totusque timens expalluit æther.
Hinc casus cupiens solari Matris acerbos,
Rorantes reduci perfundens lumine guttas,
Protinus in niveas jussit concrescere Gemmas:
Sic lacrymis, Aurora, tuis, pretiumque, decusque
Multum Memnonio venit de funere: rores
Deciduos avido ceperunt gutture Conchæ,
Miratæ insolitas utero candescere baccas.

Lacrymę Aurorę in uniones mutantur.

Hinc Dea multa super gemmis, & Martibus addit;
Dum captus sermone suas puer applicat aures.
Ut matutino rorantes tempore guttas
Ore bibant, potoque tumescant nectare Conchæ:
Mox niveam pariant sobolem; nam Vespere rorem
Si libant, rufam gignunt, maculisque nigrantem,
Utque coruscantis concussæ fulminis ictu,
Sæpè repentino, fœtu reddantur inanes.
Præterea purus Cœlo si defluat humor,
Unio candescat; verùm si turbida rorem
Stillet Eos, sparsim maculoso palleat ore:
Insuper ut calidi metuentes lumina Solis,
Subsidant imis in fluctibus, igneus Orbem
Dum Sol incendit radiis, atque altior hora est:
Nam nimius gemmas calor inficit. Utque profundas

Conchæ rore epoto uniones concipiũt. *Plinius, & Solinus.*

Quæ

Quæ gaudent pelagi Matres errare per undas,
Concipiant multo ſobolem candore coruſcam.
Difficiles docet hinc artes, quibus aurea carpat
Dona manu, ditemque ferat de gurgite prædam.
Unio ſic primum de Doride venit avara,
Atque amor inventi primus fuit author, & artem
Egregiam è Nympha pro dote accepit Ianthus.
Sed jam, CARDENIDE, explevi tua maxima juſſa,
Difficilesque artes Piſcandi, & Retia, & Hamos,
Et varios etiam Piſces, Teſtasque canebam;
Auſus & Eoo decerpere ab æquore Gemmas,
Exili, duce te, vectus ſuper alta phaſelo:
Nunc materna redux advertam ad litora proram:
Actiacæque levi cum cymba proximus (1) oræ
(Nam ſuprà in ſacras vetitum ſe tollere (2) laurus)
Succedam, longo ſed proximus intervallo:
Quà me Nereides, bona Neſis, & omnis ovantum
Cœtus Olympiadum virides invitat ab umbras:
Emeritaque ardet mihi tempora cingere myrto.
Ipſe & cærulea ponti ſpatiatus in unda,
Sirenes, niveosque inter Delphinas Apollo,
Jam nemus argutum Cyrrhæ, ſylvasque relictas
Purpureo dives ramo, gemmisque reviſit.

FINIS.



(1) Nimirum ubi Mergillina Synceri villa.

(2) Ad extremum Olympiæ oræ (*Chiaja*) ſuprà cryptam, quæ Puteolos ducit, eſt Virgilii tumulus, quem juxtà ſpontè natam olim laurum, & per multos annos floruiſſe memoriæ proditum eſt.

